3 1761 07833910 8



Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/thesaurusresolut40cath

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXXI.

Rmo P. D.

FRANCISCO XAVERIO
DE ZELADA
ARCHIEPISCOPO PETRENSI

SECRETARIO.

TOMUS XXXX.

ROMÆ MDCCLXXI.
EX TYPOGRAPHIA BERNABÒ, ET LAZZARINI.

SUPERIORUM FACULTATE.

BX
1935
A36
t.40-41

LIBRARY
SEP 5 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1771. *per Diœceſes diſpoſitus.*

A

ABellinen. Irregularitatis 20. Aprilis *pag.*88.,& 4.Maji *p.*91.
Acheruntina Diſpenſationis 8.Junii *pag.*118.
Æſina Cathedratici 23. Februarii *pag.*40., & 16. Martii *pag.*48.
Alexandrina Suſpenſionis 31. Auguſti *pag.* 117., & 28. Septembris *pag.*205.
Alexandrina Præpoſituræ 31. Auguſti *pag.*182.
Amerina 28. Septembris *pag.*205.
Anagnina Erectionis Capellaniæ 31. Auguſti *pag.* 195., & 28. Septembris *pag.*199.
Anconitana Legati Pii 28. Septembris *pag* 221., & 23. Novembris *pag.*226.
Arboren. 26 Januarii *pag.*9., & 23. Februarii *pag.*27.
Auximana Translationis Miſſarum 8. Junii *pag.*125.

B

BAlneoregien. Jurium Parochialium 23. Novembris *pag.*240., & 14. Decembris *pag.*243.
Bituntina ſervitii Chori 26. Januarii *pag.*7.,& 23. Februarii *pag.*27.
Bononien. Anniverſariorum 26.Januarii *pag.*1.
Brictinorien. Servitiorum 14. Decembris *pag.*248.

C

CAlaritana 4. Maji *pag.*102.
Caſalen. Translationis Miſſarum 13. Julii *pag.*136.
Cæſarauguſtana Matrimonii 23. Februarii *pag.*33., & 16 Martii *p.*47.
Cingulana Erectionis Manſionariæ 23. Novembris *pag.*137., & 14. Decembris *pag.*243.
Comen. Beneficii 13.Julii *pag.*139.
Comen. Canonicatus Theologalis 28. Septembris *pag.*217., & 23. Novembris *pag.*225.
Comen Celebrationis Miſſarum 28. Septembris *pag.*208., & 23. Novembris *pag.*225.

F

FAnen. Legati 20. Aprilis *pagin.*76., 23. Novembris *p.*233., & 14. Decembris *pag.*243.
Fanen. Subſidii Dotalis 13. Julii *pag.*150., & 3. Auguſti *pag.*161.
Faventina Sponſalium 4.Maji *p.*99.
Faventina Translationis 3. Auguſti *pag.*171.,31.Auguſti *pag.*175., & 14. Decembris *pag.*256.
Feſulana Miſſæ Parochialis 26. Januarii *pag.*1.
Firmana 20. Aprilis *pag.*85., & 4. Maji *pag.*91.
Foroſempronien.20.Aprilis *pag.*89. & 4. Maji *pag.*92.

G

GErunden. 14 Novembris *pagin.*245.
Gratianopolitana Reſtitutionis in integrum 23. Februarii *pag.*28.

I

IMolen. Miſſæ Conventualis 26. Januarii *pag.*19., & 23. Februarii *pag.*28.
Interamnen. 26. Januarii *pag.*23., & 23. Februarii *pag.*28.

L

LUcana Jubilationis 8. Junii *pagin.*123.
Lucana Matrimonii 4.Maji *pag.*92., 28.

28. Septembris *pag.* 199., & 23. Novembris *pag.*226.

M

MAceraten. 23. Februarii *pagin.*36., & 16. Martii *p.*47.
Mindionen. Diſpenſationis 3. Auguſti *pag.*169., & 31. Auguſti *pag.*175.

N

NArnien. Jurium Parochialium 8. Junii *pag.*127., & 13. Julii *pag.*131.
Neapolitana Matrimonii 28. Septembris *pag.*200.
Neocaſtren. Miſſæ pro Populo 26. Januarii *pag.*1.,13.Julii *pag.*157., & 3. Auguſti *pag.*162.
Nepeſina Reſtaurationis Eccleſiæ 31. Auguſti *pag.*191.
Nullius Lepriniani Capellaniæ 13. Julii *pag.*152., 3. Auguſti *p.*161., 23. Novembris *pag.*237., & 14. Decembris *pag.*243.
Nullius Terræ Pontiani 26. Januarii *pag.*15., & 23. Februarii *pagin.*27.
Nullius Terræ Pontiani Reductionis 4. Maji *pag.*106., & 8. Junii *pag.*109.

O

ORdinis S. Baſilii 4. Maji *pagin.*95.

P

PErufina Montis Pietatis 20. Aprilis *pag.*79., & 14. Decembris *pag.*254.
Placentina Celebrationis Miſſæ 8. Junii *pag.*112.
Privernen. Aperitionis Seminarii 16. Martii *pag.*70., & 20. Aprilis *pag.*75.

R

ROmana Beneplaciti 16. Martii *pag.*61.
Romana, ſeu Tudertina admiſſionis ad Collegium 13. Julii *p.*146., & 3. Auguſti *pag.*161.

S

SAbinen. Participationis 13. Julii *pag.*131.
Salernitana Irregularitatis 20. Aprilis *pag.*82., & 4. Maji *pag.*91.
Sancti Marci Irregularitatis 8. Junii *pag.*114., 31. Auguſti *pag.*197., & 28. Septembris *pag.*199.
Signina Beneficii 3. Auguſti *p.*161.
Spoletana Aſſignationis Patrimonii 31. Auguſti *pag.*181.
Spoletana Reductionis 8. Junii *pagin.*120.

T

TAurinen. Matrimonii 26. Januarii *pag.*2.
Theatina Matrimonii 16. Martii *pag.*48.
Terracinen. Jubilationis 16. Martii *pag.*64., & 20. Aprilis *pag.*75.
Terracinen., & Setina 23. Novembris *pag.*226., & 14. Decembris *pag.*244.
Tuſcanen. Concurſus 16. Martii *pagin.*57.

V

VEliterna Permutationis 3. Auguſti *pag.*167., & 31. Auguſti *pag.*175.
Veliterna Subſidiorum Dotalium 8. Junii *pag.*109.
Veliterna Taxæ Seminarii 16. Martii *pag.*66., & 20. Aprilis *pag.*75.
Urbevetana Canonicatus 13. Julii *pag.*155., & 5. Auguſti *pag.*162.

Die Sabbathi 26. Januarii 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

HAbent Eminentiſſimi Patres in hodierno Folio ſex Cauſas, quæ adjiciuntur aliis in præcedenti relatis, ut de omnibus quid juris dijudicandum ſit, ſapienti judicio definiant.

FESULANA MISSÆ PAROCHIALIS. *Seſs. 23. cap. 1. de Reform.*

I. *An Parochi in Dominicis, aliiſque feſtis diebus præſente Cadavere poſſint celebrare Miſſam pro Defuncto, & ad aliam diem transferre Miſſam pro Populo applicandam, in caſu &c.*

Et quatenus Negativè

II. *An ſaltem applicationi Miſſæ pro Populo ſupplere poſſint per alium Sacerdotem, in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Negativè.

BONONIEN. ANNIVERSARIORUM.

An ſit locus adimplemento legati Anniverſariorum ordinati a Bartholomæo Saſſi ad formam Fundationis, & rei judicatæ, ſeu potius illius reductioni, vel ſuſpenſioni, in caſu &c. *Seſs. 24. cap. 6. de Reform.*

Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam.

NEOCASTREN. MISSÆ PRO POPULO. *Seſs. 23. cap. 1. de Reform.*

I. *An Parochi Eccleſiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur ſinguli applicare Miſſam pro Populo, ſeu potius poſſint unam tantum Miſſam in unaquaque Eccleſia per turnum applicare, in caſu &c.*

II. *An eandem Missam teneantur applicare quotidie, vel tantum Dominicis, & Festis diebus, in casu &c.*

Ad I. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam. Ad II. Dilata, & scribatur juxta instructionem.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

TAURINEN. MATRIMONII. Mutua de ineundo conjugio data invicem, acceptaque fide, Josephus Secundus Vigna Astæ Pompejæ natus, ac Studiorum causa Taurini degens, nec non Angela Duffourn, matrimonium clandestinum contrahere statuerunt. Hinc adita die 30. Martii 1760. Metropolitana Ecclesia, quæ illorum Parochialis erat, accitisque duobus Testibus, steterunt coram Vice-Parocho, qui Vicarius nuncupatur, dum funebre Sacrum super cadavere defuncti ad Altare S. Michaelis Archangeli peragerēt, Vir quidem genibus provolutus super gradu Altaris, Fœmina verò ad ostium Capellæ. Expleto Sacro, Vir exhibito Annulo, institit, ut eos matrimonio jungeret; sed monitus a Vicario, ut expectaret, acquievit, expectavitque, donec Exequiæ peractæ fuissent, quibus absolutis, Annulum denuò ostendens, ac Mulierem indigitans, dixit = *Io son contento di sposar Lei, e lei è contenta di sposar me, e così ci sposi* = Fertur Puellam respondisse = *Di sì* = Vicarius tamen statim terga vertit, ingressusque Sacrarium eos sedulò monuit, ne cohabitarent; sed illi tum propria ducti opinione de matrimonii validitate, tum Confessarii consilio a consummatione non abstinuerunt.

Re delata ad Curiam Archiepiscopalem, ambo fuerunt criminali actione impetiti, confectoque processu, ac servatis de jure servandis, sententia prodiit die 6. Maji 1769., qua declaratum fuit = *Minime constare, quod iidem Vigna, & Duffourn Matrimonium coram præfato Vicario Parochiali jure, ac validè contraxerint, proindeque illud nullum, ac irritum fuisse, & esse, ... satis vero superque constare de dictis Sponsalibus inter dictos Vigna, & Duffourn initis, & sic condemnandum fore, & esse ipsum Vigna ad contrahendum Matrimonium cum dicta Duffourn* = Ab hac tamen sententia, tum Collitigantes, tum Matrimonii Defensor appellarunt; proindeque dubium in calce transcriptum ab EE. PP. erit definiendum.

Josephus Secundus Vigna, qui matrimonii nullitatem sustinet, duo juris principia præmittit, nimirum ad illius validitatem omnino requiri, ut uterque Contrahens suum consensum coram Parocho expresserit, *Concil. Trident. Sess. 24.*

Sess. 24. *cap.* 1. *de Reformat. Matrim.*, & ut Parochus utriusque Contrahentis consensum planè intellexerit, & de illo testari valeat *Layman. Theol. Moral. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 4. *num.* 6., *Giribald. Oper. Moral tom.* 3. *tract.* 10. *cap.* 7. *dub.* 12. *num.* 90.; cum alias Parochus nullo modo esse possit Testis illius actus, quem non intellexit *Pont. de Matrim. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 12., *Bos. de Matrim. cap.* 3. *num.* 253. *§. Verum*. Utrumque autem in præsenti casu deesse contendit, cum Vicarius fassus fuerit, non intellexisse mutuum Contrahentium consensum, idemque testati quoque fuerint duo Sacerdotes, totidemque Clerici, qui præsentes aderant.

Neque officere depositionem aliorum duorum Testium, affirmantium audivisse Puellæ consentientis verba, tum quia semper eadem recurrit difficultas, quod Vicarius non intellexerit, & hoc satis esse, dicit, ad Matrimonii nullitatem probandam *Vrsaya tom.* 9. *part.* 1. *disceptat.* 44. *num.* 14., tum etiam quia duo isti Testes posthabendi sunt è conspectu contrariæ depositionis Vicarii, & quatuor aliorum Testium, qui nullum a Puella proferri verbum audiverunt, quamvis illi proximi adessent, & attentè quemlibet actum inspexerint. Hinc plures congerit adversus prædictos Testes exceptiones, quas desumit vel ex eorum conditione, vel ex mendaciis, & contradictionibus, quibus de causis eorum testimonio minimè deferendum putat.

Advertit præterea non solum defuisse verba, quæ mutuum consensum exprimerent, sed etiam signa, ex quibus aliquo modo erui posset, cum Vicarius, aliique quatuor Testes uno ore deponant = *Non ha mai fatto alcun cenno denotante di voler contrarre Matrimonio, ne fece cenno alcuno di acconsentire* = Nec quidquam inferri posse ex eo, quod Vir super gradu Altaris, Puella verò super ostio Capellæ genuflexerint; quia iste actus fuit verè præparatorius, & probare ad summum posset animum, & voluntatem Puellæ ineundi conjugium, sed inefficax est ad exprimendum actualem consensum in matrimonium, *Vrsaya tom.* 1. *part.* 2. *disceptat.* 31. §. 2. *num.* 5., *Marcant. de trib. Sacr. post tom.* 3. *cas.* 3. Idque confirmari ex ipsa instantia Josephi pro ineundo futuro conjugio, quæ trahi non potest ad actum matrimonii *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *disceptat.* 18. *num.* 25., *Rot. decis.* 121. *num.* 10. *part.* 1. *diverss.*; & ex precibus ab ipsis met Sponsis Vicario oblatis *di raccomandarli a Monsignor Arcivescovo per venire legittimamente spediti*, quibus indigitarunt, nullum antea præstitisse consensum matrimonio, quod actu contraxerint.

Ex oppositio Defensor Matrimonii contendit in primis, aures præbendas non esse contrariæ petitioni, quæ non a Filio, sed a Patre proponitur, ut colligitur ex quadam epistola ipsius Filii Puellæ data. Hac autem in re sustinet Patrem

illegitimum esse contradictorem, ejusque voluntatem non attendi ex dispositione *Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.*

Pergit deinde ad probandum utriusque Contrahentis consensum, quem etiam a Puella verbis expressum fuisse ait, cum de illo deponant duo Testes matrimonio adhibiti, & ipsa met Puella in constituto fassa fuerit. Nec obesse contrariam Vicarii depositionem, cum iste loquutus fuerit de primo tantum accessu ante exequias, nulla facta mentione de secundo post exequias, quo tempore Puella respondit *Di sì*. Arguit proinde nullam habendam esse rationem relationis Parochi, utpotè non integræ, & defectuosæ in substantialibus; Maximè quia de errore convincitur, dum ait, se a Sponsis contrahendi matrimonii licentiam requisivisse *nell'atto, che mi disponevo per far l'esequie a detto Cadavere*, quod falsum esse ex reliquis Testibus deprehenditur.

Addit, minimi quoque faciendas esse aliorum quatuor Testium depositiones, ob graves, quas patiuntur exceptiones, vel saltem eos posthabendos esse, quia vehementiora in oppositum urgent momenta, & præsertim, quod isti sint negativi, cæteri verò affirmativi *Bart. in Leg. Diem proferre §. Si plures ff. de recept. arbitr.*, *Pacion. de probat. lib. 1. cap. 37.*, *Rot. decis. 138. num 15. coram Bich.*. Maxime quia duo Testes affirmativi rogati, & adhibiti præcisè fuerunt, ut matrimonio adessent, ideoque præsumitur magis, quam alios attendisse actum, qui gerebatur. Plura autem deducit, ut refellat exceptiones adversus hos Testes prolatas, animadvertens, quod etiam Affines, Familiares, Consanguinei, Domestici, immò etiam infames, & excommunicati, idonei esse possunt matrimonii Testes, *Ferrar. in Bibliothec. verb. Impedimenta Matrim. artic. 2. num. 99.*, *Constantin. vot. decis. 526, num. 152.*, *Rot. decis. 2. num. 9. part. 8.*, *& decis. 370. num. 3. part. 18. tom. 1. Recent.*. Negat demum familiaritatem unius ex dictis Testibus cum Angela: Negat, eos vilem artem exercere, cum unus Architecturæ incumbat, alter sit Caligarum Textor. Negat etiam assertam eorum contradictionem, quia cohærere asserit cum constituto, & prædictæ Angelæ confessione.

Contendit insuper nihil relevare, quod Parochus nullum ab Angela proferri verbum audierit. Sustinet enim, consensum pro matrimonio non tantùm verbis, sed nutibus etiam, & signis extrinsecis expressum sufficere, *Leuren. in jus. Canon. lib. 4. tit. 1. quæst. 86. num. 3.*, *Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 31. num. 5.*, *Guttier. eod. tract. cap. 46. num. 8. & 10.*. Signa autem hujusmodi non desiderari in hoc, de quo agitur matrimonio, cum ambo Contrahentes bis steterint coram Vicario, & Vir elata voce aperte dixerit, se matrimonium cum Angela contrahere velle; Cumque Angela

non

non contradixerit, plus quam manifestè patefeciſſe ſuum in contractu conſenſum. qui ex ſilentio ritè infertur *Cap. cum Virum de Regular.*, *Fagnan. in Cap. Tuæ Fraternitati de Sponſal.*, *& Matrim. num.* 12., *Divus Thomas in* 4. *Sentent. diſtinct.* 27. *quæſt.* 1. *artic.* 2. *ad* 3.. Eo magis quia verba neceſſaria non fuerant, quoties Sponſalia, & tractatus de ineundo matrimonio præceſſerant, *Fagnan. loc. cit. num.* 21.

Ex pluribus autem circumſtantiis, non tantum ſigna, & indicia diſpoſitiva, ſed actualem conſenſum deſumi affirmat, nempe, quia Sponſi ad Eccleſiam acceſſerunt poſitivo, abſoluto, ac determinato animo contrahendi matrimonium, propriumque conſenſum Parocho, & Teſtibus ad id præcisè vocatis pandiderunt. Deinde quia cum Sponſi, ob reſiſtentiam Patris Viri, licentiam contrahendi matrimonium obtinere nequiverint, illud contrahere curarunt, eo modo, quo poterant. Præterea, quia poſt matrimonium a Vicario admoniti ne ſimul cohabitarent, uno ore reſponderunt, illud validè fuiſſe contractum. Ac tandem, quia eadem met die matrimonium conſummare tentarunt.

Hæc a Defenſore Matrimonii ex officio hac in Cauſa animadvertuntur. Archiepiſcopus pro informatione requiſitus ait, editam fuiſſe ſententiam ſuper Matrimonii nullitate a Vicario Generali Capitulari, dum Archiepiſcopalis Sedes vacaret: Iterum requiſiviſſe omnes intereſſe habentes, nihilque audiviſſe præter ea, quæ in actis Cauſæ jam propoſuerant. Denique ita concludit = *Momenta autem rationum, quæ ex actis depromi poſſunt, quæque me etiam movent ad idem ſentiendum, duo potiſſimum eſſe videntur: nempè, quod non ſatis conſtet Oratricem Angelam Duffourn verbis, aut ſignis conſenſum præſtitiſſe; Et inſuper, quod Parochus nec verbum, vel ſignum hujuſmodi audierit, aut viderit, ac ne videret, aut audiret affectaverit. Plenius EE. VV. id colligere poterunt ex actis, omnibuſque rei totius adjunctis* =

Ex decreto Concilii Tridentini *ſeſs.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. Matrim.* matrimonium celebrari debet coram proprio Parocho, aut alio Sacerdote, de ejuſdem Parochi, vel Epiſcopi licentia, & duobus ſaltem Teſtibus. Parochi autem præſentia non debet eſſe tantum materialis, itaut ſi ipſe non viderit, nec audiverit, quæ acta ſunt, matrimonium *non valere* reſpondit Sac. Congregatio anno 1581. Epiſcopo Giennenſi, ut ex *lib.* 3. *decret. pag* 59., *& ſeq.*. Verum ſi Parochus affectaſſet non intelligere, propterea quod vel aures ſibi obſtruxerit, vel faciem averterit, aut velaverit, ne audiret, & aſpiceret, tunc matrimonium validum erit, cum in arbitrio Parochi non ſit, matrimonii libertatem impedire, quemadmodum notat *Fagnan. in cap. Quoniam num.* 25. *de Conſtitution.*, *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 23. *num.* 10., & declaravit Sacra Congregatio

loc.

loc. sup. citat., & *in Ulyssiponen.* 28. *Aprilis* 1593. *lib.* 7. *decret. pag.* 106. *terg.*

Id ipsum dicendum de Testibus, qui una cum Parocho ad Matrimonii validitatem ex decreto Concilii requiruntur, cum omnes percipere debeant mutuum contrahentium consensum. Perpendendum tamen est, an hujusmodi consensus verbis exprimi debeat, vel sufficiat illum eruere ex signis, nutibus, actibus, aliisque circumstantiis, quæ Matrimonium antecesserunt, comitatæ, aut subsequutæ sunt, itaut hoc modo Parochi, & Testes adeo certi esse possint de contrahentium voluntate, ut de inito Matrimonio Testimonium perhibere valeant, quemadmodum advertit *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disput.* 39. *num.* 2., *Bossi. eod. tract. cap.* 1. *§.* 23. *num.* 58., & *cap.* 3. *num.* 23, *Guttier. ibid. cap.* 69. *num.* 9.

Quamvis autem non desint, qui consensum requirant verbis expressum, in iis, qui loqui possunt, nihilominus istius opinionis assectæ non diffitentur, nonnullas adjiciendas esse limitationes, & præcipuè, quod id non procedat in Matrimonio præsumpto præsumptione juris tantum, prout in Matrimonio a Parentibus filiorum nomine contracto, quo casu admittunt sufficere filiorum taciturnitatem, *Fagnan. in Cap. Tuæ Fraternitati de Sponsal.*, & *Matrim.* Rationem autem affert D. Thomas in 4. *Senten. distinct.* 27. *quæst.* 1. *artic.* 2. *ad* 3., dum dicit, quod verba Parentis reputantur filii, qui si non contradicat, præbet signum consensus. Alii tamen, quos recenset Fagnanus *loco citat. num.* 21. hac utuntur distinctione, quod scilicet, aut præcessit tractatus Matrimonii, & tunc verba necessaria non sunt, quia ex tractatibus præcedentibus, & ex sequentibus signis Ecclesiæ de Matrimonio satis constat: Aut verò nullus præcessit tractatus, & in isto casu, quia ardua nimis, & plena periculi res est, ex solis indiciis, & conjecturis de matrimonio judicare, idcirco Ecclesia per verba a Contrahentibus prolata certior de illo fieri debeat.

Certum est in præsenti casu, Parochum vidisse tum Virum, tum Puellam, illum quidem genibus ad gradum Altaris provolutum, hanc verò ad ostium Capellæ: Insuperque audivisse Virum dicentem = *che lui era contento di sposare la detta Duffourn, e che questa era pur contenta di prenderlo*; Nihil autem a Puella proferri audivisse, quemadmodum nihil audierunt Sacri, qui aderant, Ministri. Videndum itaque quid importent verba a Viro prolata, & quid judicandum de silentio Puellæ. Utrumque definient Emi PP., dum respondebunt dubio

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Negativè.

BI-

BITUNTINA SERVITII CHORI. Insalubritas situs Cathedralis Ecclesiæ Bituntinæ, nec non Præbendarum tenuitas, faciles reddidit EE. PP. ad moderandum *alternativæ* servitium in eadem Ecclesia alias præfinitum, & Capitularibus permittendum, ut illud per Tertiariam exhiberent, exceptis tamen solemnioribus nonnullis diebus, iisque etiam, quibus redeunt Anniversaria ex piorum Testatorum dispositione. Qua de re propositis in Congregatione diei 24. Novembris anni præteriti duobus dubiis, *I. An Dignitatibus, Canonicis, & Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis Bituntinæ sit concedendum Indultum inserviendi Choro, & Ecclesiæ per Tertiariam in casu &c., II. An sit consulendum Sanctissimo pro facultate explendi Anniversaria, & Missas cantatas Defunctorum per dictas Dignitates, Canonicos, & Capitulares etiam per Tertiariam, in casu &c.*, responsum fuit *Ad I. Affirmativè, & detur decretum in Tarraconen., exceptis etiam Anniversariis. Ad II. Provisum in primo*. In folio diei 15. præcedentis mensis Septembris hæc Causa fusius describitur. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Quantum Capitularibus arrisit Indultum inserviendi Choro per Tertiariam, tantundem etiam doluit denegatam quoad Anniversaria similem Tertiariæ divisionem, proindeque supplicant, ut in hac parte a decisis recedatur, offeruntque præter Missam cum cantu, aliam etiam Missam privatam celebrare in expiationem Animæ illius Benefactoris, pro quo Anniversarium peragi debet, ut ita Capitularium non interessentium defectui uberius supplectum remaneat.

Itaque quoad I. dubium captam resolutionem collaudant, ejusque confirmationem exposcunt: Contra autem rogant ne ab Indulto inserviendi per Tertiariam excipiantur dies, quibus redeunt Anniversaria, ne Capitulares graviori hac de causa servitio adacti, Indulti beneficio destituantur.

Hinc ad II. Sustinent eadem quoad Anniversaria urgere rationes, insalubritatis aeris, emolumenti tenuitatis, & oneris gravitatis, ut ea juxta præscriptum Tertiariæ modum impleantur; Cumque parati sint præter Missam cum cantu a Fundatoribus demandatam, aliam quoque sine cantu ipsi Anniversario augere, arbitrantur eo facilius petitum Indultum concedi posse, quia agitur de commutanda *in melius*, seù verius de interpretanda Testatorum voluntate quorum dispositio intacta permanet, *Imolen. in Clement. Quia contigit de Relig. dom. n. 9, Amostaz. de cauf. piis lib. 1. cap. 14. num. 12.*; & hujusmodi commutatio, seù interpretatio vergit in majus bonum, & eorumdem Testatorum Animæ uberius Suffragium *Gratian. disceptat. 458. num. 29., Dian. coordinat. tom. 6. tract. 9. resol. 64. num. 6.*

Id autem manifestum fieri ex eo dicunt, quod Fundatores dum

dum Capitularium omnium intereſſentiam requiſiverunt, non alio ſane, quam ad pietatem, & ſuffragium animarum ſuarum proſpexiſſe præſumuntur *Card. de Luc. de Teſtamen. diſcur. 72. num. 15.*, *Amoſtaz. lib. 1. cap. 14. num. 12.*, His verò omnibus abundè ſatisfieri per celebrationem alterius Miſſæ ad Altare privilegiatum, cum majus in Eccleſia Dei haberi non poſſit ſuffragium, quam Miſſæ Sacrificium, quod propitiatorium eſt, impetratorium, & ſatisfactorium *Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Purg at.*, *& ſeſs. 22. cap. 2. de Sacrif. Miſſ.*, *Barboſ. ibid. num. 6.*, *Marant. reſp. 4. num. 61.*, & ideo affirmat *Fagnan. in cap. Ex parte de conſtit. num. 34.*, quod majus ſuffragium capiat Anima defuncti ex Miſſæ Sacrificio, quam ex alio quocumque pio opere, quia virtute Sacrificii ſuffragium prodeſt per modum ſolutionis debiti *D. Thom. in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. artic. 4.*, *& quæſt. 1. ad 2.*, quod de aliis piis operibus dici non poteſt.

Atque ex hoc arguunt præſumptam Teſtatoris voluntatem pro commutatione, quæ fiat in melius, & in majus ſuffragium redundet *Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 4. cap. 7. num. 24. in fin.*; & idcircò facilius concedi debeat commutatio, quoties magis conformis deprehenditur Fundatoris menti, ac deſiderio, quod viventium arbitrio debet interpretari, *Leg. Quoniam 4. Cod. de natural. lib.*, *Cephal. conſil. 701. num. 2. & 9.*, *Pignattel. conſultat. 81. num. 3. tom. 9.*

Accedere etiam Divini cultus incrementum, cum admiſſa Anniverſariorum diviſione *per Tertiariam*, Capitulares in numero octo ſupra viginti, qui eo tempore Chori ſervitio addicti ſunt, iiſdem Anniverſariis omninò intererunt; è converſo autem ſi omnes de gremio Capituli adeſſe cogantur, non deerunt, qui vel ob emolumenti tenuitatem, vel ex alia qualibet excuſatione defecerint, & intereſſe neglexerint.

Nil in præſenti Cauſa addendum videtur ad ea, quæ Capitulares in ſuis precibus denuò exponunt. Quid autem Vicarius Generalis hac ſuper re ſenſerit, quid Sacra Congregatio definierit, patet ex præcedenti folio, quo benignè reſumpto, dignentur EE. VV. decernere

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis et iam quoad Anniverſaria, in caſu &c.*

II. *An ſit concedenda gratia explendi eadem Anniverſaria per Dignitates, Canonicos, & Capitulares eti am per Tertiariam, in caſu &c.*

Non propoſitâ, cum reliquis.

AR-

ARBOREN. Plura in Diœcesi Arboren. Regni Sardiniæ extant privata Oratoria in Sæcularium Domibus auctoritate Sedis Apostolicæ erecta, sed dubia plerisque visa est intelligentia illius clausulæ, quæ in Indultis his verbis concepta legitur = *Volumus, ut Familiares servitiis tuis non necessarii præter supradictos, ibidem Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiis, diebus festis de præcepto, minime liberi censeantur* = Dubitatum quippe est, an nomine *Familiarium* ii omnes intelligi debeant, qui diu, noctuque apud Dominos permanent, ejusque domus servitio, ac ministeriis addicti sunt, seu potius comprehensi tantummodo censeantur Familiares, qui Sacerdoti Sacrum facienti ministrant, vel Dominis Missam audientibus inserviunt. Cum itaque Vicarius Generalis ad consulendum Animarum tranquillitati, verum eorumdem verborum sensum sibi ab EE. VV. aperiri humillimè efflagitet, nonnulla hic pro meo munere adnotanda duxi. *Sess. 22. Decret. de observ., & evit. in celebr. Miss.*

Ac primò quidem animadvertere præstat, eos verè Familiares appellari, qui alicujus expensis tanquam domestici, & commensales continuò vivunt *cap. Sicut 12. de verb. signific. in 6.*. Hinc duo potissimum requiruntur, ut quis tanquam Familiaris meritò haberi possit, scilicet, ut ejus, cujus Familiaris dicitur servitiis sit addictus, & quod illius vivat expensis *Mascard. de probat. conclus. 755., August. Bero quæst. 33., Tuschus litt. F. conclus. 70. num. 11.*. Ad veram tamen, propriamque familiaritatem acquirendam, non est absolutè necessarium, ut quis assiduè in eadem cum Domino habitatione moretur, alias nec Villici, nec Œconomi, nec alii quamplures Domino verè famulantes, sed extra illius domum permanentes, Familiares revera dici possent, quod tamen falsum omnino esse constat exemplo nonnullorum Familiarium tum Summi Pontificis, tum S.R.E. Cardinalium, tum etiam Romanæ Curiæ Præsulum, aliorumque Principum, & Magnatum, qui familiaritatis titulo non modicis fruuntur prærogativis, quamvis illorum Palatia non inhabitent, & illuc solum accedant, cum necessitas urget proprii famulatus officia exhibendi *Gattic. de Orator. domest. cap. 25. num. 13. & 14.* Illudque tantummodo intercedit discrimen inter eos, quos *Familiares* absolutè dicimus, & eos, quos *Familiares Domesticos*, *seu Domesticos* simpliciter appellamus, quod scilicet *Domestici* dicantur, qui sub eadem cum Domino habitatione versantur, *Pasqualig. quæst. 653. num. 3., Barbos. appellat. 78.*, aliique apud *Pignattell. tom. 6. consultat. 99. num. 104.* *Familiares* autem, qui proprio Domino assidue famulantur *Gattic. loc. sup. cit.*

Necesse tamen est, ut qui Familiares dicuntur, Dominorum vivant expensis; atque idcircò Familiares appellari quoque solent *Dominorum Commensales*, *seu Domestici Commen-*

menſales citat. Cap. Sicut de verb. ſignif. in 6.; quia illorum impenſis nutriuntur, ab eiſque alimenta, vel certam pecuniæ quantitatem alimentorum loco recipiunt. Quod ſi quis mercedem aliquam accipiat, ut nonnulla identidem præſtet ſervitutis officia, quæ quidem merces pro victu non ſufficiat, tunc Familiaris proprié non dicitur, ſed ſolum cenſetur operas ſuas locare pro ſervitio, pro quo mercedem recipit *Paſqualig. quæſt. 657. num. 7.*, *Pignattell. loc. ſup. cit. num. 106.*, *Gattic. ibid. num. 15.*

His itaque ad prædictorum verborum ſenſum inveſtigandum opportunè præmiſſis, varias referre juvat Doctorum opiniones, qui de hiſce Indultis egerunt. Jacobus Pignattelli *loc. citat. num. 107.*, poſtquam animadvertit eos quoque *Familiares neceſſarios* dici, qui ſunt convenientes, & utiles habita ratione conditionis Domini, cui inſerviunt, eo quia ſervitium non ſit omnino neceſſarium reſpectu Domini, ſed tantum conveniens, & utile, ac neceſſitas, & utilitas in jure æquiparantur *Cap. In cauſis de rejudic.*, *Innocent. in cap. Cum omnes de Conſtit.*, addit, prædictam clauſulam intelligendam eſſe de Familiaribus neceſſariis tam pro ſervitio perſonali, quam *pro ſervitio communi domus*, proindeque neminem excludi ex iis, qui ſunt in aliquo actuali ſervitio *concernente domum privilegiati*. Ait enim excluſionem eorum, qui ſervitiis privilegiati non ſunt neceſſarii, non convenire exhibentibus quocumque modo famulatum, quod in illius ſervitium redundet: Qualemcumque autem famulatum in privilegiati ſervitium redundare aſſerit, & ideo poteſt de ipſis verificari, quod ſervitiis ſint neceſſarii.

Eidem fermè ſententiæ adhæſit *Card. Petra ad Conſtit. 8. Honorii III. ſec. unic. num. 63.*, qui pariter affirmat, neceſſitatem, de qua in ſupradicta clauſula ſermo eſt, ſumendam eſſe non ſolum reſpectu Domini, quia certe vel nullus, vel unus tantum Familiaris requireretur, ſed reſpectu totius Domus: Neque ſpectandam neceſſitatem phyſicam, & quoad Miſſam, quia privilegiatus tempore Miſſæ nullo indiget Familiari, niſi fuerit egrotus, ſed reſpectu Domini, & quidem inſpecta morali neceſſitate. Notat tamen excludendos eſſe Famulos ruri degentes, quidquid dixerit *Paſcuccius in compend.*, *& Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 5. cap. 10. num. 59.*, nec non Famulos, qui ſervitio Domini tempore Miſſæ non ſunt actu neceſſarii, ut ſunt Aurigæ, & hujus conditionis alii. Diverſimodè tamen dicendum ſuſtinet de Ephebis, ac de Ancillis, quæ ſuarum Dominarum ſervitiis actu neceſſariæ cenſentur, ne debito comitatu priventur, quia non ſolum reſpectus haberi debet ad perſonas, ſed etiam ad Domos, ne a Domeſticis derelicta remaneat.

Hanc

Hanc tamen ſententiam minimè ſequendam exiſtimarunt alii, quos inter *Monacell. formul. legal. tom. 2. tit. 13. form. 2. num. 32., & ſeq., & Gatticus loc. cit. cap. 25. §. 10., & ſeq.*, quibus viſum eſt, Apoſtolicum Indultum non ita latè, & contra mentem Pontificis eſſe intelligendum. Fatentur quidem, verba Indulti, comprehendere Familiares Privilegiatorum decori intervenientes; Negant tamen inferri inde poſſe, quod Familiares omnes neceſſariis addicti ſervitiis, abſque ullo penitus diſcrimine, & etiamſi moralis ſaltem famulatus neceſſitas tempore Sacrificii non urgeat, præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis, in ſuorum Dominorum privato Oratorio adimpleant. Id autem ex eo arguunt, quod licet prius quam ad Pontificatum eveheretur Innocentius X., quoad Familiares ſervitiis non neceſſarios uſurpari minimè conſueverit particula *actu*, ab eo tamen tempore adhiberi cœpit in hunc modum = *Volumus, quod Familiares ſervitiis tuis actu non neceſſarii* = Cumque id non ſufficeret ad circumſcribendam, cohibendamque nimiam Indulti extenſionem ad eos quoque Familiares, quibus haud mens erat Romani Pontificis privilegium indulgere, additum deinde fuit = *actu tempore Miſſæ* = Hinc deprehendi aſſerunt, eos tantum Familiares Indulti fore participes, qui tempore Miſſæ neceſſarium famulatum, ſpectato etiam convenienti Perſonæ privilegiatæ decore, actu præbent, proindeque alia quæcumque neceſſaria ſervitia, extra tempus, quo Miſſa celebratur, ad Indulti participationem Familiaribus non ſufficere.

Quamobrem exiſtimat *Gatticus loc. cit. §. 23.* tutò poſſe deputari unum Familiarem tanquam neceſſarium ad inſerviendum Sacerdoti celebranti, cum neque Privilegiatus, neque illius Filius, aut Conſanguineus, aut Affinis hoc munus ſuſcipere teneatur; ac tutò quoque admitti poſſe ad Indulti fruitionem alium Familiarem, cum ad omnes eventus unus ſaltem Famulus ſervitio Domini neceſſarius prudenter judicetur: Vel ſi fœmina privilegiata fuerit, una ſaltem Ancilla, quæ actu ſervitio Dominæ ſuæ parata ſit: Quod ſi Indultum duobus fuerit conceſſum, quamvis unus tantum ad decorem, & ſecuritatem ſufficiat, admitti etiam poſſe duos Familiares, prout in Indulto duabus nobilibus Fœminis Romanis, Amitæ videlicet, ac Nepoti conceſſo, die 31. Julii 1673. Clemens X. permiſit: Ac demum non excludi alium Familiarem pro Affinibus, & Conſanguineis Sacrificio intereſſentibus, dummodo Privilegiatus omnium Domeſticorum curam habeat, & Supremus ſit totius Familiæ caput, ac moderator: nec diffitetur, inſpecto cujuslibet privilegiati decore, pro varietate Locorum, temporis, & Dignitatis Perſonarum, plures exigi, & Indulto gaudere poſſe Familiares, qui propriis Dominis ſemper aſſiſtant: Obſervat inſuper cum *Card.*

Petra loc. cit. alicubi decentiam Nobilis Matronæ Domi commorantis requirere, ut præsto aliquis habeatur Ephebus, præter Ancillam eidem proximè famulantem, & alicubi etiam Domus Præfectum desiderari, ut notat *Pasqualig. quæst. 658 num. 9.* Hos quoque, concludit Gatticus, tempore Missæ intelligi posse actu necessarios.

Quia verò nulla hac de re constans, ac generalis regula tradi potest, hinc *Monacellus in citat. supplem. num.* 487. maximè commendat Locorum Ordinarios, qui in exequutione Apostolici Indulti, ubi nullus præfinitus fuerit inservientium numerus, pro securitate conscientiæ privilegiati, ejusque Famulorum, illum præfiniunt, juxta qualitatem Familiæ Indultarii, prout servitio Domini tempore celebrationis Missæ videtur necessarium. Advertit dictus Auctor *tom. 2. tit. 13. form. 2. num.* 34. perperam a nonnullis objici consuetudinem admittendi ad Indulti participationem familiares omnes Privilegiati servitio addictos, ea ducti ratione, quod hujusmodi consuetudo vigeat etiam in Urbe, ideoque tacita Pontificis dispensatio intercedere cènseatur. Adversus hos invehit, & respondet, quod argumentum desumptum ex præsumpta Romani Pontificis scientia, & approbatione nimis probaret, quia tolerantia, seu patientia, qua Princeps mala dissimulat, vel quia non deducuntur in judicium, vel quia non probantur, vel ex aliis prudentialibus causis, non benè dicitur approbatio, nec per hoc dispensare præsumitur, cum ad effectum dispensationis non ficta, vel præsumpta, sed certa, ac vera scientia requiratur.

Addit, quod juxta decretum Concilii Tridentini *sess. 22. de evitan. in celebr. Miss.*, Missa in Ecclesia celebrari, & a Fidelibus audiri debet, proindeque Indultum Oratorii privati uti odiosum, & Divino cultui præjudiciale strictè debeat interpretari, prout notat etiam *Fagnan. in cap. Non licet num. 13. & 14. de præbend.*, unde infert, quod cum Pontifex personas designet, quibus Indultum concedere intendit, expresse idcircò declaret, illud suffragari non posse Famulis actu non necessariis. Denique contendit, tunc solum locum habere observantiam legis interpretativam, cum ex rationabili causa fuit inducta, nec satis liquet de spiritu, & fine legis, utpote quia verba ambigua sint, & apta interpretationem recipere; secus verò quando verba aperta sunt, ne de spiritu, & fine legis dubitari potest, quia in isto casu contrarius non usus non excusat, sed requiritur scientia certa, & consensus Legislatoris, ut a legis dispositione recedatur.

Cæterum, idem Auctor *in supplement. ad tom. 2. num.* 488. hanc adhibendam existimat distinctionem, videlicet: Aut Oratorium privatum concessum est in Domo habitationis Civitatis, vel Castri, ubi adsunt publicæ Ecclesiæ,

siæ, & tunc Famuli, & Ancillæ servitio Domini tempore celebrationis Missæ actu non necessarii, excusari non possunt ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia: Aut verò concessum est in Domo ruri constructa, & in isto casu excusari possunt si Ecclesia ultra dimidium miliaris distet, quia propter distantiam servitio Domini præjudicium inferretur; exemplo Regularium, qui (nisi contraria adsit consuetudo) non tenentur, nec cogi possunt accedere ad publicas supplicationes, si eorum Monasteria ultra dimidium milliarii a Civitate distent *Laurct. de Franch. part. 1. num. 64.*, *Passerin. de stat. Hom. tom. 3. quæst. 189. artic. 10. num. 1000.*, *Piasec. in prax. part. 2. cap. 3. art. 6. num. 51.*, ubi refert decretum Gregorii XIII., de quo testatur etiam *Fagnan. in cap. Grave num. 55. de offic. Ordin.*. Eademque ratione, ob magnam pluviam, propter itineris asperitatem excusari possent Familiares ab adeunda Ecclesia, etiamsi magis proxima esset, nec ultra dimidium milliari distaret.

Hæc sunt varia Canonistarum placita, quæ hac super re datum fuit colligere; operæ prætium nunc erit aliquantis per immorari in iis, quæ ab hac Sacra Congregatione præscripta sunt. Inter cæteras conditiones in Indultis habendi privata Oratoria adjiciendas, sequens quinto loco recensetur, nempe, *ut qui ibidem Missas audierint, non liberentur ab obligatione accedendi diebus præcepti ad Ecclesiam pro Missis audiendis, præter eos famulos, & famulas tantum qui servitio Domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarii*, quemadmodum constat ex *tom. 26. Positionum fol. 192.*, & apud *Fagnan. in cap. Auctoritate de censibus num. 22.* Hoc autem in loco nec clausula *actu*, neque alia *tempore Missæ* fuit adhibita, quæ quidem clausulæ adhiberi deinceps cæperunt a Romanis Pontificibus, ut ab Indulto excluderent *Familiares Dominorum servitiis tempore Missæ actu non necessarios*. Inquirendum proinde primo loco est, an Indulta, in quibus desunt eædem clausulæ (cujusmodi sunt illa, quæ refert Vicarius Generalis Arboren.) magis latè intelligi, & explicari debeant, ut scilicet Familiares quoscumque Dominorum servitiis addictos comprehendant. Quatenus vero eodem modo intelligi, eademque interpretatione donari debeant Indulta cum iisdem clausulis, vel sine illis concepta, inquirendum præterea videtur, qui nam Familiares ab Indulti fruitione excludantur, quique dicendi sint Dominorum servitiis tempore Missæ actu necessarii.

Qua quidem in re præter verborum indolem, naturam, ac proprietatem, perpendere juvat, quod si res sit de privilegio *præter legem*, locum sibi vindicare poterit vulgatissima illa *reg. 15. juris in 6.*, quod *odia restringi, & favores convenit ampliari*, nec non alia, quæ traditur in *Cap. Olim de verb. signif.*; quod *Beneficia Principum* sunt interpretanda

da largiſſimè. Si verò ſermo ſit de privilegio *contra legem*, jura omnia poſtulant, ut potius ratio habeatur legis, quæ commune bonum reſpicit, quam peculiaris alicujus hominis, vel Familiæ privilegii; atque idcircò ſtricta adhibenda ſit interpretatio, qua nulla in parte a verborum proprietate recedatur, & minus quam fieri poteſt lædatur rigor legis, quæper privilegium relaxatur. De jure communi *Cap. Conſecrationem* 1., *cap. ſicut* 11., *& cap. Unicuique* 23.; ac de mandato Concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *de obſerv., & evit. in celeb. Miſſ.* in Eccleſia Miſſa celebrari, & audiri debet.

Quoniam verò in veroſimile eſt, ut aptiſſimè notat etiam Gatticus *loc. ſup. cit. cap.* 25. *num.* 19., quod Romanus Pontifex, dum in conceſſione indulti reſpexit ad Familiares Privilegiatorum ſervitiis neceſſarios, præ oculis non habuerit neceſſitatem, quæ ex iſtorum gradu, ac conditione promanat; maximè cum non præſumatur, eoſdem Privilegiatos in tanta conſtituere voluiſſe neceſſitate, ut nonniſi cum gravi incommodo privilegio uti valeant, hinc dubitari non poſſe videtur, quin non obſtante ſtricta, ac rigida privilegii interpretatione, de qua ſupra ratio habita eſt, Familiares neceſſarium Dominis præbentes ſervitium, inſpecto etiam iſtorum decore, ac conditione, Apoſtolici Indulti verè participes efficiantur, & præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis ſatisfaciant, ſi illam in privato ſuorum Dominorum Oratorio audierint. Hujuſmodi Pontificiæ indulgentiæ, ac paternæ voluntatis argumentum habetur in Cap. Licet de Privilegiis in 6., ubi hæc leguntur = *Cum conceditur ſingulari Perſonæ, ut modo præmiſſo* (nempè januis clauſis, excluſis ex communitatis, & interdictis) *tempore interdicti celebrare valeat, vel audire Divina, ejus Familiares domeſtici ad audiendum cum ea, & celebrandum ſibi divinum officium licitè admittuntur. Non ſic autem in familiaribus alicujus Conventus, ſeu Collegii eſt cenſendum: Illi enim niſi privilegiati fuerint, admitti non debent* = Hoc porrò loci Bonifacius VIII. proſpexit decori, & Privilegiatorum dignitati tempore interdicti, quo tempore, privilegio participes fore declaravit familiares Domeſticos, eos nempe, qui ſemper in alicujus domo morantur, & neceſſarii exiſtimantur, ut convenienti decore Dominus ad Eccleſiam accederet. Diverſimodè autem cenſuit de aliis Famiaribus ad comitatum non neceſſariis, quos idcircò a privilegii participatione excluſit.

Denique prætereundum non eſt, quod cum *die* 31. *Julii* 1706., propoſitum S. Congregationi fuiſſet dubium in *Anximana Oratorii privati*, in cujus Brevi appoſita fuerat hæc clauſula = *Volumus autem, quod Familiares ſervitiis tuis tempore d. Miſſæ actu non neceſſarii &c.*, & quæſitum fuiſſet = *An in*

eum

vim dicti Brevis satisfaciant præcepto Missæ in diebus festis omnes famuli commensales, & qui nam, in casu &c. = rescriptum fuit = *Dilata juxta mentem* = *lib. decret. 56. pag. 253.* Mens autem fuit, ut *Orator peteret declarationem a Papa*, quemadmodum refert *Monacell. tom. 4. supplem. ad tom. 2. nu. 487.* Atque hæc animadvertenda duxi, quia conferre posse existimavi ad resolutionem dubii propositi a Vicario Generali Arboren., in cujus Diœcesi plæraque privata Oratoria erecta sunt vigore Brevis Apostolici, continentis hanc clausulam in principio relatam = *Volumus, ut Familiares servitiis tuis non necessarii præter supradictos, ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiis diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur* = Supereſt itaque, ut EE. VV. dijudicent.

An, & qui Familiares in vim dictæ clausulæ satisfaciant præcepto Missæ in diebus festis in casu &c.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI. Canonicus Martinus de Dominis Terræ Pontiani Abbatiæ Nullius trium Fontium, anno 1721. hæredem instituit Joannem Baptistam fratris filium, & in eventum ejus obitus absque filiis masculis, mandavit, ut in Patria Monasterium erigeretur sub regula S. Francisci *per comodo, e beneficio solamente di tutte le discendenti del qu. Gio. Battista Domini mio Padre tanto per linea mascolina, quanto feminina in perpetuo.* *Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

Commutata postmodum ex mente Sacræ Congregationis a Sanctissimo approbata Testatoris voluntate, Eminentissimus Comendatarius post erectos duos Canonicatus in Ecclesia Collegiata ejusdem Oppidi ita statuit anno 1745. *prosequendo mentem S. Congregationis intendimus contemporanee destinare, ac fundare duplex subsidium dotale quotannis tradendum puellis in gradu proximioribus consanguineis dicti Canonici de Dominis, quas in suo testamento prædilexit. Idcirco in executionem dictæ mentis volumus, & mandamus, ut ex reditibus bonorum assignatorum dictis duobus Canonicatibus, & re-*

& respective Canonicis, singulis annis subdantur scuta 100. *pro dictis duobus subsidiis ad ratam scilicet scut.* 50. *pro quolibet, & exactissime in fine cujuslibet anni per dictos Canonicos deponantur scuta* 50. *per primum, & alia scuta* 50. *per secundum Canonicum in Arca capitulari pro effectu illa erogandi in dotatione illarum Puellarum, quæ coram nobis docebunt de earum in gradu proximitate dicto Canonico de Dominis Fundatori.*

Dein Sacra Congregatio summa, qua pollet, æquitate tribus Puellis descendentibus a *Ioanne Baptista Seniore*, nempe *Angelæ*, *& Susannæ* Monetti, ac *Hyeronimæ Arcangeli* dotem auxit ad summam usque scut. 200., ut vel in sæculo nubere possent, vel in Domino. Hac ideo æquitate allecta *Bonaventura Felici a Jo. Baptista* & ipsa descendens occasione matrimonii contrahendi, dotem scut. 200. ex Opere pio præstandam in Capitulis matrimonialibus viro spopondit, ac deinde preces dedit, ut dos ea sibi indulgeretur. Verum auditis interesse habentibus, tres aliæ Puellæ descendentes, nempe *Cecilia*, *Maria Alexandra*, *& Maria Francisca* de Luchettis acriter sese oppossuerunt, postulantes, ut saltem ipsis quoque dos in eadem quantitate scut. 200. pro qualibet constitueretur. Nunc itaque omnibus jura sua deducentibus quæritur, quibus, & in qua quantitate dos ex dicto Opere pio præstandâ sit.

Inquit *Bonaventura Felici* Testatoris voluntatem eam fuisse, ut in Monasterio quod erigi jussit solæ reciperentur descendentes *a Joanne Baptista* seniore ejus Patre, cohærenter vero ad hanc voluntatem, descendentibus Sacram Congregationem ejusmodi subsidia dotalia præservasse. Cum itaque ipsa a *d. Joanne Baptista* descendat, ab eoque quarto tantum gradu distet, & cæteris sit proximior, sibi idcirco dotem scut. 200., negari non posse.

Advertit autem dotis quantitatem arbitrio Abbatis Comendatarii a S. Congregatione comissam fuisse, ut is, juxta rerum circumstantias, personæ qualitatem, & mensuram peculii illam constitueret. Nunc itaque favere sibi sustinet arbitrium hodierni Eminentissimi Abbatis Dotem in summa scut. 200. statuentis, vel saltem cum ex civili familia sit, Patre orbata, & bonis fortunæ destituta bonaque fide cum dicta Dote scut. 200. nuptias sibi conciliaverit, æquitatem suadere, ut usque ad dictam summam dos sibi largiatur, quanta aliis descendentibus Puellis usque nunc concessa fuit.

Neque obesse jam sibi per matrimonium fuisse provisum, cum non debuerit oblatam viri occasionem respuere, sed juri suo satis prospexerit tum pacto adjecto in Capitulis Matrimonialibus, tum consensu, ab interesse habentibus obtento ante celebratas nuptias; tum denique præcibus Sacræ Congregationi porrectis. Initum proinde con-

ju-

gium nihil de jure suo detraxisse in assequutione subsidiorum, quæ pro solis descendentibus constituta sunt, *Rot. in Aquilana Dotis* 8. *Maii* 1752. §.10. *coram cl. mem. Card. Matthejo*, & Sac. Congr. in *Nullius*, *seu Terræ Ponsani Subsidii dotalis* 1. *Martii* 1766.

Spernendam vero censet oppositionem *Ceciliæ*, *Allexandræ*, & *Franciscæ* de Luchettis asserens nullam eis paratam esse nubendi occasionem, sine qua frustra de dote quæritur; nec sibi remorandam esse dotem, ut incerto, ac remoto casui occurratur, Cæterùm advertit ex deposita quotannis summa scut. 100. modo superesse debere cumulum sc. 1900., ex quo tum sibi, tum aliis abunde consuli potest, assignata dote scut. 200. pro unaquaque.

Contra *Cecilia*, *Allexandra*, & *Franciscæ* de Luchettis inquiunt, se quoque descendere a Jo: Baptista de Dominis, & quarto gradu eidem esse junctas, provectam agere ætatem annorum 27., & 30., ac promptas, paratasque habere nuptias si de congrua Dote provideantur, ex clara ideo fundatoris voluntate, & Sacræ Congregationis lege dotem sibi esse assignandam.

Quantitatem vero Dotis ad scuta 200. in singulas esse augendam, ita rerum circumstantias exposcere cum sint orphanæ, summa premantur paupertate, & ætate sint admodum provectæ: depositum præterea ad conspicuam summam scut. 1800. ascendat, & singulis annis in scutis 100. fit augendum: nec aliæ puellæ ex descendentia concurrant, immo in decursu 23. annorum vix tres adfuerint: æquitati proindè consonum esse, ut congrua dote scut. 200. donentur, cujus ope honesto viro nubere possint. Maxime quia in eadem quantitate semper dos fuit aliis puellis descendentibus constituta; & pro eadem quantitate judicium Emi Abbatis intercedit.

Perperam vero *Bonaventuram* prælationem contendere, cum omnes æquali gradu a *Joanne Baptista* descendant, & illa insuper jam matrimonio juncta sit, unde nec Dote, nec augumento indigeat, ut impleatur volitus finis honestas nuptias conciliandi. Sibi ideo adhuc innuptis, a Testatore, & a Sacra Congregatione primario contemplatis, dotem prælative fore tribuendam. Nec obesse pactum in Capitulis Matrimonialibus adjectum, cum in *Bonaventuræ* potestate non fuerit, Sacræ Congregationis arbitrium coercere; Nec ullum inferri præjudicium ex defectu consensus interesse habentium a sola *Bonaventura* obtenti, cum hic necessario non requiratur, vel saltem eorumdem dissensus, utpotè irrationabilis spernendus sit. Cæterum advertunt, ex conspicuo depositi scut. 1800. singulis annis augendo abunde tam sibi, quam Bonaventuræ consuli posse, hinc non invident, Dotem scut. 200. etiam *Bonaventuræ* concedi.

Eminentiſſimus Abbas late præces adjuvat Bonaventuræ Felici neque diſſentit eamdem dotem ſcut. 200. aliis quoque puellis concedi, ut ex ejuſdem relatione, quæ inter monumenta cauſæ exhibetur. Dubitari non poteſt, quin ex d. Opere pio dos præſtanda ſit ſolis puellis deſcendentibus a *Jo: Baptiſta de Dominis*. Teſtator Monaſterium erigi juſſerat *per comodo, e beneficio ſolamente di tutte le diſcendenti dal quondam Gio. Battiſta Domini*; Et Sacra Congregatio commutata Teſtatoris voluntate, fundavit duplex ſubſidium Dotale quotannis tradendum puellis in gradu proximioribus conſanguineis fundatoris. Quantitas autem utriuſque ſubſidii Dotalis definita fuit ab Eminentiſſimo Comendatario juxta mentem Sacræ Congregationis, in ſcutis 50. pro quolibet puella.

Res modo eſt, non ſolum de aſſignando, ſed de augendo pro tribus partibus ultra præſtitutam quantitatem ſubſidio. Sane Sacra Congregatio pluries quantitatem Dotis favore conſanguinearum adauxit, dum ſic indigentia, ac paupertas expoſtulabat, ut in *Romana Applicationis legati* 20. *Septemb.* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1731., *in Camerinen. ſubſidiorum Dotalium* 8. *Auguſti* 1733., *in Panormitana ſubſidiorum Dotalium* 8. *Aug.* 1735., *in Romana* 22. *Maii* 1757., *in Narnien. Subſidiorum Dotalium* 21. *Auguſti* 1762., & præciſe in *Nullius Terræ Pontiani* 1. *Martii* 1766.

Ponderandum, an in præſenti caſu ſubſidium Dotale tribui debeat Mulieri, quæ ab anno circiter Matrimonium contraxit, cum ſubſidia dotalia ad facilius conciliandas nuptias conſtituta ſint. *Bald. conſ.* 193. *lib.* 5. *Sanchez de Matr. lib.* 7. *quæſt.* 31. *num.* 64. Notandum quod *Bonaventura* bona fide dotem ſcut. 200. in capitulis Matrimonialibus viro promiſit, & antequam Matrimonium iniret, ab intereſſe habentibus conſenſum obtinuit, ne præſentis tunc Matrimonii occaſio evaneſceret, Viden *Valenz. conſ.* 132. *num.* 22., *Lara de anniv.*, & *Capell. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 30., *Olea de ceſſ. jur. tit.* 3. *quæſt.* 8. *num.* 39.

Inquirendum, quæ nam præciſa quantitas modo depoſita extet, de qua nullibi conſtat, ut inde aſſueta æquitate, ac liberalitate omnia recte moderentur. EE. Patres ſingulis, ut aſſolent, mature perpenſis clementia, & æquitate duce dignentur reſpondere.

An, & in qua ſumma, & quibus ſit locus ſubminiſtrationi dotis in Caſu &c.

IMO.

IMOLEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Antiquissimum Præsbyterorum consortium, quod nuncupatur *Communia* erectum in Archipræsbyterali Ecclesia S.Pauli Missæ Lombardorum nunc duos, & viginti numerat Præsbiteros, quorum onus est quotidie Choro interessendi, & Divina Officia recitandi, unico tantum vacationis mense concesso. Antiquissimas quoque *Communia* hæc constitutiones habet ab Episcopo confirmatas, in quarum primo capite cautum est, *quod omnes, & singuli ejusdem Communiæ Præsbiteri teneantur, & debeant reverenter stare Cotta, Biretto induti in suo loco in Choro, dum celebrant Divina Officia, & Missam majorem, quæ quotidie in dicta Ecclesia pro Benefactorum animabus cantatur, & qui ante Benedictionem dictæ Missæ non impetrata licentia discesserint, puncteutur per dimidium diei.* *Sess.22. decret. de Observ., & evit. in celeb. Miss.*

Statutum item in cap.3. legitur, *quod quisque dictorum incipiendo a seniore teneatur cantare, seu cantari facere, si male affectus esset, Missam Conventualem, quæ sibi contigerit, ab uno prædictorum Sacerdote, & ita gradatim sequendo usque ad ultimum in numero, & qui defecerit, nisi absens, aut infirmus sit, puncteutur per tres dies de Missa non cantata,* & in cap. 17. disponitur, *quod in tempore Quadragesimæ, quando Vesperæ dicuntur ante comestionem, dies dividatur in quatuor puncta, videlicet Tertia, Sexta, & Nona unum, Missæ Conventualis unum, Vesperæ unum, & Completorium unum, & qui omnibus hisce interfuerit, unum diem lucrabitur.*

Harum constitutionum e conspectu quæstio exorta est, an Missa Conventualis, quæ ex lege statutaria ejusdem Communiæ quotidie in dicta Ecclesia pro Benefactorum animabus canitur, applicanda sit pro Benefactoribus in genere, seu potius pro Benefactoribus in specie. De mandato itaque Episcopi hæc ipsa quæstio modo judicio EE. VV. definienda proponitur.

Inquiunt Præsbiteri Consortiales, rem non esse de Collegiata Ecclesia, sed tantum Communitativa. Clare id evinci ex simplici receptione Præsbiterorum absque Canonica institutione, multoque magis ex defectu canonicæ erectionis factæ in vim privilegii Apostolici sive expressi, sive præsumpti. Arguunt ideo se nullo jure teneri ad applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere; Non quidem ex juris dispositione, quia illa tantum Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis injuncta est, non vero Communitativis, ac receptitiis *cap. cum creatura de celebr. Miss.*, *Pasqualig. de Sacrif. Miss. quæst.*88. *nu.*1., *Bened. XIV. de Sacrif. Miss. lib.*3. *cap.*8. *num.*3. etiamsi in Ecclesiis Communitativis divina Officia quotidie celebrentur *Bened. XIV. de Sacrif. Miss. lib.*3. *cap.*8. *num.*6., *& Instit. Eccles.*107. *§.*2. *num.*15., *& Rot. in Hispalen. Applicationis* 22. *Junii* 1762. *§.*6. *cor. Herrer.*

Non item ex hominis dispositione, nam Fundator Chri-

ſtopharus Martini vix ſemel in hebdomada Miſſam ſolennem præſcripſit. Inſuper Sa. Me. Paulus III. Capellaniam *Communiæ* univit cum lege tantum implendi ejuſdem onera, nempe binas Miſſas hebdomadales, & alteram cantatam in die Feſto S. Andreæ. Aliam item Cappellaniam una cum Beneficio poſtea fuiſſe adjectam, ut Præsbyteri uberius divina officia obirent; Cætera verò legata cum onere tantum celebrandi anniverſaria, & Miſſas lectas pro ipſis legantibus fuiſſe relicta. Nullibi propterea onus Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere fuiſſe injunctum, ſed tantum onus applicandi Miſſam pro Benefactoribus in ſpecie.

Hinc in nihilo obeſſe putant verba Conſtitutionum, cum ea tamquam enunciativa nullam obligationem, nec onus induxerint *cap. ſi Papa de Privileg. in 6.*. Inſuper cum ob particularia onera Communiæ fere quotidie Miſſa pro Benefactoribus in ſpecie applicanda eſſet, de hac applicatione verba generalia ſtatutorum loqui videntur, atque ſunt intelligenda, ita potiſſimum ſuadente antiquiſſima tam præcedenti, quam ſubſequta obſervantia, juxta quam nunquam pro Benefactoribus in genere miſſa fuit applicata, quæ ſane immemorabilis obſervantia ſive præſcriptive, ſive interpretative accipiatur clare, aperteque dictum onus excludit *l. 37. ff. de legib.*, *& Rot. in Calaritana Præcedentiæ 22. Febr. 1758. §. 7. cor. Ratta*.

Epiſcopus non inficiatur hanc Eccleſiam eſſe Communitativam; non vero Collegiatam: opponit tamen verba Conſtitutionum, quotidianam celebrationem Miſſæ Conventualis pro Benefactorum animabus præſcribentium, animo repetens eadem verba utpote generalia, & indefinita interpretanda eſſe de Benefactoribus in genere, ad inſtar Eccleſiarum Collegiatarum, quibus fere in omnibus hæc Communia aſſimilatur. Maxime quia id convenire videtur pietati, ac gratitudini debitæ incertis, ac ignotis Benefactoribus, ac præterea rem eſſe de Eccleſia, cujus reditus ſucceſſu temporis adeo aucti ſunt, ut modo ſinguli Conſortiales annua ſcura 60., & ultra conſequantur. Verum concludit *ſi ingenue fateri oportet, quod ſentio, hucuſque deducta non adeo me movent, ut omnem proſus ex animo meo tollant dubitationem, adeoque in hac quæſtione temperamento potius utendum eſſe cenſerem*.

Oneris Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus initium, & origo depromitur ex textu in *cap. cum creatura de celebr. Miſſ.* cumque iſtius textus diſpoſitio ad ſolas Eccleſias Collegiatas, ac Cathedrales referatur, hinc communis invaluit opinio, ſolas Eccleſias Collegiatas, ac Cathedrales teneri adquotidianam applicationem Miſſæ Conventualis proBenefactoribus in genere *Puſqualig., de Sacrif. Miſſ. qu. 88. num. 1.*, *Mondel. form. legal. tom. 3. in append. inſtit. 5. num. 18.*

num. 18., *Caval. Op. liturg. tom.*3. *cap.* 8. *de Miſſ. Convent. deciſ.* 7. *num.* 1., *Bened. XIV. de Miſſ. ſacrif. lib.*3. *cap.*8. *num.*3.

Hæc ipſa opinio communi calculo recepta, ac probata eſt, tum a Sacræ Rotæ Auditurio ut in *Hiſpalen. Applicationis Miſſæ pro populo* 22. *Junii* 1762. §.6.,& *in confirm.*17. *Junii* 1763. §.6. *coram Herreros*, tum a Sacra Congregatione, ut in *Reatina* 1. *Sept.* 1731., *in Caſſanen.*15. *Dec.*1736., & *in Piſana Applicationis Miſſæ Conventualis* 6. *Julii* 1737. tum demum in notiſſima Conſtitutione Benedicti XIV. incip. *Cum ſemper* 19. *Aug.*1744. §. *Hæc igitur*.

Quare ubi actum eſt de Eccleſiis mere Communitativis, ac Receptitiis, ſemper Sacra Congregationis eas a dicto onere Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere exemptas declaravit, ut in *Montis Faliſci Miſſæ Conventualis* 12. *Febr.* 1718.,*in Fundana applicationis Miſſarum* 2. *Octob.*1721. & *in Montis Marani Miſſæ Conventualis* 21. *Maii* 1735. Idque procedit, etiamſi ſervitium Eccleſiæ ad inſtar Cathedralium, & Collegiatarum ſit quotidianum, ut probat *Bened. XIV. de Sacrif. Miſſæ lib.*3. *cap.*8., & *Inſt. Eccleſ.* 107. §.2. *n.*15.

Hæc tamen regula limitationi ſubjacet in caſu, quo in Eccleſiis Communitativis, ac Receptitiis adſit obligatio celebrandi ex ſpeciali titulo, tunc enim quoque exurgit obligatio applicandi non ſecus ac in Cathedralibus, ac Collegiatis, niſi contrarium clare conſtet. Differunt itaque Eccleſiæ Cathedrales, & Collegiatæ a Communitativis, & Receptitiis quoad celebrationem tantum, ſcilicet quod illæ de jure tenentur ad celebrationem Miſſæ Conventualis, hæ vero nonniſi ex ſpeciali titulo.

Inquirendum eſt idcirco, an Eccleſia S. Pauli vere Collegiata ſit, quod conſtare debet ex Apoſtolico privilegio canonicæ erectionis ſive expreſſo, ſive præſumpto, vel potius ſit tantum Communitativa, ita ut ab onere Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere ſit de jure exempta. Animadvertendum præterea eſt, an ſpeciali aliquo titulo eadem abſtricta ſit ad celebrationem Miſſæ Conventualis, ita ut inde argui valeat, quod ſpeciali titulo adſtricta ſit ad applicationem pro Benefactoribus in genere.

In antiquiſſimis Eccleſiæ Conſtitutionibus cautum eſt cap. 1. *quod Præsbiteri teneantur*, & *debeant reverenter ſtare Cotta*, *Biretto induti in ſuo loco in Choro*, *dum celebrant divina Officia*, & *Miſſam Majorem*, *quæ quotidie in dicta Eccleſia pro Benefactorum animabus cantatur*: & de eadem Miſſa Conventuali fit etiam mentio in *cap.*3. & 17. Ponderandum ideo an ex obligatione celebrandi quotidie Miſſam Conventualem inferri poſſet onus illam applicandi pro Benefactoribus in genere, vel potius pro Benefactoribus in ſpecie, a quibus

ſane

sane tot onera injuncta non sunt, ut quotidie Missa sit celebranda, & canenda.

Eminentissimi Patres omnibus mature, ut assolent, perpensis, dignentur definire.

An Consortiales Communiæ S. Pauli Missæ Lombardorum teneantur quotidie celebrare Missam majorem pro Benefactoribus in genere in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

INTERAMNEN. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Interamnen. retroactis temporibus vacationibus gavisum est, quas *Conciliares* vocant, cuilibet videlicet ex Capitularibus assignato annis singulis trimestri, quo a Chori servitio abesse liceret. Verum ne Ecclesia debitis fraudaretur obsequiis, si vel omnes eodem tempore abessent, vel sollemnioribus infra annum diebus Choro non interessent, Sacra Congregatio, modum, rationemque iis vocationibus imposuit *die* 21. *Julii* 1640. declarando, *Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Interamnen. vacationibus uti non posse diebus Dominicis, & Festis totius Anni, nec diebus Adventus, Quadragesimæ, Octavarum Nativitatis, & Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi, & nunquam a servitio eodem tempore ultra tertiam partem abesse posse*, quemadmodum habetur *in lib. 16. decret. pag. 406. terg.*

Hoc tamen non obstante usus in eadem Cathedrali invaluit, ut Canonici, & Beneficiati, qui numerum duorum supra viginti simul constituunt, quocumque anni tempore vacationis dies pro libito sibi eligant, adeout mensibus autumnalibus plerique Chorum deserant, & vix duo aliquando, aut tres inter sint, qui Divinas laudes canent; Atque ita Ecclesia quandoque quasi desolata lugeat, & indecore nimis Divina officia peragantur. Ad hujusmodi evellendum abusum, atque inconveniens, unanimi Canonicorum consensu resolutum fuit, supplicem S. huic Congregationi exhibere libellum, pro commutatione servitii, ac pro facultate illud statuendi alternis hebdomadis, ita tamen, ut dierum numerus trimestre componentium, non imminuatur, sed sicuti minor erit numerus dierum vacationum divisо servitio per hebdomadas, ita ad complendum trimestre liberum iisdem sit, quibusque aliis etiam festis diebus, exceptis tantum sollemnioribus, & tempore Quadragesimæ, ab Ecclesiæ servitio vacare.

Huic

Hujc instantiæ, quæ EE. VV. judicio modo subicitur, aliam quoque addunt, qua postulant, ut toto anni tempore præfiniatur hora *vigesima prima* pro decantandis Vesperis, cum nimis incommoda sit hora vigesima, quæ modo statuta est. Ac demum efflagitant etiam, ut per modum legis sub pœna duplicis punctaturæ prohibeatur, ne quisquam excepto Canonico Pœnitentiario dum Divina officia complentur, è Choro voluntariè discedat, vel ad confessiones excipiendas, vel ad Missam celebrandam, vel ad alia negotia peragenda.

Episcopus quoad primam petitionem censet Indultum alternativæ concedi posse, *excepto tamen Quadragesimali tempore, festis Adventus, aliisque sollemnioribus primæ classis, nec non Octava Sanctissimæ Assumptionis Ecclesiæ Titularis, Octava Corporis Christi, & aliis servari solitis, quæ complent debitum, & consuetum servitium novem mensium. Fortius quia vacationes nonaginta dierum, quibus ad præsens Canonici fruuntur, juxta resolutionem hujusmet S. Congregationis in una Interamnen. sub die 21. Julii 1640. ita regulari debent, ut non omnes Canonici possint simil abesse eodem tempore, ne Ecclesia destituatur omni servitio, sed solum ea quota Canonicorum simul abesse possit, quæ videbitur arbitrio Episcopi, & Capituli, & Sanctissimus approbavit sententiam Congregationis ad se relatam, subdens Concilium non dedisse tres menses Capitulo, sed Canonicis, scilicet singulis per vices, quod meo judicio idem sonat, ac alternativè Choro interesse.* Animadvertendum hic est, quod quamvis certa sit resolutio S. Congregationis anni 1640. ab Episcopo relata, & superius transcripta, nihilominus ex regestro ejusdem S. Congregationis non constat eam fuisse a Santissimo approbatam; sed solum de hujusmodi approbatione verba facit *Fagnan. in Cap. Licet de Præben. num. 55.*, licet non explicet pro qua Diœcesi eadem resolutio prodierit.

Quo verò ad secundam petitionem, Oratorum votis annui posse Episcopus existimat. Inquit enim = *Hora siquidem vigesima, quæ ad præsens observatur pro ingressu ad Chorum, cum nimis incommoda existat, tam tempore æstivo ob intollerabiles calores, quam hyemali, & signanter Quadragesimæ ob exiguitatem intervalli a Matutino ad Vespertinum servitium, onus adimplent Canonici animo parum dispositi, ideoque debita devotione, & attentione laudes Deo minimè persolvuntur.* Ac tandem quoad tertiam ait = *Nullus est dubitandi locus, quin Canonici, & Beneficiati, præter Canonicum Pœnitentiarium, punctatura gravari debeant, si tempore Divini officii vel Missam celebraturi, vel Sacramentales Confessiones audituri è Choro discedant; id enim consentaneum est Canonicis Sanctionibus, & hujus S. Congregationis decretis.*

Agendo itaque de prima petitione, notum sanè est decretum Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 12. de Reform.*, in quo

sic

ſic ſtatuitur = *Præterea obtinentibus in iiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe; ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirant* = Aliquando tamen exurgentibus, & rationabilibus cauſis Sacra Congregatio indulſit, ut alternis vicibus, & etiam per Tertiarias Capitulares inſervirent, quemadmodum animadverſum eſt in folio cauſæ, cui titulus *Bituntina ſervitii Chori*, relata in folio *diei* 15. *Septembris* anni nuper elapſi. Videndum itaque an in præſenti caſu aut urgens, aut juſta aliqua, & rationabilis cauſa concurrat, quæ ſervitii tempus, ac modum alias præfinitum, immutandum ſuadeat. Certum in facto eſt, S. Congregationem decori Eccleſiæ jam conſuluiſſe, dum in relato decreto anni 1640. mandavit, Canonicos *nunquam a ſervitio eodem tempore ultra tertiam portem abeſſe poſſe*, quod ipſum antea præceperat in *Abulen.* 1581. *lib.*3. *decret. pag.*79. *in Senen.* 12. *Martii* 1594 *lib.*8. *dec. pag.*86. *in Valliſoletana anno* 1599. *lib.*9. *dec. pag.*74., & *in Aquilana* 17. *Junii* 1594. *lib.*8. *decret. pag.*92. *ter.*

Nihil immorari oportet ſuper ſecunda petitione, in qua agitur de ſtatuenda hora vigeſima prima toto anni tempore pro decantandis Veſperis. Sufficit enim perpendere praxim tum Eccleſiarum Vrbis, tum aliarum quoque Diœceſum, nec non cauſas ab Epiſcopo in ſua informatione relatas.

Hinc ad tertiam petitionem quod attinet animadvertere præſtat, antiqua Eccleſiæ diſciplina ſtatutum eſſe, neminì permiſſum eſſe a Choro diſcedere vel ad Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum, vel ad Miſſam celebrandam, quando Eccleſiaſtica peraguntur officia. Siquidem anno 1573. ſequens propoſitum fuit dubium = *Quia quandoque in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis ſunt aliqui Canonici, vel alii Officiales, qui in iiſdem habent Capellanias vel in titulum, vel tanquam Mercenarii; quæritur, an eo tempore, quo in dictis Capellaniis celebrant, diſtributiones recipere debeant, licet abſint a Choro, & quid de illis Canonicis, qui celebrant in eadem Eccleſia ſuæ devotionis gratia, an quando hac cauſa a Choro abſunt diſtributiones recipere poſſint, & dato quod non, quid ſi a Superiore Eccleſiæ eis injungatur; ut eo tempore celebrent?* Re autem ad Santiſſimum delata, ita fuit reſponſum = *Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex ſententia S. Congregationis Concilii declaravit; non poſſe, niſi quando ſic juſſiſſent Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujuſmodi juſſu abſtineant* = ut legitur *in lib.*13. *decret. pag.*51.

Non latuit Pontificia hæc declaratio D. Carolum Borromæum, qui in 4. *Concil. Provinc. Mediolanen. part.*2. *cap.*13.

Ita-

statuit = *Quicumque dum alicujus statæ horæ officium a Choro peragitur, Missam celebrando tunc a Choro abfuerit, illius horæ distributionis, tanquam absens particeps ne sit, ut a S. Sede Apostolica declaratum est. Id verò, nisi pro absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ Sacrificium faciant, necessitas aliquando inciderit, ut Præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem à Choro exire, a statæque horæ officio abesse Missæ celebrandæ causa jubeat, aut nisi a Sede Apostolica aliter concessum fuerit*. Hinc duplex requiritur conditio, ut ad celebrandam Missam possit Præbendatus Chorum deserere, nempe jussio Præfecti, & necessitas celebrationem expostulans.

Ab hac norma subsequutis temporibus nunquam Sacra Congregatio declinavit. Die enim 14 *Martii* 1620. definivit = *Canonicos dum horæ Canonicæ recitantur, non posse a Choro abscedere ad Confessiones audiendas, aut Missas celebrandas devotionis causa, ac qui discesserit illius horæ distributionem amittere lib.* 12. *decret. pag.* 35., Et in *Reatina* 15. *Martii* 1692., cum præter alia, quæsitum secundo loco fuisset = *An Canonici voluntarie Missas tempore Divinorum Officiorum celebrantes, & dicto tempore Choro non assistentes percipere, seu potius amittere debeant distributiones* = Sacra Congregatio respondit = *Canonicos non posse nisi illa hora ad Missas celebrandas ab eo, ad quem spectat compulsi, aut jussi fuerint* = Immò Passerinus in *Cap. Consuetudinem reg.* 10. *num.* 163. *de Cleric. non residen. in* 6. asserit, neque præcisa deputatione, neque legitimi Superioris licentia, neque consuetudine itroduci posse, ut quotidianas distributiones lucretur, qui tempore Divinorum officiorum ad celebrandam Missam a Choro abfuerit. Hac itaque de re usque a Mense Novembris anni 1664. Episcopus tunc temporis Interamnensis, in Tabella, quam ipse edidit, a Punctatoribus observanda, & in volumine Capitularium Constitutionum relata, mandavit, ut qui non finitis horis discederet, tanquam absens haberetur.

Excipitur tamen a communi lege Canonicus Pænitentiarius, de quo declaravit Concil-Trident. *sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.*, *ut dum Confessiones in Ecclesia audiet, tanquam in Choro præsens habeatur*. Idem quoque dicendum de Canonico, quem Episcopus ad Fidelium Confessiones excipiendas loco Pœnitentiarii suffecerit, ut resolvit S. Congregatio in *Lucana* 10. *Martii* 1635. Hi tamen si actuali administratione Sacramenti Pœnitentiæ non fuerint detenti, cum aliis in Choro convenire tenentur, alias distributiones amittent, ut dixit eadem S. Congregatio in *Fanen.* 24. *Januarii* 1642. *lib.* 16. *decret. pag.* 632.

Quibus omnibus ritè perpensis, doctrinæ, ac prudentiæ Vestræ Eminentissimi PP. erit decernere.

I. *An Dignitatibus, Canonicis, & Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis Interamnen. sit concedendum Indultum inserviendi Choro, & Ecclesiæ per Tertiariam in casu &c.*

II. *An præfiniri possit hora 21. pro decantandis Vesperis in eadem Ecclesia Cathedrali in casu &c.*

III. *An Canonicis, & Capitularibus ejusdem Ecclesiæ, excepto Pœnitentiario, liceat voluntariè à Choro discedere tempore Divinorum Officiorum in casu &c.*

Et quatenus negativè.

IV. *An, & qua pœna contravenientes puniri debeant in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 23. Februarii 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

SPectata EE. PP. doctrina judicabit de Cauſis, quæ tum in præcedenti folio, tum in hodierno relatæ ſunt;, ut quid juris fuerit definiatur.

BITUNTINA SERVITII CHORI.

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, etiam quoad Anniverſaria, in caſu &c.* — *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

II. *An ſit concedenda gratia explendi eadem Anniverſaria per Dignitates, Canonicos, & Capitulares, etiam per Tertiarians in caſu &c.*

Ad I. In deciſis, etiam quoad Anniverſaria, & amplius.
Ad II. Proviſum in primo, & amplius.

ARBOREN.

An, & qui Familiares in vim dictæ clauſulæ ſatisfaciant præcepto Miſſæ in diebus feſtis, in caſu &c. — *Seſs. 22. Decret. de obſer., & evit. in celebr. Miſs.*

Dilata, & exhibeatur Breve.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI.

An, & in qua ſumma, & quibus ſit locus ſubminiſtrationi Dotis, in caſu &c. — *Seſs. 24. cap. 1. de Reformat.*

Affirmativè in ſumma ſcutorum biſcentum favore Bonaventuræ Felici, & quoad reliquas arbitrio Emi Abbatis cum facultatibus.

Sess. 22. decret. de obser., & evit. in celebr. Miss.

IMOLEN. MISSÆ COMVENTUALIS.

An Consortiales Communiæ S. Pauli Missæ Lombardorum teneantur quotidie celebrare Missam majorem pro Benefactoribus in genere, in casu &c.

Negativè.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

INTERAMNEN.

I. *An Dignitatibus, Canonicis, & Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis Interamnen. sit concedendum Indultum inserviendi Choro, & Ecclesiæ per Mediariam, in casu &c.*

II. *An præfiniri possit hora 21. pro decantandis Vesperis in eadem Ecclesia Cathedrali, in casu &c.*

III. *An Canonicis, & Capitularibus ejusdem Ecclesiæ, excepto Pœnitentiario, liceat voluntariè a Choro discedere tempore Divinorum Officiorum, in casu &c.*

Et quatenus negativè

IV. *An, & qua pœna contravenientes puniri debeant, in casu &c.*

Ad I. In decisis, & servetur decretum diei 21. Junii 1640, & Episcopus incumbat exequutioni. Ad II. Arbitrio Episcopi. Ad III. Negativè. Ad IV. Esse punctandos ad formam decreti 1644.

Sess. 25. cap. 9. de Regular.

GRATIANOPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Margharita Eugenia, & Anna Sorores de Borgard proponentes, per vim, & metum a Patre incussum solemnia vota in Monasterio Sanctissimæ Annunciationis Camberiaci emisisse; & quidem earum prima etiam antequam pervenisset ad legitimam ætatem, in integrum restitui petierunt ob lapsum a professione quinquennium. Huic petitioni annuendum existimarunt Eminentissimi PP. die 15. Decembris anni nuper elapsi, qua die proposito dubio= *An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.* = responderunt = *Affirmative* = Cum autem ad tramites Benedictinæ Constitutionis iterato examini Causa sit subjicienda, ut Oratrices partæ Victoriæ confirmationem assequantur, operæ pretium arbitrantur, de actibus, quæ in partibus ge-

gesta sunt, nonnulla præmonere, ut de eorum firmitate nulla irrepere possit dubitatio. Animadvertunt itaque, omnia ritè, accuratèque adimpleta fuisse ab Episcopo Gratianopolitano, cui literæ Sacræ Congregationis pro confectione Processus *cum facultate etiam subdelegandi* directæ fuerant; ipse enim Vicarium Generalem, qui Sabaudiæ Decanus inscribitur, delegavit, deindeque singula distinctè retulit, acta transmisit, votumque suum circa petitionem aperuit.

His quoad judicii validitatem præmissis eadem retexunt, quæ de coactione, ac violentiis a Patre illatis, deque aversione a Regulari statu in præteritis scriptis proposuerant. Siquidem Maria Eugenia repugnantiam suam patefecisse contendit tum labente probationis anno, tum etiam continenter post professionem. Illius deinde nullitatem desumit quoque ex defectu ætatis, cum eam emiserit ante completum annum decimum sextum a Tridentina Synodo *sess.25. cap.5. de Regular.* ad Sacra Vota emittenda præstitutum, adeo ut professio ante eam ætatem properata nulla prorsus, & irrita judicetur, ex firmatis per *Rot. decis.175. num.11. part.1. Recen.*

Ad hunc autem defectum ætatis probandum exhibet fidem Superioriss Monasterii asserentis emissam ab ea fuisse professionem *die* 17. *Julii* 1755.. Ex relatione vero Episcopi Gratianopolitani deprehendi sustinet, ipsam natam fuisse *die* 15. *Novembris* 1739.. Neque opponi posse sequutam decursu temporis professionis ratificationem, cum post Concilium Tridentinum rarò ratificatio hujusmodi contingat *Rot. coram Merlin. decis.* 18. *num.*25., *& coram Caprara decis.*210.*num.*5.. Multoque minus induci potuisse in Puella, quæ etsi minis, verberibus, carcere diù defatigata, Monasticam vitam amplecti coacta fuerit, nihilominus contra suam professionem reclamare nunquam cessavit, *Innoc. in cap.*1. *num.*1. *de his, quæ vi, metuque causa fiunt, Navar. tit. de Regular. lib.*3. *conf.*34., *Rot. coram Seraphin. decis.*859. *num.*4, *& coram Buratt. decis.*205. *num.*15. Repetit proinde depositiones Testium, quibus probatio nititur eorum, quæ proponit.

Post hæc alia Soror Anna Maria regerit, & ipsa suam declarationem, qua repugnantiam a Religione, adhibitasque patefecit artes, ac violentias sibi illatas, ut ad profitendum cogeretur. Hanc autem declarationem magis, magisque confirmat depositione Amitæ, & Medici, nec non jurata confessione Patris, qui non solum minas, sed etiam verbera inflixit; atque hinc arguit, quod si verberum minæ gravem ingerunt metum; *Rot. decis.*1199. *num.*4. *coram Penia*, multo sanè graviorem metum intercessisse dici debet, quia minæ ad actum fuerunt perductæ.

Ad-

Addit repugnantiam quoque desumi ex Epistola scripta Oeconomo Charthusianorum; ad cujus veritatem probandam innititur depositioni Monialis Famulæ Perotin, & Monialis Perrier, a qua combustam fuisse dicit, nec non Testimonio aliarum Monialium, quæ id ipsum de auditu nunciarunt. Hujusce vero epistolæ tenorem deprehendi asserit ex iis, quæ dicta Famula Perotin, Moniales Jonch, & Rej, ac Medicus Fleury retulerunt.

Nec excipi posse, quod violentiarum, ac metus probationes non aliæ habeantur, quam quæ resultant ex confessione Patris, & depositione Consanguineorum, quia in rebus gestis intra domesticos parietes, nonnisi quam Testes domestici afferri possunt, quibus ob id plena fides adhibetur in judicio, & plurimi præsertim faciendam esse confessionem Patris, quia deponit contra proprium commodum, nam ipse filias domi recipere, eisque alimenta subministrare, vel etiam dotem, ut in sæculo nubant constituere tenetur. Perperamque etiam objici, Testes in suis responsionibus non expressisse causam reclusionis, & verberum, quia causa satis desumitur ex interrogatoriis, in quibus expressa legitur, & quibus responsio omnino cohærere, ac referri debet.

Denique inutiliter opponi, quod Oratrices pluribus annis intra claustra permanserint, & claustralia munera exercuerint; Respondent enim, per plures annos eamdem metus causam perduravisse, & dum in Monasterio permanere vel invitæ cogebantur detrectare non potuisse Communitatis officia. Quidquid autem inter angustias ipsæ egerint in illarum præjudicium retorqueri non posse, maximè quia cum Consanguineis, cum Amicis, & cum Monialibus conqueri non destiterunt, *Rot. coram Peutinger. decis.75. n.20., & seq.*

Ex alia verò parte Professionis Defensor non inficiatur, Professionem per vim, & metum emissam, nullam in professionem inducere obligationem, ut ait Apostolus 2.*ad Corinth.*, & Divus Ambrosius *de vita beata lib.1. cap.3.*; advertit tamen certas requiri, evidentesque probationes nullitatis professionis, quæ nullum dubitandi locum relinquant, ne fides Deo data immani execratione violetur, *Amayden. de Stylo Datar. lib.1. cap.12. num.13.*, *Card. de Luc. de Regular. discur.41. num.13. & seq.*, *Rot.coram Molines decis.798.num.4. tom.3. par.2.*. Insuperque probationes hujusmodi percutere debere præclusum emissæ professionis tempus, ut certò deprehendi valeat animus a professione ipsomet tempore alienus *Gemin. in Can. Quod interrogasti distinct.27.*, *Sperell. decis.79. num.56.*, *& coram Ratto decis.46. num.58.*. Et in terminis matrimonii, quod Regulari professioni assimilatur, *Sanchez. de Matrim. lib.4. disput.27. num.2.*, *Rot. in Recent. de-*

decis. 301. *num.* 28., & *decis.* 354. *num.* 12. *par.* 11.

His ergo positis infert, nullam habendam esse rationem reclusionis Oratricum in mansiunculas, vel relegationis in Helvetios, vel aversionis panditæ tum Tyrocinii tempore, tum post professionem, cum hæc omnia compatibilia sint cum libera voluntate profitendi tempore, quo professionis actus gestus fuit. Tempus hoc spectandum esse sustinet. Eo autem inspecto prosequitur, nullum apparuisse in dictis Sororibus de Borgard indicium earum voluntatis alienæ a Religione, nec signum ullum emersisse, quo conjicere valeamus vim dumtaxat incussi metus effecisse, ut extrinsecum accommodarent professioni consensum. Etenim quoad Margharitam Eugeniam observat de eo tempore loqui unum tantum Testem Franciscum Galeras, cæteros verò Testes loqui de tempore, quod vel præcessit, vel professionem subsè juxtum est. Contingere idipsum de testimonio Medici Fleury, nam is deponit dumtaxat de repugnantia pandita ab eadem Margharita Eugenia, quum ageret Novitiatum. Reliquas verò Moniales referre conquestiones in quinquennio post professionem. Infert hinc modicam fidem tribui posse testimonio Franciscí Galeras, qui de repugnantia loquitur relativè ad tempus professionis, quum inverosimile sit, Margharitam Eugeniam uni tantum Personæ suam repugnantiam patefecisse, cum unicuique eam pandere debuisset, & præsertim Episcopo, qui illius voluntatem explorare debuit, antequam illam ad professionem admitteret *Pignatell. consultat. Canon. tom.* 1. *consultat.* 372., *Rot. decis.* 798. *num.* 48. *par.* 3. *tom.* 2. *coram Molines*.

Rejiciendam verò asserit Patris declarationem, ex animadversione, quod si declarationes hujusmodi admitterentur, latissima sterneretur via fraudibus, & machinationibus, cum plures esse possint causæ, quibus Patres impellantur, ad filios a suscepto vitæ instituto revocandos. Expedire idcirco, ut ultra Parentum declarationes, aliæ etiam concurrant probationes, quæ vim, & metum, passamque coactionem ostendant, ne qui mundanis illecebris voluntariè renunciarunt, ad illas cum irreparabili propriæ animæ detrimento sacrilegè revertantur.

Nec ad irritandam Margharitæ Eugeniæ professionem rectè proferri defectum legitimæ ætatis. Quamvis enim ad hunc defectum probandum exhibeatur fides professionis, deficere tamen inquit alterum extremum consistens in præciso nativitatis tempore, neque huic probationi suppletum censeri posse ex relatione Episcopi, nam ipse non ex certa scientia testatur, sed ex depositione Testium, qui de auditu a Patre deposuerunt. Patrem verò tamquam unicum, & suspectum, fidem in hac gravissima re non mereri: Maximè quia inverosimile prorsus est, Moniales, Episcopum, & Vi-

& Vicarium Generalem Decanatus Sabaudiæ, dictam Margharitam Eugeniam ad professionem admittere voluisse, nisi eis prius de illius legitima ætate constitisset.

Quo verò ad alteram Monialem Annam Mariam, ea omnia recurrere dicit, quæ de Margharita Eugenia animadvertit, scilicet Testes non loqui de aversione a Regulari Instituto, dum Sacra Vota emisit. Despiciendam proinde Patris declarationem, utpotè suspectam, prout quoque depositionem Sororis ratione peculiaris affectionis, præcipue quia nemo asserit, reclusionem in mansiunculas processisse, ut ad profitendum cogeretur, quemadmodum necessarium esset ad irritandam professionem *Suarez de Relig. par.3.lib.6. cap.4.*, *Lessius de Just.*, *& Jur. lib.2. cap.23.dubit.2. num.40.*, *Rot. coram Cerro decis. 285. num.3.*. Rejiciendas quoque depositiones Famulæ, Amitæ, & Medici Fleury, quia non indicant repugnantiam tempore professionis panditam, & hac ipsa de causa observat nullam habendam esse rationem de Epistola scripta Oeconomo Carthusianorum, neque ullimodè probari, expressum in ea fuisse AnnæMariæ dissensum, de quo Testes solum ex auditu deponunt.

Conquestiones autem post professionem nullius roboris esse dicit ad illam irritandam, inspecto præsertim, quòd Testes vel non recordantur, an intra quinquennium emissæ revera fuerint, vel non loquuntur de professione, sed de Votorum renovatione, quæ quidem etiamsi præter voluntatem, & absque animo sese obligandi sequuta fuerit, non ideo tamen nullam reddere valuit professionem antea factam, cum procedere potuerit ex animi inconstantia, quæ professionem non irritat ad *text.in can.Quod Deo 4.caus.33.quæst.5.*, *& Cap. Cum ad Monasterium 6.de statu Monachor.*, & advertit *Bened.XIV. in Constit. Si datum. in princip.*

Concludit itaque nullo modo probari Oratricum repugnantiam de tempore professionis, quæ præterea ex permanentia, gestisque Monasterii officiis ratificata postea censeri deberet *Pignattel. consultat.145. num.40.*, *& seq. tom.1. Corrad. in prax. dispensat. lib. 5. cap. 14. num.5.*, *& seq.*, *Panimoll. adnot.1. ad decis.290. num.20.*, *Rot.in Recent.decis.370. num.10. par.9. tom.2.*. Spreta responsione, quod munera exercita fuerint ne a Monialibus contemnerentur, vel ne alimentis carerent, vel ne Pater acrius insseviret, quia si exceptiones hujusmodi admittendæ essent, nunquam tacita professionis renovatio allegari posset. Inapplicabilem verò esse, prorsusque alienam *decisionem 75. coram Peutinger.*, quia ibi certo constabat emissam fuisse professionem propter metum a Patre incussum, quod in præsenti casu non probatur.

Nihil addendum videtur iis, quæ perpensa sunt in folio ipsius Causæ distributo pro Congregatione *diei* 24. *Novembris* anni

anni elapsi, eoque proinde resumpto supereſt, ut EE. VV. definiant

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

CÆSARAUGUSTANA MATRIMONII. Ut *Antonius Patino* ex Marchionibus de Castellar declinaret impedimenta, quæ injicienda timebat a Patre, qui munere Pro-Regis Aragonum fungebatur, matrimonium absque denunciationibus, & Ordinarii licentia clam contraxit anno 1763. cum Puella *Nicolasia Blaso* Parochiana Ecclesiæ S. Laurentii Civitatis Cæsarauguſtanæ coram duobus Testibus, & Sacerdote Matthia Guillen, qui post Parochi obitum, veluti Regens, & Vice-Parochus dictæ Ecclesiæ S. Laurentii habebatur. Vulgata hujus matrimonii fama, Vir jussu Patris in Arcem, Mulier verò in Monasterium detrusa fuit; completisque deinde actis, anno 1764. ab Officiali Curiæ Metropolitanæ sententia lata fuit, irritum declarans matrimonium, tamquam initum coram non vero, proprioque Parocho. *Sess. 24. cap. 7. de Reformat.*

Interposita autem a Nicolasia appellatione ad Sacram Congregationem diu tum coram Nuntio Apostolico, tum in Regia Camera disceptare oportuit, ut appellatio effectum assequeretur: Sublatis tandem impedimentis per mortem interea sequutam tum Antonii Viri, tum etiam Marchionis Patris, Nicolasia pro suo, suæque familiæ decore, prævia interpellatione Raymundi de Patino Privigni, duo *in Congregatione diei* 10. *Martii Anni elapsi* proponi curavit dubia, *I. An constet de validitate Matrimonii in casu &c. II. An debeantur alimenta, & sumptus litis in casu;* & prodiit responsum *ad utrumque affirmative*. Viden. folium dictæ *diei* 10. *Martii*, in quo latius Causæ series describitur,

Edita hinc definitione, quod alimenta debeantur, sumptusque litis, postulat nunc *Nicolasia* contra dictum Raymundum de Patino privignum, ut alimenta decernantur a die petitionis, nempe a mense Januarii anni 1764., in annuis petiis 2000., sumptus autem litis in summa scutorum 1000.

Inquit alimenta nobili mulieri præstanda esse habito respectu ad splendorem familiæ, ad qualitatem, & dignitatem per-

ſonarum, ac pro viribus patrimonii, & quidem a die, qua petita fuerunt *Rot. coram Emerix Jun. deciſ. 644. num. 5.* Quidquid autem ſit de hæreditariis *Antonii* Viri bonis, claram tamen eſſe ſubſtinet ſubſidiariam Nurus actionem ad alimenta aſſequenda contra hæreditaria bona Marchionis Soceri, cum is in ſubſidium ad ferenda onera filio inhærentia teneatur *Coſt. de remed. ſubſid. remed. 106. num. 8.*, *Surd. de aliment. tit. 1. quæſt. 38. num. 1.*, *Rot. coram Roxas deciſ. 422. num. 8.*, & *in recent. part. 8. deciſ. 124. num. 1.*

Imo contendit hæreditaria bona dicti Marchionis Soceri principaliter obligata eſſe. Advertit enim, Socerum uſque ab initio coram Ordinario judicialiter comparuiſſe, & matrimonii validitatem impugnaſſe: defuncto autem *Antonio* Viro, Socerum proprio nomine obſtitiſſe appellationi interpoſitæ, & cauſam ad obitum uſque fuiſſe proſequutum. Hinc concludit, dictum Raymundum utpote Marchionis Soceri ſucceſſorem ad ea præſtanda alimenta teneri, quorum debitum hæreditati ejuſdem Marchionis inhæret. Multoque magis, quia idem Raymundus Privignus pingue poſſidens patrimonium cogitur, & ipſe in ſubſidium alimenta præbere Novercæ in paupertatem delapſæ *Jaſon. in auth. præterea Cod. unde Vir*, & *Uxor num. 2.*, *Surd. de aliment. tit. 1. quæſt. 40. num. 6.*

Neque excipi poſſe arbitratur, Raymundum ſucceſſiſſe tantum in bonis fideicommiſſariis, & feudalibus, nullaque bona libera ſive Patris ſui, ſive Avi poſſidere. Hoc enim aſſerit eſſe prorſus inveroſimile, cum Antonius Nicolaſiæ Vir, & Raymundi reſpective Pater munus geſſerit Tenentis Generalis Copiarum, duaſque poſſederit pingues Commendas; Marchio verò illius Genitor nobile, & æque lucroſum officium Pro-Regis Regni Aragonum exercuerit, & ditiſſimum Marchionatum de Caſtellar poſſederit annui reditus petiarum 5000. una cum geminis Commendis annuarum petiarum 9000., prætereaque ſucceſſerit in pinguem hæreditatem maternam, quæ ei reddebat annua petia 9000.. Cumque Raymundus in bonis univerſis tum liberis, tum fideicommiſſariis, tum etiam feudalibus ſucceſſerit, addere non prætermittit Oratrix, eum teneri vel ex naturali æquitate, vel ex ſubſidiaria actione ad alimenta præſtanda nobili Novercæ, quæ viduitatis ſtatum ſervavit *Surd. de alimen. tit. 8. privileg. 19. num. 5.*

Hæc autem alimenta ſibi debita eſſe contendit a die petitionis, nempe a menſe Januario anni 1764. in annua ſumma petiarum bis mille. Quoad temporis enim initium inquit, rem eſſe exploratam, alimenta deberi a die petitionis, & durante lite ſuper validitate matrimonii; & quoad quantitatem affirmat, nihil exceſſus continere petitam ſummam, ſed neceſſariam eſſe, inſpe-

ipecta indigentia, & nobilitate perſonæ alendæ, perpenſa rurſus dignitate conjugii cum Viro nobiliſſimo initi, habitoque demum reſpectu ad opulentiſſimum patrimonium Raymundi privigni, cujus reditus excedere affirmat annuam ſummam petiarum 24000.

Denique pro ſumptibus litis, non minorem ſummam ſubminiſtrandam eſſe contendit, quam ſcutorum 1000.. Advertit enim incæptam fuiſſe litem anno 1763., & plures Teſtes formiter examinatos fuiſſe, pluresque exhibitas fuiſſe allegationes, completumque in partibus voluminoſum proceſſum. Interpoſita verò appellatione diù decertatum fuiſſe tam coram Nuntio Apoſtolico, quam in Regia Camera, & demum conſcenſa Cauſa ad hanc Sacram Congregationem impenſam fuiſſe ſummam ſcutorum 339., proindeque exceſſivam haud eſſe ſummam ſcutorum 1000., ſed longe inferiorem immanibus expenſis in tam diurna lite factis, quæ paternum Patrimonium, Fratrumque ſubſtantias abſumpſerunt. Raymundus de Patino licet monitus, nondum jura ſua deduxit.

Sacra Congregatio die 10. Martii anni proxime elapſi ad Dubium *An debeantur alimenta, & ſumptus litis?* reſpondit *affirmative*. Unica igitur modo ſupereſt quæſtio, in qua quantitate præſtanda ſint alimenta, in qua ſumptus litis, & in quem debitum hoc redire debeat. Sane uſque a menſe Januarii anni 1764. inſtetit Nicolaſia coram Ordinario pro alimentorum, & ſumptuum litis ſubminiſtratione. Porro ambigi nequit alimenta ſive jure actionis, ſive officio Judicis præſtanda eſſe a die motæ litis, & multo magis a die expreſſæ petitionis *Rot. coram Bichio deciſ.71. num.29., & deciſ.82. num.16, coram Dunozett. Jun. deciſ.893. num.6., & coram Emerix Jun. deciſ.644. num.5.*

Ad determinandam verò alimentorum quantitatem, ſpectanda eſt qualitas, & dignitas perſonarum, nec non perſonæ alendæ inopia, & indigentia, ac Patrimonii vires. Præterea ad definiendam quantitatem expenſarum litis præ oculis habenda ſunt neceſſaria monumenta, vel Judex ex æquitate, ſpectata cauſæ diuturnitate, ac gravitate arbitrium interponere debet, & eam quantitatem decernere, quæ veroſimiliter erogari debuit. Hinc Sacra Congregatio in una *Cæſenaten., ſeù Forolivien. Matrimonii* 20. *Februar.* 1723. propoſito dubio = *An, & in qua ſumma ſint ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis*, reſpondit = *affirmative arbitrio Eminentiſſimi Præfecti*.

In præſenti caſu quæſtio eſt de alimentis debitis, dum adhuc in humanis erat Marchio Socer, & Antonius Vir; Ponderandum idcirco, an ad eadem adigi valeat Raymundus Privignus. Sane non conſtat, hunc hæreditatem Avitam, ac Paternam repudiaſſe, unde licet hodie datum ſit filiis

abstensionis beneficium §. *Sui autem vers. sed his Inst. de hæred. qualit.*, & *differ.* 3 cum tamen non probetur eo usum fuisse Raymundum, perpendendum est, an hic tanquam hæres Avi, & Patris habendus sit, ita ut ad omnia hæreditaria onera teneatur.

Hisce proinde, aliisque fuse inter monumenta Causæ adductis, accuratè perpensis, dignentur Eminentissimi PP. definire

An, & a quibus, & in qua summa debeantur alimenta, & sumptus litis, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus,

Sess. 21. cap. 5. de Reform., & *Sess. 24. cap. 13. de Reform.*

MACERATEN. Pius Vir Xaverius Malerbi in postremo suæ voluntatis elogio anni 1752., relicto certorum bonorum usufructu Theresiæ conjugi, Petro germano fratri, & Jacobo consobrino, ex reliquis bonis erigi jussit in Ecclesia Parochiali S. Georgii Civitatis Maceratensis quinque beneficia, seu Canonicatus, nec non duo beneficia minoris gradus. Cessato autem usufructu ex bonis eidem suppositis septem Canonicatus in eadem Ecclesia institui mandavit.

Onus imposuit omnibus beneficiatis interessendi collegialiter in Choro, Cotta indutis, & ad instar Ecclesiæ Cathedralis recitandi, & canendi horas canonicas omnibus diebus festis, aliisque expresse nominatis: interessendi insuper supplicationibus, concionibus quadragesimalibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis ab Archipresbytero peragendis: singulis præterea onus indixit unius Missæ hebdomadalis in d. Ecclesia, nec non solvendi annua scuta tria eidem Archipresbytero Ecclesiæ S. Georgii *per l'incomodo, consumo de paramenti, e per qualsivoglia altra causa*. Jus vero nominandi reliquit Præposito Collegii S. Pauli, Rectori Collegii Societatis Jesu, & Guardiano Cappucinorum. Demum in executorem Testamentarium elegit Archiepresbyterum pro tempore dictæ Ecclesiæ S. Georgii.

Vita functo Testatore diù protracta fuit beneficiorum erectio ob graves, quæ exarserunt lites inter Executorem Testamentarium, & Cosimum Malerbi ex defuncto fratre Testatoris nepotem, quæ tamen postea solemni concordia a Sacra Congregatione Episcop., & Reg. approbata extinctæ fuerunt, in eaque cessa fuit dicto Cosimo conspicua summa scutorum 6286.. Sublatis itaque controversiis cum non exi-

exigua hereditatis imminutione, actum inde est de Beneficiis erigendis, eisque juxta Patrimonii vires reducendis ad quinque Canonicatus, seu beneficia majoris gradus, & ad duo gradus inferioris.

Ad legitimam autem beneficiorum erectionem peragendam omnibus interpellatis interesse habentibus, Archipresbyter hodiernus d. Ecclesiæ S. Giorgii non aliter, quam sub variis conditionibus consensum præstitit, & primo quidem, ut Archipresbyteratui unum ex Beneficiis majoris gradus perpetuo uniendum foret, II. ut Archipresbyter pro tempore primum locum inter Beneficiatos haberet, III. ut ad eumdem privative exarcitium pertineret functionum Parochialium, IV. ut dum actu curæ exercitio esset detentus, punctaturæ non subesset, V. ut scuta tria a singulis Beneficiatis solvenda cederent dumtaxat in causam sacrorum supellectilium. Hæ vero conditiones cum a Communitate, aliisque interesse habentibus rejectæ fuerint, factum hinc est ut de earum justitia sit hodie quærendum.

Ad I. inquit Archipresbyter, sibi ut sponso, domino, & titulari suæ Parochialis Ecclesiæ S. Georgii licere consensum denegare erectioni Beneficiorum, nec se invito, ac reluctante eam fieri posse. Consensum autem præstitisse sub conditione unionis unius ex Beneficiis majoris gradus. Hanc vero unionem undique justam, & æquam esse tum in præmium præstiti consensus erectioni, tum in correspectivitatem onerum, & servitutum, quibus Ecclesia, & Archipresbyter subiiciuntur ob concessum Beneficiatis liberum exercitium suarum functionum, tum demum ob tenuitatem Prebendæ Archipresbyteralis, cui decet ut occurratur etiam ex unione beneficiorum. Idque consonum quoque esse voluntati Testatoris, qui Ecclesiam prædilexit, in ea sepulcrum elegit, beneficia instituit, & Beneficiatis onus dedit interessendi singulis functionibus Ecclesiasticis ab Archiepresbytero agendis.

Ad II. ait, Parochum in sua Parochiali Ecclesia omnes, & etiam Canonicos præcedere, *Scarf. ad Ceccoper. lib. 1. tit. 8. num. 21.*, *Piton. cons. 99. num. 72. tom. 1.* Potiori idcirco jure inter omnes principem locum obtinere debere, dum res est de beneficiis erigendis, quorum erectioni non aliter consensus præstitus fuit, quam sub expressa conditione cæteris præcedendi.

Ad III. advertit, etiam post erectionem Beneficiorum ipsum esse unicum Ecclesiæ Parochum, sibique proinde, tanquam digniori privativum competere exercitium functionum Parochialium, maxime quia sub hac expressa conditione consensum erectioni præstitit.

Ad IV. nititur claræ Concilii Tridentini Sanctioni *sess. 22. cap. 4. de Ref.*, qua decernitur, ut Parochus exercitio curæ animarum detentus tanquam præsens habeatur, late

Gar-

Garzias de Benef. part.3. cap.2. num. 335., & *Sac. Congr. in Embricen. jurium Parochialium* 23. *Septemb.*1747.

Ad ultimum advertit, juxta Teſtatoris mentem ex erectione *duodecim* Beneficiorum Archipresbyterum annua ſcuta 36. a Beneficiatis recipere debuiſſe, quibus commodè conſulere potuiſſet, tum uſui ſacrorum ſupellectilium, tum aliis ſumptibus. Nunc vero redactis Beneficiis ad ſola quinque ob hæreditatis imminutionem, licet eadem ſint onera a ſingulis Beneficiatis implenda, vix tamen annua Archipresbytero obventura fore ſcuta quindecim longe imparia ad omnes expenſas æquandas. Menti ideo fundatoris, ac æquitati convenire, ut Archipresbyter tantum ſubeat expenſas pro uſu, & renovatione ſuppellectilium, rejectis in Beneficiatos cæteris expenſis pro vino, hoſtiis, cera, inſervientium ſtipendiis, aliiſque neceſſariis.

Communitas Maceratenſis, aliique intereſſe habentes licet pluries moniti, nondum comparuerunt. Epiſcopus quæſtionem omnem judicio EE. VV. ſubmittit. Addit tamen, *quod ſi datum erat tantumodo vel renuere, vel acceptare cum omnibus oneribus, & honoribus juxta ſeriem, & tenorem Teſtamenti erectionem hujuſmodi Beneficiorum in ſua Eccleſia, in caſu recuſationis nemo ignorat, eſſe in libertate Ordinarii aliam deſignare Eccleſiam, ne diutius fraudetur mens pii Teſtatoris.*

Beneficiorum erectio maxime tendit in augumentum cultus Divini, & Catholicæ Religionis, unde fundatorum voluntati eſt ſummopere obſecundandum, ne alias retrahantur laici ab Holocauſto in præjudicium publicum, & cultus Divini, immo quam maxime expedire, ut ii alliciantur ad augendum Eccleſiarum decus, & proprias ſubſtantias erogandum in operibus piis *Lotter. de re benef. lib.1. qu.32.n.14. Lambert. de jurep. lib.1. part.1. qu.9. num.2. in fine, & Rota in Parmen. Beneficii* 28. *Janu.*1701. §. *quam quidem coram Card. Scotto.*

Et quamvis in Beneficiorum erectione conſenſus omnium intereſſe habentium exquiratur, non tamen ita neceſſarium eſt, ut nonniſi quam eorumdem conſenſu accedente erectio fieri poſſit, ſed tantum requiritur ratione proprii intereſſe, & præjudicii, ne erectio in aliorum vergat jacturam *Rot. rec. deciſ.7. num.14. part.15.*, quapropter ſi diſſenſus juſtæ, legitimæque cauſæ non ſit innixus, etiam iis invitis ad erectionem eſt deveniendum *Ceccoper. lucub. can. lib.4. num.151.*, & *Piton. diſcept. Eccleſ.99. num.7.*

Ut itaque oppoſitio, & diſſenſus attendatur, opus eſt ut undique rationabilis ſit, & fundatus in aliqua juſta, & gravi cauſa, ab quam expediat, & congruum ſit potius omittere, & perdere augumentum cultus Divini, quam juſtitiæ leges conculcare in alterius detrimentum, *Monacel. for. Eccleſ. part.1. tit.2. form.4. tit.15.*, *Franceſ. de Eccleſ. Cathed. cap.10.*

cap. 10. *num.* 2., *& Rot. in Cracovien. Canonicatus* 15. *Januar.* 1725. *§. Hinc coram Calcagnino.*

Quare Sacra Congregatio ubi actum eſt de Capitulo juſta, rationabilique cauſa diſſentiente erectioni novi Canonicatus, potius voluntatem Teſtatoris commutandam cenſuit, quam eo invito, ac reluctante Canonicatum erigere, ut in *Placentina confirmationis concordiæ* 17. *Decembr.* 1701. Contra vero ubi Capitulum injuſta, inanique de cauſa erectionem novi Canonicatus impugnavit, etiam eo renuente Canonicatus erectionem demandavit, ut in *Cæſenaten. erectionis Archipresbiteratus* 6. *Maii* 1723., *& in Firmana erectionis Canonicatus* 12. *Decembr.* 1734.

Quando autem conſenſus cum conditionibus, ut in caſu, preſtitus eſt, de iis etiam eodem modo inquiritur, num juſtæ, vel injuſtæ ſint. Juſtas ſiquidem Sacra Congregatio ſemper probavit, injuſtas vero rejecit ut in *Alatrina* 8. *Febr.* 1727., *in Sabinen. erectionis Canonicatuum* 18. *Novembr.* 1730. *in Lauretana Canonicatus* 20. *Julii* 1754., *& in Eugubina erectionis Canonicatuum* 26. *Martii* 1765. Præcipua ideo nunc inſpectio eſt, an conditiones ab Archipresbytero propoſitæ juſtæ, vel injuſtæ ſint, ita ut reiiciendæ, moderandæ, vel omnino ſervandæ ſint.

EE. PP. ſingulis pro more mature perpenſis dignentur declarare,

I. *An favore Archipresbyteri Eccleſiæ Parochialis S. Georgii uniri perpetuo debeat unum ex Beneficiis majoris gradus inſtitutis in eadem Eccleſia a bo. mem. Xaverio Malerbi in caſu, & quatenus affirmative.*

II. *An idem Archipresbyter habendus ſit tanquam primus inter cæteros Beneficiatos in caſu &c.*

III. *An ad eumdem Archipresbyterum, licet Beneficiatum, ſpectare debeat privativum exercitium functionum Parochialium in caſu &c.*

IV. *An præfatus Archipresbyter punctari debeat propter abſentiam ob exercitium curæ animarum in caſu &c.*

V. *An, & in quam cauſam cedere debeant ſcuta tria ſolvenda Archipresbytero ab unoquoque ex Beneficiatis juxta præceptum Fundatoris in caſu &c.*

ÆSI-

Sess. 23. cap. 3. de Reform.

ÆSINA CATHEDRATICI. Vacavit anno 1660. pinguis Plebania cum Cura Animarum in Oppido Montis Carotti, & Communitas illius Loci, ad quam ejusdem Plebaniæ patronatus pertinebat, supplicavit cl. me. Cardinali Cybo tunc Episcopo Æsino, ut pro divini cultus augumento, & accuratiori exercitio Curæ Animarum Parochiæ quæ, ampliſſima est, quinque, aut sex Presbyteros adijceret, qui non solum Plebanum in Animarum Cura coadiuvarent, sed etiam Divina Officia diebus festis publicè, & cum cantu persolverent. Preces has Communitatis benignè excepit laudatus Episcopus, mandavitque Vicario Generali, ut occasione Sacræ Visitationis, prævio processu informativo cum assistentia Promothoris Fiscalis, conficiendo, expositorum veritatem inquireret. Omnibus proindè ritè, accuratèque completis, etiam per exactam redituum Plebaniæ disquisitionem, Vicarius Generalis decretum edidit, quo Plebano adiunxit quinque Presbyteros, & eorum tribus onus imposuit illum coadiuvandi in administratione Sacramentorum, alteri Chori servitium injunxit, alterum denique Sacristiæ præfecit; Eisdem Presbyteris onus insuper addidit cantandi Missas, docendique Doctrinam Christianam; præcepitque demum, ut singuli, una cum Plebano, horas Canonicas in Choro recitare tenerentur. Quo verò ad reditus decrevit, ut facta favore Plebani assignatione tertiæ partis, una cum Domo Parochiali, quod reliquum esset, proportionabiliter inter Capellanos divideretur, quos omnes, comprehenso etiam Plebano, ad expensas pro Ecclesia, & Sacristia necessarias concurrere voluit. Decretum autem hujusmodi ratum deindè habuit Episcopus, illudque Sententia sua confirmavit. Ecclesia prædicta quamvis antiquiori tempore annuam quamdam præstationem unius rubri frumenti, & alterius rubri hordei Episcopo rependere soleret, nihilominus in Diœcesana Synodo anni 1727., præter hanc præstationem Episcopus compulit Plebanum, & Capellanos ad solutionem etiam scutorum quatuor titulo Cathedratici, ex quibus, scutum unum a Plebano, alia verò tria a Capellanis persolverentur. Solutio hujusmodi impleta fuit ad annum usque 1768., hoc autem anno Plebanus, & Capellani coram S. Congregatione de illa conquesti sunt, & modo postulant, ut definiantur dubia in calce transcripta. Et quoad primum, magnam vim constituunt in notula redituum, quæ Vicario Generali, & Episcopo exhibita fuit, cum adiecti fuerunt Capellani Coadjutores. In ea enim notula hæc expressa leguntur= *All'Eminentissimo Signor Cardinal Vescovo per il solito Cattedratico grano soma una, orzo soma una condotto in Jesi* = Asserunt autem, eamdem notulam coram Vicario Generali Visitatore productam, non solum fuisse Promothori Fiscali traditam, ut si quid erroris

roris in ea esset ipse objiceret, & corrigeret, sed etiam citatis interesse habentibus coram Episcopo fuisse repetitam, & istius Sententiæ insertam. Sic plane patere ex juribus extractis ex authographo documento in Secretaria Communitatis Montis Carotti asservato, quod quidem diligenter ab ipsa Communitate custoditur, cum ex eo suum Patronatum desumat. Hinc autem satis deprehendi ajunt, statutam jam fuisse Cathedratici præstationem in quantitate unius rubri frumenti, & alterius rubri hordei.

Maximè quia eadem præstatio referri non potest ad titulum *Quartæ Decimarum*, quum hæc ferè ubique quoad Episcopos in desuetudinem abierit *Piringh. in jus Can. lib. 3. tit. 39. sect. 2. §. 1. num. 40.*, *Rot. in Tricarien. Decimarum dec. 337. num. 9. coram Crescentio*. Nec Episcopis aliud quidquam hodiè debetur, præter quartam percipiendam a Parochis, aliisque Curam Animarum habentibus, cum ea reservata præsumatur in actu divisionis Parochiarum in eorum Diœcesibus facta, dummodò tamen adsit consuetudo, vel quasi possessio illam percipiendi, alias percipi ab Episcopis non debet *Cap. Quarta de præscript.*, *& Cap. cum olim de Cens.*

Hanc autem consuetudinem, seu quasi possessionem nullo modo ab Episcopo Æsino probari posse, tum quia annua solutio peracta semper fuit non ad titulum quartæ Decimarum, sed immò *per la solita impresanza*, tum quia præsumi non potest quartæ reservatio ab Episcopo facta, quoties Communitas Montis Carotti Patronatum Plebaniæ non alia ratione acquirere potuit, quam vera dotatione, & fundatione per ipsam facta ad tramites Concilii Tridentini *sess. 20. cap. 9. de Reform.*

Advertunt etiam, annuam præstationem in uno rubro frumenti, & altero hordei repugnare penitus naturæ decimæ spiritualis, quæ certa quantitate non circumscribitur, sed illimitate debetur ex omnibus fructibus, qui colliguntur. Addunt decimas ex acervo fructuum colligendas transmitti ad Episcopum non debuisse, sed in Area, & horreo communi dividi. Inferunt proinde ad titulum Cathedratici referri necessario oportere annuam frumenti, & hordei præstationem, nec illud impositione novæ taxæ reduplicari potuisse.

Nec quidquam obstare, quod Vicarius Generalis anno 1728. declaraverit, quinque ex decem Diœcesis Parochis, qui præstationem hordei, & frumenti Mensæ Episcopali pendebant, illam titulo quartæ decimarum, non autem Cathedratici tradere; Observant enim, quod non solum Vicarius Generalis suspectus censeri debet in causa respiciente interesse Mensæ Episcopalis, præsertim quia nullo documento innixus id pronunciavit, nec idcircò aliorum juribus præjudicium inferre potuit; Sed insuper addunt, eamdem declarationem referendam esse ad eam frumenti,

& hordei præstationem, quæ non titulo Cathedratici, sed nomine solitæ responsionis designata semper fuerat; ac præterea eam Vicarii declarationem pertinere ad eas Plebanias, quæ ad liberam Episcopi collationem spectare supponebantur.

Quin immò contendunt eamdem declarationem contra Episcopum retorqueri posse, cum ex ea deprehendatur ignotum ante fuisse titulum quartæ Decimarum: Insuperque certum sit, non eamdem apud omnes Plebanias fuisse præstationem frumenti, & hordei, quod repugnat titulo quartæ Decimarum, quæ ab omnibus Diœcesis Parochis exigi debuisset *Rot. in Auximana, seu Æsina Quartæ Funeralis 9. Junii 1766. §. 10., & 29. Aprilis 1767. §. 8. coram Rinaldo.*

Post hæc ad alterius dubii examen progredientes, quatenus minus firma, ac tuta viderentur, quæ supra exposita sunt, sustinent Cathedraticum ad summum deberi in quantitate duorum solidorum, seu juliorum 20., cum Plebanam Ecclesiam Montis Carotti ad annum usque 1660. unus tantum rexerit Plebanus, qui ex Concilio Romano adigi non potuisset ad solutionem majoris summæ, quam juliorum 15. Et sicuti eo dumtaxat anno additi fuerunt quinque Capellani Coadiutores, atque inter eos divisi reditus uni Plebano assignatis, cum onere contribuendi in expensas, ita eamdem Plebaniam tanquam unicam Ecclesiam habendam esse, de cujus massa plures participant, omnesque in communi solvere debere taxam juliorum viginti, in Diœcesana Synodo Æsina pro Cathedratico præfinita. Idque locum habere, etiamsi plures unius Ecclesiæ Beneficiati distinctas a communi Massa Præbendas possiderent, quæ ab unoquoque sejunctim administrarentur.

Perperamque obtici solutionem scutorum quatuor a Plebano, & Capellanis facta: respondet enim illam nec fuisse pacificam, & præterea nullum legitimum jus constituere potuisse, nam cum adversetur Concilio Romano, & Synodo Diœcesanæ, atque insuper agatur de inferendo perpetuo præjudicio Ecclesiæ, & successoribus Plebanis, ac Capellanis, consuetudo nullius est efficaciæ, nisi sit immemorabilis, seu centenaria *Rot. in Salamantina Capellaniæ 10. Decembris 1745. §. 16., & 13. Januarii 1747. §. 12. cor. Vicecomite.*

Denique contendunt ad III. restituendam vel in totum, vel in parte esse pecuniam indebitè solutam, ut alias a S. Congregatione fuit definitum.

Cathedraticum definiri vulgò solet census duorum solidorum Ecclesiæ solvendus in signum honoris, & subiectionis Cathedræ Pontificali *Concil. Rom. ann. 1725. tit. 8. cap. 4.*. Nullum sanè jus Episcopale antiquius est Cathedratico, ut ostendit Christianus Lupus, Thomasinus, nec non Be-

ne-

nedictus XIV. *de Synod. Diœcef. lib. 5. cap. 6. num. 3.*, nullumque pariter jus eſt, quod potiori privilegio fruatur, cum neque ab Epiſcopis in totum remitti, neque ullo titulo, aut immemorabili conſuetudine præſcribi poſſit, quemadmodum declaravit Sacra hæc Congregatio in *Lavellen.* 18. *Aprilis*, & 6. *Junii* 1693., ſtatuitque ſa. mem. Benedictus XIII. in *Concil. Roman. Loc. cit.*

Præſtari Cathedraticum olim Epiſcopis conſueverat vel dum Diœceſim viſitabant, vel extra viſitationem, præſertim tempore Synodi, hodiè verò exigi nequit in viſitatione, cum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform.*, Epiſcopis Diœceſim viſitantibus expreſe mandaverit, ut *caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſive ſint, neque ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios uſus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur accipiant.* Hinc quærenti Epiſcopo Terentino: An Concilium Tridentinum *cap. 3. ſeſſ. 24. verſ. Interimque*, cenſeatur ſubſtuliſſe Cathedraticum, quod ſingulis annis tam in viſitatione, quam extra exigi conſuevit ab Ordinario, Sac. Congregatio anno 1587. reſpondit: *Concilium nequaquam ſubſtuliſſe Cathedraticum, ſed illud non ſolvendum in viſitatione, ſed extra, & in Synodi celebratione, lib. 5. decret. pag. 5. terg.*

Quantitas pecuniæ pro Cathedratico ſolvenda eſt ſolidorum duorum, ſed diſputant inter ſe Doctores relati a Benedicto XIV. *loc. ſup. cit. cap. 7. num. 1.*, quæ nam ſolidi ſpecies intelligi debeat. Hinc certa, & univerſalis regula, quoad Cathedratici præſtationem ſtatui non poſſe videtur, ſed illius quantitas deſumenda eſt a peculiaribus locorum Statutis, & recepta in qualibet Diœceſi conſuetudine *Abbas in cap. Olim de cenſibus, Barboſ. de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 86. num. 84., Monacell. part. 2. tit. 14. form. 1. num. 8.*, S. Congregatio in *Sutrianen. 13. Februarii 1694.*, & in *Albinganen. 3. Decembris 1644.*, cum quæſitum fuiſſet, *in qua quantitate pecuniæ poſſet illud exigere*, reſponſum fuit = *Exigi poſſe tantum duos ſolidos juxta juris communis diſpoſitionem, & in moneta antiqua juxta illius æſtimationem, non occurrente contraria conſuetudine.*

Verum Concilium Romanum anno 1725. ſingulis ſolidis valorem tribuit unius aurei monetæ Romanæ, ac proindè duos ſolidos pro Cathedratico perſolvendos conſtituere ſtatuit julios viginti illius monetæ. Illud etiam decretum in eodem Concilio fuit: *Quod ſi forte aliquid ſub alio, vel fixorum munerum, vel xeniorum nomine offeratur, decernimus, ut ab Epiſcopis, tanquam qui non præminm, ſed honorem poſtulant, munera, & xenia recuſentur hujuſmodi, & Cathedraticum duntaxat, ſummam non excedens prædictam ab Eccleſiis*

(*non tamen Regularium*) *& a Beneficiatis ſibi ſubiectis exigatur*. Deindèque addidit, ut ab iis, *quibus ultra centum, vel quacumque in alia majori ſumma julii quindecim* ſolvantur. *Ab Eccleſiis verò ubi plures de maſſa participant, ab omnibus in communi julii viginti, ſalvis tamen conſuetudinibus Eccleſiis, & Epiſcopis magis favorabilibus*.

Hæc eadem omnia iiſdem ferè verbis expreſſa leguntur in Diæceſana Synodo Æſina habita anno 1727., & typis edita anno 1728. *part.6. cap.1. De pertinentibus ad Epiſcopi dignitatem num.3.* ubi additur: *Quod ſi fortè aliqui conſueverint munerum, vel xeniorum nomine aliquid nobis offerre, id in poſterum nolumus exhiberi*.

Præter jus Cathedratici habent quoque Epiſcopi jus *Quartæ decimarum Cap. conquerente 16. de Offic. Jud. Ordin., & cap. Quoniam 13. de Decimis*. Communis tamen eſt Doctorum ſententia, ut ſola juris aſſiſtentia ſuffulti, niſi concurrat etiam conſuetudo, non poſſint Epiſcopi quartam Decimarum percipere. Id videtur innuiſſe Alexandrum III. *Cap. de quarta 4. de præſcript.* per hæc verba = *De quarta Decimæ, & oblationis Defunctorum Clericus ab impetitione Epiſcopi quadragenaria præſcriptione temporis ſe poſſe tueri videtur: Niſi forte interim Paſtoralis Sedes caruiſſet Paſtore, qui jura Eccleſiæ ſuæ exigere debuiſſet*. Idemque erui poteſt ex *cap.1cum olim 19. de Cenſibus*. Hinc probata conſuetudine, *S. Congregatio die 30. Januarii 1723.* declaravit, quartam decimarum deberi Epiſcopo Anglonen. a Clero Terræ Carbonis, *theſaur. reſol. tom.2. pag. 272.*

His ſummatim præmiſſis inquirendum primo loco in præſenti caſu eſt, an præſtatio annua frumenti, & hordei, inſpecta tum natura decimæ Spiritualis, & quartæ Canonicæ, tum notula, in qua titulo Cathedratici expreſſa dicitur, ad quartam Decimarum, vel potius Cathedraticum referri debeat. Quatenus verò ad quartam decimarum referenda ſit, inquirendum præterea videtur, an firma remanente hujuſmodi præſtatione, novo Cathedratici onere gravari potuerint Plebanus, & Capellani, ſeu potius ea reiicienda ab Epiſcopo ſit, quemadmodum Concilium Romanum, & Synodus Æſina præcipiunt. Ac tandem videndum, an Plebanus, & Capellani habendi ſint tanquam plures de unius Eccleſiæ Maſſa participantes, ita ut ab omnibus in communi julii tantum viginti pro cathedratico perſolvi debeant.

In Congregatione particulari ſuper Cathedraticis a ſa. mem. Clemente XII. deputata, urgente Promothore Fiſcali Curiæ Archiepiſcopalis Firmanæ, contra Collegiatam Murri Vallis, quatuor *die 29. Aprilis 1731.* propoſita fuerunt dubia, quorum tria his verbis concepta erant = I. *An Beneficia, quæ ſunt ad collationem Capituli Firmani, præter ſolutionem cenſus, quam ei facere ſolent, teneantur etiam ſolve-*

re

re Cathedraticum Reverendiſſimo Archiepiſcopo. III. *An Cathedraticum jam in certa ſumma taxatum, & ſolvi conſuetum potuerit augeri*. IV. *An augumentum hactenus exactum veniat reſtituendum*, & reſponſum prodiit : Ad I. *Affirmativè*. Ad III. *Negativè*. Ad IV. *Affirmativè*. Iiſdemque propoſitis dubiis contra Collegiatam S. Elpidii, cum primo loco diſputatum fuiſſet = *An Capitulares, & Beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant Præbendas diſtinctas a Maſſa communi teneantur ſolvere Catbedraticum pro qualibet eorum Præbenda ultra Cathedraticum in communi* = reſcriptum fuit = *Negativè*. Ac repropoſita cauſa die 5. Octobris ejuſdem anni, reſolutio in omnibus fuit confirmata. *theſaur. reſol. tom. 6. pag.* 307.

In *Viterbien. Cathedratici* 7. *Aprilis* 1742. cum diſceptatum fuiſſet I. *An Canonici poſſidentes Præbendas diſtinctas, & non participantes de Maſſa teneantur contribuere in communi cum Canonicis de Maſſa ad ſolutionem Cathedratici, ſive potius uti ſinguli pro illorum Præbendis cogi valeant ad illius ſolutionem* = & quatenus affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad ſecundam, II. *An Epiſcopus teneatur reſtituere ſummas huc uſque a dd. Canonicis ſeparatim exactas in caſu &c.* reſponſum fuit. Ad I. *Negativè ad primam partem, & affirmativè ad ſecundam*. Ad II. *Satis proviſum in primo*. Notandum tamen, in hoc caſu actum non fuiſſe de Canonicatibus, ſeu Beneficiis diſmembratis ab aliqua Plebania, ſed de Canonicatibus noviter erectis, & ab aliis diſtinctis, uti reſultat ex folio illius cauſæ, quod eſt in *theſaur. reſol. tom.* 11. *pag.* 43.

Denique prætereundum non eſt, ex aliquorum ſententia verba illa Concilii Romani = *Salvis tamen conſuetudinibus Eccleſiis, & Epiſcopis magis favorabilibus* referri non poſſe ad Cathedratici quantitatem, cum alias inutilis evaderet major ex Locorum conſuetudine inducta, ſed potius ad modum ſolutionis, ita ut qui in communi ſolvere conſueverunt, ad particularem ſolutionem neque ratione ſeparatæ Præbendæ adigi valeant, ut reſpondit Congregatio particularis in dicta cauſa *Firmana* ad *I. Dub.*, & qui conſueverunt ſolvere uti ſinguli, tanquam non participantes de maſſa communi, non poſſint ſolutionem in communi explere, ut definitum fuit ab hac Sacra Congregatione in citat. *Viterbien.* pariter ad *I. Dub.*

Atque hæc ad cauſæ elucidationem animadvertenda erant, ſilente adhuc Promothore Fiſcali, qui ſæpe monitus, & diu expectatus, jura ſua deducere huc uſque neglexit. Supereſt modo, ut EE. VV. decernant.

I. *An, & quo jure debeatur annua præſtatio frumenti, & hordei Epiſcopo ab Eccleſia Montis Carotti, ejuſque Plebano, & Coadiutoribus in caſu &c.*

II. *An*

II. *An ultra dictam annuam præstationem debeatur Episcopo Cathedraticum in quantitate, & in qua summa in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

III. *An, & quomodo sit locus restitutioni solutorum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 16. Martii 1771. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes Causæ, quæ in Folio postremæ Congregationis habitæ die 23. Februarii reperiuntur descriptæ, & quarum adlata fuit discussio, in hodierna Congregatione una cum sex aliis in præsenti folio adjectis, judicium EE. VV. expectant.

CÆSARAUGUSTANA MATRIMONII. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An, & a quibus, & in qua summa debeantur alimenta, & sumptus litis, in casu &c.

Alimenta, & sumptus litis deberi a Raymundo in summa præfinienda ab Emo Præfecto.

MACERATEN.

I. *An favore Archipresbyteri Ecclesiæ Parochialis S. Georgii uniri perpetuo debeat unum ex Beneficiis majoris gradus institutis in eadem Ecclesia a bo. mem. Xaverio Malerli in casu, & quatenus affirmative.* *Sess. 21. cap. 4. de Reform., & Sess. 24. cap. 13. de Reform.*

II. *An idem Archipresbyter habendus sit tamquam primus inter cæteros Beneficiatos in casu &c.*

III. *An ad eumdem Archipresbyterum, licet Beneficiatum, spectare debeat privativum exercitium functionum Parochialium in casu &c.*

IV. *An præfatus Archipresbyter punctari debeat propter absentiam ob exercitium curæ animarum in casu &c.*

V. *An, & in quam causam cedere debeant scuta tria solvenda Archipresbytero ab unoquoque ex Beneficiatis juxta præceptum Fundatoris in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Provisum in primo. Ad IV. Provisum in primo = Ad V. Affirmativè, & cedere debeant in Causam expressam a Testatore, & ad mentem. Mens est, quod scribatur Episcopo juxta instructionem.

ÆSI-

Sess. 23. cap. 3. de Reform.

ÆSINA CATHEDRATICI.

I. *An, & quo jure debeatur annua præstatio Frumenti, & Hordei Episcopo ab Ecclesia Montis Carotti, ejusque Plebano, & Coadjutoribus, in casu &c.*

II. *An ultra dictam annuam præstationem debeatur Episcopo Cathedraticum in quantitate, & in qua summa, in casu &c.*

Et quatenus Negativè

III. *An, & quomodo sit locus restitutioni solutorum, in casu &c.*

Ad I. Deberi titulo Cathedratici. Ad II. Negativè. Ad III. Negativè.

Sess. 24. cap. 1. de refor. Matrim.

THEATINA MATRIMONII. Ætate gravis, cum masculina prole careret nobilis Vir Ignatius Leoguani Ferramosca Dux Alanni, ad consulendum propagationi familiæ, nuptias Annæ Mariæ filiæ properare curavit cum Ignatio de Dura Duce Collis Petrii & cum Puella undecimum ætatis annum vix excessisset, preces pro opportuna dispensatione san. mem. Clementi XIII. porrexit. Requisita hac super re per organum Eminentissimi Pro-Datarii Informatione Archiepiscopi Theatini, hic retulit = *Le fò presente, aver Io di persona esplorata, interrogata, ed esaminata congruentemente la medesima, e la trovo dotata d'una piena, e giusta ragione, vivendo nella debita cognizione del Sagramento, che intende ricevere col volersi unire in Matrimonio, sapendo altresì, che un tal Matrimonio sia Sagramento di Chiesa Santa, e che porta seco un perpetuo vincolo, oltre l'indissolubilità fino alla morte, oltre gl'altri obblighi conjugali, lo che tutto conosce, e intende pienamente; onde rilevasi la di lei giusta capacità, e malizia conveniente sù tal proposito, coll' inclinazione di passare alla ultimazione del Matrimonio, a cui tende la supplica da Lei segnata per la dispensa sull'età.*

Post hanc relationem expeditæ fuerunt literæ Apostolicæ dispensationis in forma Brevis Vicario Generali directæ, in quibus hæc habentur = *Discretioni tuæ &c. mandamus, ut de præmissis Te diligenter informes, & si per informationem eamdem Tibi verè, & legitimè constiterit, in hujusmodi impubere malitiam supplere defectum ætatis hujusmodi, explorata prius dictæ Annæ Mariæ voluntate, si ipsa sponte, non autem vi, metu, aut blanditiis, vel promissionibus ad hujusmodi Matrimonium co trahendum inducatur, eamdem Annam, Mariam, dummodo nullum aliud ei obstet canonicum impedimen-*

mentum , Matrimonium cum aliquo Viro . . . . . contrahere . . . . . prout juris fuerit concedas = Itaque Vicarius Generalis explorata Puellæ voluntate die 23. Martii 1759. hoc edidit decretum = *Verificato lo che doveva verificarsi , cioè , che nella persona dell' Illustre Ducheſſa Donna Anna Maria Leognani Ferramosca di Alanno prossima alla pubertà , la malizia suppliſce l'età , ed esplorata la di Lei volontà , e trovatala pronta a passare allo Stato conjugale coll' Illustre Duca D. Ignazio de Dura , non già per forza, timore , lusinghe &c. ma spontaneamente &c. concediamo licenza &c.*

Ad parcendum effusis sumptibus celebratum fuit matrimonium in Oppido Cattineani, quod est unum ex Feudis Ducis Alanni , die 9. Aprilis 1759. , quo tempore Duciſſa Anna Maria ætatis erat annorum undecim , mensium novem , & dierum viginti quinque . Post biennium eadem Duciſſa supplicem obtulit Sanctiſſimo libellum , petens , ut vel nullum declararetur Matrimonium , tanquam vi , metuque contractum , vel illud uti ratum , & non consummatum, Apostolica dispensatione dissolveretur. Remiſſis precibus ad Sac. Congregat. , auditus fuit Archiepiscopus , qui retulit , *falsum esse , & a veritate alienum prorsus quidquid in supplici libello liberè affirmatur : Mihi enim expostulanti nunquam Signo aliquo assertam voluntatis suæ alienationem & discrepantiam manifestavit dicta Sponsa D. Anna Maria Leognani ante Matrimonium contractum cum D. Ignatio de Dura ; neque Matrimonio postea inito causam aliquam dedisse metum ullum ab ipsius Sponsæ Genitore , vel ab alio quocumque incussum scio ; immo Cognatorum omnium anteriori , & posteriori consensu , & plausu Matrimonium fuisse debita forma in faciem Ecclesiæ celebratum , Sponsorumque spontanea cohabitatione posteriori approbatum , mihi non solum , sed omnibus notum est .*

Urgente autem Anna Maria , proposita Causa fuit in Congregatione diei 4. Junii 1763. , & rescriptum prodiit = *Dilata, & fiat processus per Archiepiscopum servatis servandis , & juxta instructionem* = Confecto itaque processu, Causa sub infrascripto dubio iterum proponitur .

Ex triplici capite Oratricis Patronus , matrimonium nullum esse contendit . Et primo quidem ex defectu legitimæ ætatis, quæ annorum duodecim completorum esse debebat , ex dispositione tum Juris Civilis *L. In sponsalibus* 14. *de sponsal.*, *L. Falsus* 11. *§.3.* , tum Juris Canonici *Cap. Continebatur* , *Cap. Attestationes* , *Cap. Ex literis* , & *Cap. Ubi non est de desponsat. Impuber.* , cum ea requiratur ætas , quæ secumferat discretionem ad consensum explicandum , & aptitudinem ad generandum *Gonzalez in cap. 2. num. 7. de desponsat. Impub.*, *Barbosi in cap. fin. num. 3. & 5. eod. tit.*, *Reiffenst. lib. 4. tit. 2. eod. tit. sub num. 6.*

Defuiſſe aſſerit in Anna Maria legitimam ætatem, quæ debet eſſe completa *Sanchez. de Matrim. lib.7.diſput.*104. *n.*11., *Pont. eod. tract. lib.7. quæſt.65. num.*1., *Leuren. in Jus Eccleſ. lib.4. tit.2. quæſt.* 137.. Defuiſſe diſcretionem quoque, & cognitionem; cum inter pueriles nugas tam ante, quam poſt matrimonium verſaretur. Defuiſſe etiam aptitudinem corporis, quod erat admodum exile, ac delicatum. Ex his putat aperte excludi aptitudinem ad matrimonium; nam ea ob ætatis defectum præſumi non poteſt, ſed concludenter probari debet *Fagnan. in cap. De illis* 2. *num.*20., & *ſeq. de Deſponſ. impuber.*, *Leuren. loc. cit. num.*3., *Strich. jurid. diſſert. diſputat.6. cap.*2. *num.*10. Maxime quia præmaturum Matrimonium nunquam fuit conſummatum, idque deprehendi ex utriuſque conjugis juramento, & confirmatione ſeptimæ manus propinquorum, atque ex iterata corporis inſpectione anni 1761., & 1769. ab Obſtetricibus facta.

Addit, neglectam ab Archiepiſcopali Curia fuiſſe formam in Litteris Apoſtolicis diſpenſationis præſcriptam, ut ſcilicet inquireretur, an malita in impubere ſuppleret ætatem. Neceſſarium ad id fuiſſe non ſolum inveſtigare ſufficientem judicii perſpicaciam ad conſenſum præſtandum, ſed etiam potentiam ad copulam; & tamen nullam ſuper hoc captam fuiſſe informationem, nullas admiſſas probationes, nullumque compilatum proceſſum. Hinc non verificata forma in Pontificio Brevi præſcripta inefficacem evaſiſſe diſpenſationem *Garz. de Benefic. par.6. cap.3. numer.*40., *Borboſ. vot. Canonic. lib.*1. *vot.5. num.6.*, *De Juſtis de diſpenſ. Matrim. lib.*1. *cap.6. num.*24. & 40.

Alterum nullitatis caput idem Patronus deſumit ex gravi metu per Patrem incuſſo, aſſerit enim ad extorquendum conſenſum adhibitas fuiſſe redargutiones, aſperitates, comminationes, & clamores, quæ omnia relativè ad ætatem, & conditionem Annæ Mariæ inter graves cauſas recenſentur. Quin immò ſufficere ait ſimplicem metum reverentialem erga Genitorem, & naturalem in Filia impotentiam ad contradicendum ejus voluntati *Leg.* 4. *ff. de reg. jur.*, *Fagnan. in cap. Perlatum num.*16. *de his, quæ vi, metuſque cauſa fiunt*, *Pignattel. conſult. Canon.* 77. *num.*2. *tom.* 7. Obſervat, Patrem deveniſſe ad actum adeo proximum percutiendi filiam, ut hæc fugere debuerit; & ulterius filiæ interdixiſſe acceſſum ad ſuas manſiones, pluries comminatum fuiſſe exhæredationem, ac Notario accerſito, illam ſtipulari ſimulaſſe. Hunc autem actum graviſſimam aſſerit involvere pœnam *Sanchez. de Matrim. lib.*1. *diſput.*33. *num.*9., *De Juſtis de Diſpenſ. Matrim. lib.*2. *cap.*4. *num.*9., atque idcircò graviſſimum præſeferre metum cadentem in Virum conſtantem *Rot. coram Gregor. decif.*326. *num.* 19., & *ſeq.*, *in Mantiſſ. Card. de Luc. lib.*14. *decif.*5. *num.* 3.

Immo

Immò metum perſeveraſſe tum quando Vicarius Generalis Puellæ voluntatem exploravit, tum etiam quando celebratum fuit matrimonium, cum utrique actui præſens adeſſet Pater, Filiam ſevero vultu reſpiciens. Cæterum poſt matrimonium modis omnibus Annam Mariam ſuam manifeſtaſſe abalienationem a Duce de Dura, & Patrem in exonerationem propriæ conſcientiæ, metum a ſe incuſſum judiciali confeſſione declaraſſe, qua quidem major probatio nulla dari poteſt *Barboſ. vot. deciſ. 16. num. 55. lib. 2.*, *Rota deciſ. 373. num. 18. par. 18. Recent.*. Varia inde congerit contra Baronem Dominicum Frigerio, qui ſuam depoſitionem ſuper minis a Patre Filiæ incuſſis retractavit, contenditque fidendum eidem non eſſe, tanquam mendaci, & ſingulari.

Tertium vero nullitatis caput ex eo deducit, quod neuter ex Conjugibus ſubditus eſſet Archipresbytero Loci Cattineani, ubi matrimonium fuit celebratum; cum Anna Maria in Civitate Teatina, Dux vero de Dura in Civitate Pennæ domicilium haberet. Nihilque relevare aſſerit, Pagum Cattineani iure Feudi ad Ducem Alanni pertinere, cum in eo domicilium nunquam habuerit, ſed eventualem tantùm habitationem, quæ ad effectum contrahendi matrimonium minimè attenditur *Van-Eſpen par. 2. tit. 12. de Sponſal.*, *& Matrim. cap. 5. num. 6.*, *Vrſaya diſceptat. Eccleſ. tom. 2. par. 1. diſceptat. 10. num. 41.*; Perperamque jactari licentiam a Parocho Hebdomadario Eccleſiæ Metropolitanæ Theatinæ conceſſam, cum nullum de ea verbum habeatur in autographo libro Matrimoniorum Eccleſiæ Parochialis Cattineani. Immo relata in hoc tantummodo legatur licentia P. Abbatis Prioris Aloyſii de Judice Vicarii Generalis S. Mariæ Caſanovæ; & cum hac particula cohæreat fides Matrimonii ab Archipresbytero anno 1762. extracta, nec non ejus depoſitio eo anno exarata; ac præterea conſentiat cum epiſtola ab eodem ſcripta Duciſſæ Alanni, & cum aliis teſtibus, quæ ex ore ipſius Archipresbyteri depoſuerunt.

Hinc rejiciendum putat poſterius ejuſdem Archipresbyteri teſtimonium, quo delegationem affirmavit Curiæ Archiepiſcopalis Theatinæ, & rejiciendam quoque matrimonii particulam, quæ adnotata legitur in libro Metropolitanæ Eccleſiæ Theatinæ, cum utriuſque falſitas ex allatis juribus, & Teſtium depoſitionibus pateat. Admittit præſtitum fuiſſe conſenſum a Parocho Hebdomadario ejuſdem Eccleſiæ Theatinæ, ut Archipresbyter Cattineani matrimonio intereſſet; Negat tamen, huic innotuiſſe conſenſum hujuſmodi, & delegationem, prout omnino ad Matrimonii validitatem requirebatur *De Juſtis de diſpenſat Matrim.*

lib.2. cap.19. de Matrim clandeſtin. num.87., *Pont. de Matrim. lib.5. cap.29. num.8.*; Immo ſi unus ex Contrahentibus licentiam ignoraſſet, in iſto quoque caſu matrimonium irritum fuiſſe contendit *Barboſ. in Concil. Trident. ſeſſ.24. de Reformat cap.1. num. 117.*, *Pax Jordan. lucubrat. Canonic. tit.7. de Matrim. num.87.*, *Ferrar. Bibliothec. Canon. verb. Matrimonium cap.2. num.11.*

Defenſor verò Matrimonii tuetur, nullum ex relatis nullitatis capitibus ſubſiſtere. Quo enim ad primum ait, pubertatem pro Matrimonio contrahendo conſiſtere in aptitudine ad generandum, & in diſcretione *cap. de illis 9. de deſponſat. impuber.*, ibique *Fagnan. num.2. 19. 42. & 47.*, *Urſaya diſceptat. Eccleſ. tom.5. par.2. diſcept.17. num.7.*. Utramque adfuiſſe in Anna Maria, ſatis deprehendi ex Judicio Ordinarii Theatini, ejuſque Vicarii Generalis, ad quos cognitio remiſſa fuerat. Rejiciendam proinde opinionem Medicorum, quia loquuntur tantum conjecturaliter, præſumptivè, ac de auditu ab ipſa met Duciſſa, eorumque depoſitio reſpicit tempus anterius, nempè novem menſes antequam pubertatis declaratio prodiret. Rejiciendum quoque teſtimonium Mulierum, quia earum aliquæ de mendacio, & errore ab alia Muliere convincuntur; reliquæ verò affines ſunt, & ſtricta conſuetudine cum Duciſſa conjunctæ *Rot. deciſ.550. num.3. par.1.*, *deciſ.775. ſub num.1. par.3.*, *deciſ.404. num.8. par.13.*, *& deciſ.395. n.17. par.17. Recent.*

Inutiliter etiam objici corporis recognitionem factam ab Obſtetricibus, quæ Duciſſam adhuc virginem eſſe renunciarunt. Reſpondet enim hanc exceptionem nullius eſſe roboris in præſenti caſu, & extra rem proponi, tum quia virginitas convenire poteſt cum pubertate, tum etiam quia virginitatis probatio fallax magnoperè eſt, incerta, & inconcludens *Canon. ne aliqua cauſ.27. quæſt.1.*, *& cap. cauſam 24. de probat.*; *Zach. quæſt. medico legal. lib.4. tit.2. qu.1. num.14.*, *& ſeq.*. Addit, Mulierem aptam eſſe poſſe ad generationem, quamvis conſueta ſexus incommoda non patiatur *Vanſvvieten. in Aphor. Boerhau. tom.2. §.1284.*, *Schenkius obſerv. medic. lib.4. de concept. obſerv.1.*, *& 12.*, nec aliud ad conceptionem requiri, niſi ut membra generationi deſtinata, ritè conſtructa ſint, atque diſpoſita *Aſtruc. in tract. de morb. mulier. tom.2. cap.5.*, *Haller. in comment. ad Prælect. Boerhau. de concept.*, *Marinel. in comment. ad lib. Hippocratis comment.3.*

Præterea fuſtinet, Ordinarium in exequendis Pontificiis literis diſpenſationis bene ſe geſſiſſe; Cum ad detegendam Duciſſæ malitiam, illam interrogaverit non ſolum de matrimonii ſubſtantia, deque voluntate illud contrahendi, ſed etiam de illius oneribus, obligationibus, aliiſque ſimilibus; idque patere ex verbis illis = *ſe ſapeva*

coſa

cosa era Matrimonio, ed altro = quæ quidem non ad aliud referri posse contendit, quam ad conjugale debitum, & ad malitiam, hæc vero reticeri, non autem referri decuisse apud acta publica Cancellariæ. Negat insuper, ad dignoscendam pubertatem necessarios fuisse Testes, Medicorum relationes, & confectionem processus, cum ejus cognitio, & verificatio ab uno Ordinarii judicio, & relatione pendere debuisset, *Sanchez de Matrim. lib. 6. disputat. 104. num. 29.*, *Perez de Matrim. lib. 6. disput. 37. sect. 12. num. 7.*, *Covaruv. de Sponsal. par. 2. cap. 5. num. 5.*

Quo verò ad secundum nullitatis caput, animadvertit, vim, metumque minimè probari ex adductis Testibus, vel quia extrajudiciales sunt, & idcirco rejiciendi *Benedict. XIV. Constit. Dei miseratione*, vel quia non fuerunt examinati cum interrogatoriis a Defensore Matrimonii datis *ead. Constitut. §. Quoad ordinem §. Quoad Officium, & §. Demum*; vel etiam quia sunt de fæce plebis, utpote addicti humillimis, abjectisque muneribus *cap. Litteris de Testib.*, *Farinac. de Testib. quæst. 6. num. 160.*; nec proinde audiendi, in Causa præsertim gravissima dissolutionis Matrimonii, in qua Testes debent esse omni exceptione majores *Cap. super eo, de eo qui cogn.*, *& consang.*, *& cap. 1. de consanguin.*, *& affin.*; vel demum quia sunt in dicto singulares, & de auditu deponunt *Cap. licet de Testib.*, *Rot. decis. 30. num. 4. de Fideicom.*, *coram Falconer.*, *decis. 160 num. 11. coram Coccin.*, *& decis. 559. num. 7. coram Buratt.*

Maximè quia inverosimile prorsus esse dicit, Ducem Alanni minis, terroribus, ac violentiis cogere voluisse unicam filiam, quam magnoperè diligebat, & in qua dumtaxat delicias suas, suæque senectutis oblectamenta posuerat. Et revera nihil minarum innotuisse Archiepiscopo Theatino, ejusque Vicario Generali, quorum relationibus, posthabitis aliis Testibus, deferendum omnino esse *Rot. decis. 335. num. 1.*, *& decis. 572. num. 7. coram Ludovis.*, *& decis. 328. num. 3. & 5. par. 6. Renent.*. Immo ex testimonio Baronissæ Valignani Puellæ affinis, & intrinsecæ familiaris deprehendi, illam tam ante, quam post Matrimonium hilarem, & prægaudio exultantem apparuisse.

Miratur deinde, omissum fuisse Testimonium Matris, quæ de voluntate Filiæ, vel de iftius propensione, aut aversione ad Statum conjugalem conscia præ cæteris esse debuit, idque factum suspicatur, ne veritas in lucem prodiret, & ne jactata repugnantia penitus excluderetur. Nihili autem faciendam Patris declarationem, cum in ipso nimia erga filiam dilectio præsumatur, *Farinac. de Testib. quæst. 54 num. 11.*, *& seq.*, *Rot. decis. 480. num. 8. coram Molines*: Spectatis præsertim tum decrepita illius ætate, tum morbis, quibus afflictabatur, & quorum causa mente, ac corpore pené defecerat; ipsumque ex eo etiam re-

reyciendum asserit, quia formiter non fuit auditus, quemadmodum præcipit Benedictina Constitutio, decreto irritante munita.

Denique quoad ultimum nullitatis caput observat, Matrimonium celebratum fuisse de licentia Parochi Hebdomadarii Ecclesiæ Metropolitanæ Theatinæ, nec non Vicarii Generalis, de cujus facultate concedendi hujusmodi licentiam dubitari non potest. *Fagnan. in cap. Quod nobis num. 55. de clandestin. desponsat.*, *Pax Jordan. elucubr. Canon. tom. 1. lib. 3. tit. de Matrim. num. 67.*, *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 29. num. 18.*, etiamsi extra suæ jurisdictionis limites matrimonium foret ineundum *Barbos. de potestat. Paroch. par. 2. cap. 4. num. 31. & 60.*, *Clericat. de Sacramen. Matrim. decis. 35. num. 12.*, *Rot. decis. 433. num. 2.*, *& seq. par. 14. Recent.*. Nec opus esse, ut Parocho innotescat delegatio, cum hanc scientiam minimè requirat Concilii Tridentini decretum, quod tanquam correctorium Juris naturalis, & antiquæ libertatis rigidius, quam fieri possit, intelligi debet *Perez de Matrim. disput. 40. sect. 9. num. 6.*, *& sect. 10. num. 9.*, *Boss. de Matrim. cap. 5. num. 15.*, *Rot. ad ornat. Card. de Luc. lib. 14. de Matrim. decis. 5. num. 38.*, idque exemplis evidenter demonstrari.

Cæterum de præsentatione licentiæ delegationis facta Archipresbytero Cattineani, satis constare ex istius attestatione data ad Parochum Ecclesiæ Metropolitanæ, qui in suo matrimoniorum codice illam descripsit. Nec obesse, quod delegatio transcripta non legatur in Libro Matrimoniorum Ecclesiæ Archipresbyteralis Cattineani, cum id vel ex errore, vel ex oscitantia accidere potuerit, vel etiam ex quo Archieresbyter minimè necessarium existimaverit de ea mentionem habere. Advertit, fidem libro matrimoniorum debitam non pendere a verbis per Parochum transcriptis, sed ab ipso Parocho, cui de delegatione affirmanti, plena fides adhibenda est, nec curandum, si eam in suo codice exprimere neglexerit. Prout quoque non officere ait, quod delegatio non reperiatur in libro matrimoniorum ad Curiam Theatinam transmisso, & compulsato, cum id similiter evenerit ex negligentia Parochi, ex qua nihil contra matrimonii validitatem desumi potest *Card. de Luc. de Matrim. discur. 16. num. 4. in annotat. ad Concil. Trident. discur. 26. num. 5.*, proindeque mirum non esse, si delegationis expressio desit in fide matrimonii ab eodem libro extracta, nec non etiam in Archipresbyteri depositione; multoque minus mirum esse debere, si Archipresbyter per Epistolam supplicaverit, ut matrimonii nullitas ex alio capite proponeretur, quam ex defectu Parochi, ne sua negligentia in publicum prodiret. Verum notat hanc Epistolam ambiguis admodum verbis conceptam esse, nec de illius identitate constare, cum unicus tantum testis characterem recognoverit.

Tan-

Tandem utcumque ſe res habeat, differendam rogat Cauſæ reſolutionem, & Ordinario Theatino injungendum, ut probationes à Defenſore Matrimonii in hac Cauſa deputato recipiat, quas quidem probationes deducere nequivit ob anguſtiam temporis a Vicario Generali præfiniti, nec prorogationem, pro qua ſupplicaverat, obtinere potuit.

Quamvis in Jure Canonico *Cap. Continebatur*, *Cap. Atteſtationes*, *Cap. Ex illis de deſponſat. impuber.*, & in Jure Civili *Leg. in Sponſalibus* 14. *ff. de Sponſ.*, *Leg. Falſus* 11. §. 3. *ff. quod falſo tut.* conſtituta ſit ætas pro nuptiis celebrandis, eaque in fœminis annorum duodecim completorum, in maribus vero annorum quatuordecim ſit præſtituta, quia in ea ætate pubertas præſumitur; certum tamen eſt, quandoque contingere, ut etiam ante hanc ætatem naturalis pubertas ſuperaccedat, pro qua non aliud requiritur, quam mentis diſcretio, & aptitudo ad copulam. *In cap. Puberes* 3. *de deſponſat. Impuber.* legitur = *Quidam autem ex annis pubertatem exiſtimant, ideſt eum puberem eſſe, qui quatuordecim annos explevit, quamvis tardiſſimè pubeſcat; Certum tamen eſt, eum puberem eſſe, qui ex habitu Corporis pubertatem oſtendit, & generare jam poſſit* = Et in *cap. De illis autem* 9. *eod. tit.* Alexander III. ſic reſpondit Januenſi Archiepiſcopo = *De illis autem, qui in minori ætate deſponſantur, traduntur, & conjuguntur, & proceſſu temporis divortium poſtulant, minorem allegantes ætatem . . . . reſpondemus, quod ſi ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu non debent invicem ſeparari, ſi unus in alium viſus fuerit conſenſiſſe, cum ætatem videatur ſuppleviſſe malitiam* = Hinc egregiè monet Doctor Angelicus *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *ad* 3. *Tempore contractus Matrimonii non ſolum requiri diſpoſitionem ex parte uſus rationis, ſed etiam ex parte corporis, ut ſit tempus aptum generationi*.

Definitum tamen in jure non invenitur, qua ratione, ac methodo cognoſci poſſit, utrum malitia ſuppleat ætatem. *Fagnanus in Cap. De illis de deſponſat. impuber. num.* 37. inquit = *Ordinarius receptis probationibus, & compilato proceſſu diligenter conſiderare debebit, quid ex eo reſultet* = Verum hoc in loco loquitur Auctor de diſpenſatione ab Ordinario tantummodò concedenda, ut patet ex iis, quæ ſubdit = *Si compererit, eaſdem probationes eſſe concludentes, oportebit eum pronunciare puellam habere aptitudinem ad copulam conjugalem, & ſufficientem prudentiam ad intelligentiam vinculi Matrimonialis . . . . . quo peracto liberum erit partibus Matrimonium contrahere de Epiſcopi licentia, ſine ulla Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione* = Inquirendum proindè erit, an eadem methodus adhibenda neceſſario foret a Curia Archiepiſcopali Theatina, inſpecto præſertim tenore Pontificii Brevis, in quo

quo hæc leguntur = *Ut de præmiſſis Te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem Tibi verè, & legitimè conſtiterit ..... liberè, & licitè poſſe, prout juris fuerat, eidem Annæ Mariæ licentiam Matrimonium contrahendi, pro juris fuerit, concedas* = Videndum, an hujuſmodi omiſſa methodo, contempta dici debeat forma in Literis Apoſtolicis præfinita, ita ut verè, ac legitimè compertum non fuerit, an malitia ſuppleret ætatem.

Quo verò ad præſentiam Parochi in matrimoniis contrahendis, exploratum cuique eſt, matrimonium ex jure noviſſimo contrahi non poſſe, *niſi præſente Parocho, vel Sacerdote de ipſius Parochi, ſeù Ordinarii licentia*, prout diſponit Concilium Tridentinum *ſeſſ.24. cap.1. de Reformat. Matrimon.*. Hinc Canoniſtæ, & Theologi omnes communiter requirunt, ut Sacerdos ad id delegatus ſuæ delegationis notitiam habeat, & ſicuti gratuita privilegia nec perfecta, nec vires habere dicuntur, niſi ille, cui conceduntur, de iis notitiam habeat, ita id ipſum dicendum exiſtimant de licentia aſſiſtendi matrimoniis alicui conceſſa, cum hujuſmodi licentia veluti gratuitum quoddam privilegium conſiderari poſſit. Qua in re adducunt vulgatiſſimum illud juris principium, neminem delegatum procedere poſſe ad uſum delegationis, niſi poſt acceptas delegationis Litteras.

Hanc ſententiam amplexam fuiſſe Sacram Congregationem *diebus 5. Decembris 1626., & 15. Aprilis 1628.* tradit *Sell. in ſelect. Canon. cap.21. num. 13.*, qui ex mente ejuſdem Sacræ Congregationis nullum cenſuit matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, cui facultas data fuerat a Parocho unius ex Contrahentibus, ſed ipſe hujuſmodi facultatem ignorabat. Viden. *Barboſ. in Concil Trident. ſeſſ.24. de Reformat. Matrim. cap.1. num.117., & in Summa Appſtol. deciſ. verb. Matrim. num.13., & de Offic., & poteſt. Epiſcop. par.2. alleg.22. num.130.*. Animadvertere idcirco oportet, an Archipresbytero Cattineani tributa fuerit vel ab Ordinario Theatino, vel a Parocho Hebdomadario Eccleſiæ Metropolitanæ facultas aſſiſtendi matrimonio, & an eidem Archipresbytero hujuſmodi delegatio innotuerit.

Diſſimulari tandem non debet, ſex dierum ſpatium a Vicario Generali Theatino præfixum fuiſſe Defenſori Matrimonii ad jura deducenda, & deinde ad alios ſes dies terminum fuiſſe prorogatum. Cum tamen hoc tempus eidem non ſufficeret, preces obtulit pro ulteriori prorogatione, eo quia ob temporis anguſtiam Teſtes præſto eſſe non poterant, ſed preces fuerunt a Vicario rejectæ, decretumque extitit, ut acta ad Sacram Congregationem tranſmitterentur. Quare Matrimonii Defenſor coactus fuit proteſtationem, ſeu appellationem contra hujuſmodi decretum interponere, ſibique jura coram Sacra Congregatione

ne deducenda præſervare, inquiens = *Non deſunt plures Teſtes, quorum Teſtimoniis clare evinci poteſt validitas Matrimonii, quidquid contra hucuſque ab Illuſtri Duciſſa Alanni tentatum fuerit* = Perpendendum, an ratio haberi debeat hujuſce proteſtationis, itaut dilata Cauſæ reſolutione injungendum ſit Ordinario Theatino, ut probationes a Defenſore Matrimonii deducendas recipiat.

Quid hac in re conſilii capiendum ſit, viderint Emi PP., quibus denuò proponitur dubium

An conſtet de nullitate Matrimonii, in caſu &c.

Dilata, & coadjuventur pronationes, & ſcribatur Archiepiſcopo juxta inſtructionem.

TUSCANEN. CONCURSUS. Viterbienſis, & Tuſcanenſis Eccleſiæ ſimul unitæ, per obitum clar. mem. Jacobi Oddi vacantes adhuc, regimini ſubſunt Vicarii a Sede Apoſtolica deputati. Nuper autem vacato Archipreſbyteratu Eccleſiæ Cathedralis S. Jacobi Civitatis Tuſcanen., cui actualis Animarum Cura incumbit, idem Vicarius Apoſtolicus jus ſibi eſſe cenſuit ineundi concurſum in Civitate Viterbii, & coram Synodalibus Examinatoribus pro eadem Civitate electis. Qua de re Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Tuſcanen. putans, jura ſuæ Eccleſiæ lædi hac agendi ratione, conqueſtum eſt apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum, qui quæſtiones omnes ad Sacram Congregationem ablegavit. Nunc itaque eodem Capitulo Tuſcanen. inſtante quæritur, quo in loco, & coram quo ineundus ſit concurſus, nec non qui Examinatores vocandi ſint, & demum cujus Cancellarii opera examen conſcribi debeat. *Seſſ. 24. cap. 18 de Reform.*

Ad I. inquit idem Capitulum, ſuam Eccleſiam Cathedræ Dignitatem habuiſſe longe prius quam Viterbium Civitatis honore decoraretur, clare id evinci ex *cap. Raynutius de Teſtam.*, *ex Conſtit. 51. Innoc. III.*, & probare *Philippum Bergomen. in ſuppl. ad Cron. anni* 1193.. Ambigi autem non poſſe, quin Eccleſia Viterbien. æquè principaliter unita deinde fuerit. Ita ſanè ſemper in dubio deficiente unionis monumento præſumendum *Card. de Luca de præmin. diſcur. 7. num. 10.*, & *Rot. coram Coccin. deciſ. 2138. num. 6.*

Cæterum unionis æquè principalis ſolidiſſima confluere rationum momenta. Epiſcopos ſiquidem aliquando ſe Viterbienſes, aliquando Tuſcanenſes, aliquando etiam utriuſ-

que titulo se denominasse : in utraque Ecclesia possessionem semper adeptos fuisse : in Diœcesanis Synodis ad electionem Examinatorum tam pro Civitate , & Diœcesi Viterbien. , quam pro altera Tuscanen. devenisse : Sede vacante Capitulum Tuscanen. semper suum Vicarium Capitularem elegisse . Demum verò hanc unionem æquè principalem jam constabilitam fuisse solemni re judicata, de qua in *decis.* 330. *coram Cavaler.*

Si propterea Episcopus tenetur Vicarium , & Examinatores in Civitate , & Diœcesi Tuscanen. eligere , ne hujus negotia , & causæ in distincta Viterbiensi Diœcesi discutiantur *Pignattell. consultat.* 414. & 415. *tom.* 1., consequens hinc esse , ut Concursus Ecclesiarum Parochialium Tuscanellæ in ea Civitate tantum , & coram hujus Vicario Generali sit peragendus *Garzias de Benefic. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 117. Maximè quia jam pluries ex oraculo Sanctissimi a Dataria Apostolica commissum fuit Vicario Generali Tuscanen. , ut Concursus iniret, cum Ecclesia providenda illius necessitatem exigeret.

Ad II. advertit, Examen ab Examinatoribus in Synodo Diœcesana electis habendum esse ex lege *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* . Cum itaque Examinatores pro Civitate, & Diœcesi Tuscanen. in postrema Synodo electi septem adhuc numero sint superstites , ab his Examen peragendum esse , ne vitium subeat nullitatis *de Nigr. de vacat Benefic. lib.* 1. *cap.* 48. *num.* 26. , & *Rot. coram Coccin. decis.* 2138. *num.* 17. . Nec obesse, Concursus ann. 1737. , & 1751. initos fuisse ab Examinatoribus Viterbiensibus ; cum evenire id potuerit ex deficientia necessarii numeri Examinatorum Tuscanen. : Cæterum eos actus, ut intrinsecè nullos, & irritos esse prorsus spernendos .

Concludit demum ad III. , quod sicuti Concursus a Vicario Generali Tuscanen. , & coram ipso convocandus est , ita ejusdem quoque Cancellarius privativè intervenire, & acta Concursus conscribere debeat . Maximè quia ita semper servatum , & quidem justa ratione , nè constitutio unionis eludatur .

Vicarius Apostolicus in sua relatione anceps admodum est, an Ecclesia Tuscanen. æquè principaliter unita sit Ecclesiæ Viterbien. . Probat tamen ex antecedentibus Statibus , Episcopos pro eorum arbitrio Concursus Ecclesiarum Tuscanensium modo in Civitate Viterbii , modo in altera Tuscanen. indixisse . Insuper pro eorum arbitrio modo Tuscanenses , modo Viterbienses Examinatores Synodales , & etiam pluries utrosque simul ad Concursus cum benevisо Cancellario evocasse : Concludit idcirco sibi liberum esse Examinatores , & Cancellarium vel ex una, vel altera , vel etiam ex utraque Diœcesi seligere , & vocare .

Sy-

Synodus Tridentina hæc habet = *Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis examinatoribus non pauciuribus, quam tribus, quorum votis si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel ejus Vicarius quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant; idemque succedente alia vacatione aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit ex prædictis illis sex eligat, sess. 24. cap. 18. de Reform.*

De unione Ecclesiæ Viterbien., & Tuscanen. actum est in Sacro Rotæ Auditorio initio præteriti sæculi, & *resolutum fuit Ecclesiam Viterbiensem, & Tuscanensem esse æque principaliter unitas*, ut videre est in *Tuscanen., seù Viterbien. præcedentiæ 19. Decembris 1614. coram Cavaler.* inter ejus impressas *to. 330.*. Eadem tamen Sacra Rota quoque definivit, non teneri Episcopum Viterbiem. ad deputationem unius Vicarii Generalis in Civitate, & Diœcesi Tuscanen., sed rectè posse unicum Vicarium in Civitate Viterbii constituere pro utraque Diœcesi, ad quem subditi utriusque Diœcesis accedere debeant, ut in *Viterbien., & Tuscanen. Vicarii 3. Martii 1617. coram Cavaler. inter impressas to. 418.*

Posita itaque unione æquè principali, quærendum modo est, quo in loco, & quorum opera Concursus Ecclesiæ Archipresbyteralis Tuscanen. expleri debeat. S. Congregat. in una *Civitatis Castellanæ 24. Septembris 1639.* respondit *concursus fieri debere cum examinatoribus Synodalibus Diœcesis Civitatis Castellanæ, vel Hortanæ, in qua existit Ecclesia Parochialis vacans, non tamen Episcopum commorantem in una ex dictis Civitatibus teneri se personaliter transferre ad alteram Civitatem, & Diœcesim, sed posse dictos Concursus facere in Civitate, & Diœcesi, in qua moratur, adhibitis tamen Examinatoribus Civitatis, & Diœcesis, in qua Ecclesia Parochialis existit.*

Sanè Examinatores Synodales in singulis Diœcesibus æquè principaliter unitis deputandos esse, ambigi nequit. Ita expressè declaravit Sacra Congregatio in *Valven., & Sulmonen. 3. Septembr. 1650.*, in qua proposito = *An in Diœcesi, in qua sunt duæ Cathedrales unitæ, sint deputandi in qualibet Civitate Examinatores Synodales distincti ab illis, qui deputantur in alteri Civitate* = responsum dedit = *Affirmative*. Viden. *Pignatell. consult. 414. tom. 1.*. Idque ipsum plenè servatum fuit in postrema Viterbiensi Synodo anni 1752. inita a cl.m. Cardinali Jacobo Oddi, in qua ultra Examinatores deputatos pro Civitate, & Diœcesi Viterbiensi, electi fuerunt alii octo pro Civitate Tuscanellæ, ut legitur in *dicta Synodo pag. 216.*

Porro ex Examinatoribus pro Civitate Tuscanen. in dicta Synodo

nodo anni 1762. deputatis adhuc septem idonei sunt ad suum munus implendum. Inquirendum ideo, an Vicarius Apostolicus alios e Civitate, & Diœcesi Virerbien. hisce prætermissis seligere valeat.

Hæc ipsamet quæstio de Ecclesiis *Frequentina*, & *Avellinen.* æquè principaliter unitis proposita fuit in Sacra Rota in *Frequentina nullitàtis Concursus 13. Junii 1635. coram Coccin. inter impressas la* 2138., & pro nullitate Concursus prodiit Judicium, ut præsertim videre est sub num. 17. = *An cum hujusmodi Parochialis sit in Diœcesi Frequentina, potuerint adhiberi Examinatores Synodales Avellini, negativè fuit responsum, quia examen debet fieri ab Examinatoribuo in Synodo deputatis &c. ideo adhiberi debuerunt Examinatares Synodales Civitatis Frequentinæ: Quod est adeo verum, ut si cum Examinatoribus conveniat etiam unus Examinator non Synodalis, Concursus sit nullus.*

Demum de Cancellario Sacra Congregatio in una *Civitatis Castellanæ, & Hortanæ* 8. *Junii* 1624. proposito V. dubio = *An Episcopus volens in Civitate Castellana agnoscere Causas Civitatis Hortanæ, & illius Diœcesis, & sic e contra, possit per se ipsum illas cognoscere scribente Notario, quem maluerit; nec solum processus causarum, verum etiam visitationem*, respondit = *Episcopum in una ex dictis Civitatibus existentem posse per se ipsam cognoscere causas alterius Civitatis, vel Diœcesis adhibito Notario sibi benevisо tam in processibus conficiendis, quam in actis visitationis conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro, & æqua ex causa fiat, & in arduis tantum, & gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur.*

Definiendum itaque modo proponitur

I. *An, & quo loci, & coram quo sit convocandus concursus pro collatione Archipresbiteratus, de quo agitur, in casu &c.*

II. *An Examen Concurrentium sit faciendum privativè ab Examinatoribus Synodalibus Tuscanellæ, in casu &c.*

III. *An ad effectum recipiendi dictum examen intervenire, & privativè se rogare debeat Cancellarius Episcopalis dictæ Civitatis, in casu &c.*

Ad I. Coram Vicario Apostolico, & in loco ejus arbitrio destinando. Ad II. Affirmativè. Ad III. Affirmative.

RO-

ROMANA BENEPLACITI APOSTOLICI. In postremo suæ voluntatis elogio, quod conscripsit anno 1764. Joannes Baptista Baragioli, hæredem ex asse instituit *Mariam Annam Marroni* uxorem suam, adiecta tamen caducitatis pœna, si ad alias nuptias ipsa transiret. Substituit autem in deficientis hęredis locum pauperes carceratos Urbis, in quorum subsidium universos suæ hæreditatis fructus jussit erogandos. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Vita functo Testatore sub die 29. Julii ejusdem anni, confectum fuit universæ hęreditatis inventarium, cujus valor deductis oneribus ad summam scut. 3377. ascendit, ultra loca quatuor Montium, quorum fructus reservati sunt titulo livelli favore Monialis Mariæ Diomiræ Cerrini.

Exoptans vero *Maria Anna* Vidua ad secundas nuptias transire, agere cæpit cum societate S. Joannis de Pigna, ut bonis hęreditariis uti, frui sibi liceret, oblata in præmium remittendæ caducitatis summa scut. 150. in pecunia numerata, ac possessione dictorum LL. 4. Montium, quorum fructus ad Monialem Cerrini spectant. Societati placuit oblatio, quare sub die 15. Octobris 1765. solemnis inita fuit concordia, qua eadem oblatio fuit acceptata, & caducitas remissa cum onere obtinendi intra trimestre beneplacitum Apostolicum.

Preces idcirco *Maria Anna* sa. mem. Clementi XIII. porrexit pro dictæ concordiæ approbatione, sed rejectæ fuerunt tam in audientia Sanctissimi *die 6. Maii 1767.*, quam in Congregatione *diei 8. Augusti ejusdem Anni*. Easdem preces modo renovat *Maria Anna* ex decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi diei 6. Aprilis anni elapsi verbis hisce concepto *Sanctissimus remisit benigne preces ad Sacram Congregationem Concilii cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, rescriptis præcedentibus non obstantibus*.

Ad I. inquit *Maria Anna* Vidua, preces a SSmo D. N. non fuisse rejectas, sed ad Sac. Congregationem ablegatas cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis. Id itaque modo unice inquirendum esse, an eædem preces veritati nitantur, & an Beneplacitum Apostolicum, ac sanatoria in damnum redeat alicujus.

Porro rem esse de concordia inita cum omnibus juris, & Statuti solemnitatibus: hanc ab ipsa Societate fuisse pluries probatam, & etiam executam: Nullius jus lædere, nec ulli damnum afferre, sed imo in magnum operis pii lucrum redire, dum certum, & quidem pingue compendium obtinet, nihil certi juris remittendo, cum ab arbitrio viduæ pendeat conditionem caducitatis eludere.

Aperta idcirco interveniente utilitate, concludit Beneplacito Apostolico donandam esse. Nec obesse lapsum trimestris ad beneplacitum obtinendum statuti. Inquit enim, ipsam preces dedisse pro eo impetrando, nec sibi imputandum

dum esse, si inutiliter statutum tempus effluxerit: Addit, preces ad Sac. Congregationem remissas fuisse cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis, re ideo adhuc integra manente, temporis lapsum esse spernendum.

In nihilo proinde habendam esse conditionem indictæ viduitatis, nam hic non de ejus conditionis validitate inquiritur, vel justitia, sed quæritur tantum de utilitate initæ concordiæ: potissimum quia eadem conditio ut tristis, odiosa, & publicam lædens libertatem, facile est reiicienda, ac revocanda *leg. cum ita 62.*, *& leg. hoc modo 63. ff. de cond.*, *& dem.*, *leg. un. Cod. si secund. nupt. mul.*, *Ber. conf. 31. num. 5. lib. 2.*, *Cyriac. contr. foren. 43. n. 49.*, *Rot. in rec. dec. 95. num. 4.*, *& 5. part. 12.*

Hinc ad II. concludit, ab Archiconfraternitate quoque S. Hieronymi Charitatis initam concordiam probandam, ac confirmandam esse, ut maxime utilem, neminique damnosam.

A Societatibus S. Joannis de Pigna, & S. Hieronymi Charitatis Urbis nondum libellum habuimus.

Ejus Protector accuratissimam totius facti seriem refert, quæstionemque omnem sapientissimo EE.VV. judicio submittit.

Inquit Julianus in leg. quoties 22. ff. de condit., & dem. = *quoties sub conditione mulieri legatur* si non nupserit, *& ejusdem Fideicommissum sit, ut Titio restituat si nubat, comode statuitur, etsi nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam fideicomissum præstare*, & Terentius in leg. sed si hoc 62. ff. eod. tit. §. fin. = *cum Vir uxori si a liberis ne nupserit in annos singulos aliquid legavit, quid juris sit? Julianus respondit, posse mulierem nubere, & legatum capere.*

Hæc autem juris communis dispositio confirmata etiam fuit ab Imperatore Justiniano *in leg. 2. Cod. de indict. viduit. toll.*. Statuit enim *licere mulieribus etiam maritorum suorum interminatione spreta, quæ viduitatem eis indicit, & non dato Sacramento procreandæ sobolis gratia tantum ad secundas migrare nuptias, pœna hujusmodi cessante sive habeat liberos, sive non, & ea percipere, quæ maritus dereliquit.*

Hæc tamen omnia novissimo jure, de quo in *cap. 43.*, *& 44. Auth. de nupt.* abrogata, & revocata fuerunt. Statutum enim fuit = *Quapropter præsentem ponimus legem, non enim volumus deficientium nihil illicitum habentes voluntates frustrari. Si enim diceremus oportere mulierem, omnino viro præcipiente non nubere, hoc custodire, pro amaritudine habuisset hoc merito lex; nunc autem cum secundo præsto sit lex, scilicet ut si voluerit nubere, accipiat quod relictum est, novissimi sceleris est despicere voluntatem defuncti ita fluctuantem, ut ei detur licentia nubendi, & accipiendi quod relictum est, & per omnia contristandi priorem maritum; Unde sancimus, si quis prohibuerit uxorem ad aliud venire Matrimonium, sive etiam uxor ma-*

maritum, & pro hoc aliquid reliquerit, unam ex duabus conditionibus habere contrahentium alterum, aut ad nuptias venire, & abrenunciare perceptioni, aut si hoc noluerit, sed honorat defunctum, omnino abstinere de cætero nuptiis.

Joannes Baptista Testator legem dixit = *desiderando esso Testatore, che detta Signora Maria Antonia Marroni sua Consorte debba servare, e servi lo stato viduile, ne possa mai in conto alcuno passare alle seconde nozze, perciò ordina, vuole, e comanda che in caso la medema passasse alle seconde nozze, sia, e s'intenda immediatamente decaduta dalla sua Eredità senza che possa pretendere altro, che la sua Dote, e quarto viduile, ed allora sostituisce in detta sua Eredità tutti gli poveri carcerati di questa Dominante, cioè delle Carceri nuove, e Campidoglio.*

Testator itaque hæredem instituit Uxorem, quatenus vitam viduilem servaret, contra nihil voluit eam habere, si ad secundas nuptias convolaret; viciſſim vero nihil Pauperibus carceratis reliquit, si illa in viduili statu permaneret; contra universam hæreditatem illis dedit, si ad secundas nuptias illa transiret. Remissio itaque caducitatis, de qua in concordia, manifestam inducit commutationem voluntatis Testatoris. Opus idcirco est ut necessaria, & justa causa concurrat, sine qua commutatio deneganda est *Conc. Trid. sess. 22. cap. 6. de Ref.* Ponderandum hinc, an sola utilitas pecuniaria, de qua in dicta concordia, haberi valeat pro necessaria, & justa causa commutationis.

Perpendendum item an hęc remissio caducitatis quid scandali, mali exempli, vel damni præferat. Pro voluntate Joannis Baptistæ Testatoris intervertenda, ac eludenda tam hæres, quam substituti instant, videndum hinc an Ecclesia collusionem confirmare, & manus adiutrices præbere debeat. Viri item edocti de modo eludendi conditionem viduitatis facile in posterum a legatis erga uxores sub conditione viduitatis recedent. Ecclesiæ demum, & Loca pia ut plurimum ex purificatis substitutionibus eventualibus, ac incertis conditionibus suas divitias noscunt, unde non leve damnum iis irrogaretur, si super successionibus eventualibus Transactio indulgeretur.

Sac. Congreg. in una *Romana Beneplaciti 3. Augusti* 1709. in qua *Sebastianus Cartonus præter usumfructum omnium bonorum reliquerat Clarę Bonitiæ uxori titulo prælegati omnia mobilia, aliaque supellectilia domestica, quæ voluit esse libera, & in proprietate ejusdem Clarę, ea tamen conditione expressa, quatenus vitam viduilem servasset, & non alias, illudque ampliavit in codicillis etiam quoad credita consequenda a diversis debitoribus ratione operis lignarii, repetita conditione, & observatione viduitatis. Clara cupiens indemnem se servare a caducitate tum prælegati, tum ususfructus, requisivit Societatem S. Josephi fabrorum lignariorum Vrbis, cujus favore caducitas erat, pro congrua tran-*

tranſactione, oblata hæreditaria Domo valoris ſcut. 5117.. *quam quidem, tamquam ſibi utilem amplecti viſum fuit Confratribus. Hinc porrectis precibus requiſita fuit informatio Emi Urbis Vicarii, quicenſuit, Tranſactionem perutilem eſſe loco pio.* Propoſito autem *An, & quomodo petitis ſit annuendum in caſu &c,* reſcripſit *Negative.*

Item *Sacra Congregatio negotiis Epiſ., & Reg. præpoſita* in una *Romana Beneplaciti*, in qua Victorius Sauli hæredem univerſalem inſtituerat Catherinam Kercoff Uxorem *ſin tanto che la medema ſerverà ſtato viduile, mentre nel caſo la medema paſſaſſe a ſeconde nozze, intendo che non poſſa conſeguir altro della mia Eredita, che la reſtituzione della di lei Dote*, facta ſubſtitutione favore Capellaniarum Sauli erectarum in Eccleſia SS. Angelorum Cuſtodum Urbis, cum poſtmodum ſolemni concordia Deputati Societatis SS. Angelorum caducitatem remiſiſſent, inſtitumque fuiſſet prodictæ concordiæ approbatione, ſub die 9. Auguſti 1765. preces rejecit.

Emi Patres qua præſtant juſtitia, & æquitate dignentur reſponſum dare.

I. *An ſit locus approbationi concordiæ, & reſpective ſanatoriæ in caſu &c., & quatenus affirmative.*

II. *An Archiconfraternitas S. Hieronymi Charitatis teneatur accedere eidem concordiæ in caſu &c.*

Ad I. Negativè.
Ad II. Proviſum in primo.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

TERRACINEN. JUBILATIONIS. Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis Terræ Somneni conſtat ex Archipresbytero, & octo Canonicis, quos inter numeratur Sacerdos Sebaſtianus Jannotta, qui ſpatio annorum 55. Chori ſervitium complevit, ac ſenio confectus ſeptuageſimum ætatis annum emenſus eſt. Itaque poſt tam diuturnum, continuum, ac laudabile ſervitium, preces Sac. Congregationi porrexit pro aſſequendo Jubilationis indulto, ſed Epiſcopus hac ſuper petitione auditus, novit, Canonicos ſeſe præbere oppoſitores; præfixoque eiſdem competenti termino, quamvis jura ſua, licet moniti, non deducant, nihilominus ex actu Capitulari ab eodem Epiſcopo-

po transmisso eruitur, consensum ideo denegasse, quia cum Archipresbyter ratione Curæ Animarum, ut plurimum a Choro absit, si eveniat, ut uni ex octo Capitularibus Indultum concedatur, septem tantum supererent, & ita frangeretur alternativa, quæ non patitur, ut tres tantum Capitulares Ecclesiæ præsentes inserviant; Nec proindè æquum sit, ut cæteri sine lucro, & absque spe temporalis emolumenti unius Indultarii oneribus suppleant. Non inficiantur, duobus aliis ejusdem Ecclesiæ Canonicis concessum olim fuisse Jubilationis indultum, nihilominus respondent, non fuisse tunc requisitum Capitularium consensum, & experientia compertum esse, quot damna Divino cultui indè obvenerint.

Verum Canonicus Jannotta injuria consensum sibi denegari asserit, cum jam inoleverit recepta praxis jubilationem concedendi tum Canonicis, tum Beneficiatis, qui per annos quadraginta continuum, ac laudabile servitium præstitere, eosque licet absentes participes fieri omnium fructuum, & quotidianarum distributionum, ac si præsentes interessent *Garz. de Benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 344.*, & colligitur etiam ex pluribus Sac. Congregationis resolutionibus: summo autem jure hunc modum requiei concedendæ fuisse præscriptum, ne qui Ecclesiasticæ militiæ addicti sunt deterioris evadant conditionis militum sæcularium, quibus post diuturnum servitium passi laboris requies a jure civili conceditur, *leg. a muner. 6. ff. de vacat., & excusat. Muner.*, *leg. 1. Cod. de Veteran. lib. 12.*

Minimè verò in controversiam revocari posse sustinet quadragenarium servitium laudabiliter expletum, illudque non assiduum modo, sed valde grave, ac laboriosum, cum alii duo Canonici Jacobus Pontecorvo, & Cajetanus Rori indultum jubilationis obtinuerint, & omnia onera in alios transfusa remunserint. Nec sibi obesse putat jactatam alternativæ difficultatem, quæ si aliis Canonicis impedimento non fuit, quominus jubilationem assequerentur, nocere nunc sibi non potest ad illam obtinendam, ne eadem in causa diversum judicium proferatur *leg. non licet de reg. jur. in 6.*, *leg. non habet ff. eod.*, *Rot. decis. 581. n. 2.*, *& per tot. coram Ludovis.*

Cæterum advertit, alternativæ servitium legitimè non potuisse in Collegiata Ecclesia Somneni unquam introduci, cum id vetitum fuerit in Bulla erectionis sa. mem. Clementis VIII., quæ Canonicos diebus singulis Choro interesse præcepit; ac per Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* sublata fuerit facultas inserviendi alternis vicibus, non obstante quacumque contraria consuetudine, aut statuto ad firmata per *Barbos. in Collect. ad d. Cap. Sac. Concil. num. 3.*, *& in Tract. de Canon.*, *& Dignit. cap. 31. num. 3.*, *& 4.*, ubi asserit Canonicos Collegiatarum

Ecclesiarum teneri juxta declarationes Sac. Rituum Congregationis per se ipsos, non autem per substitutos munia obirè, nequè id alternatim licere, quamvis contrarium adesset statutum, aut immemorabilis consuetudo *Ciarlin. contro v. for. lib. 1. cap. 38. n. 29.*, & 30.

Episcopus post expositam facti seriem. relataque argumenta ab utraque parte adducta, ita concludit = *Attento igitur longo servitio Oratoris 55. annorum Ecclesiæ præstito, & rationibus ut supra adductis contra Capitularem resolutionem, denegandam non esse eidem petitam jubilationis gratiam censerem* =

Pluries actum est in Sac. Congregatione de jubilationibus, quæ passim conceduntur ex eo naturalis æquitatis principio, quod infirmis subveniendum, laborantibus consulendum, & emeritis præmium non denegandum suadet. Viden. folia in *Civitatis Castellanæ 20. Septembris 1766.*, *in Spoletana jubilationis 18. Augusti anni mox elapsi*, & alibi.

Nihil Capitulum opponit quoad continuum, ac laudabilem servitium a Canonico Jannotta expletum: Quare assueta maturitate, ac prudentia Emi PP. dijudicabunt.

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 23. cap. 18. de Reform.

VELITERNA TAXÆ SEMINARII. Sollicitus cl.me. Cardinalis Gesualdi olim Episcopus Ostien., & Velitern. de implendo onere a Concilio Tridentino Episcopis imposito circa institutionem Seminarii Clericorum, anno 1592. ad illius erectionem adjecit animum, curavitque, ut eidem sustinendo sufficientes reditus non deessent: Imposuit proinde primùm taxam super beneficiis Civitatis, & Diœcesis, deindè nonnulla univit beneficia. Cum tamen decursu temporis exactio taxæ paulatim negligi cæperit, eo res perducta est, ut nonnisi quam octo Alumni in Seminario alerentur, nec aptus Ministrorum numerus posset sustentari.

Hunc numerum Diœcesis amplitudini imparem agnoscens cl. mem. Card. Tanarius, illum anno 1722. adauxit usque ad viginti, renovavitque taxam ad rationem scutorum trium pro centenario, ejusque solutioni pensionarios quoscumque voluit obnoxios. Verùm neque hunc numerum sufficere censuit cl. me. Cardinalis Spinellius, qui Alumnorum numerum ad viginti quatuor adauxit, nempè duodecim numerarios, qui solverent scutum unum singulis mensibus, totidemque supranumerarios, qui ad dupli solutionem tenerentur.

De-

Detrectantibus verò nonnullis pensionariis taxam persolvere, oportuit pensiones sequestro subiicere, sed habito ab iis recursu ad SSmum D. Nostrum, causa remissa fuit ad Sacram Congregationem, firmo tamen remanente sequestro, ideoque infrascriptum dubium proponitur definiendum.

Promotor Fiscalis certum in jure esse dicit, pensiones impositas super fructibus, & reditibus Beneficiorum, subire pro rata debere onera respectu eorumdem Beneficiorum imposita *Garz. de Benef. part.*1. *cap.* 5. *num.*171., *Monet. de Decim. cap.*9. *num.*83., *Barbos. in Collect. ad Concil. Triden. Sess.* 23. *cap.* 18. *num.* 55., sive Pensionarii exteri sint, sive Diœcesani *Pignattell. tom.*1. *conf.* 221. *num.* 10., sive oneroso, sive gratuito titulo pensiones obtinuerint *Barbos. ibid. num.*17., & 24., *Rigant. ad reg.* 13. *Cancell. num.*68., idque ab hac Sacra Congregatione decisum fuisse refert *Panimoll. decis.* 27. *num.*2. *in Assisien.* 20. *Septembris* 1583., *in Cæsenaten.* 22. *Decembris* 1599. *in Romana* 23. *Februarii* 1646.

Neque officere si opponatur, quod a centum, vel biscentum annis nunquam a Pensionariis taxa soluta fuerit, neque ex parte Seminarii requisita, quia ad præservandam Seminarii possessionem quoad omnes, sufficit, eam ab aliis Pensionariis fuisse solutam, quo casu nemo eximitur, nisi peculiarem exemptionis titulum probaverit *Rot. coram Ansaldo decis.* 78. *num.*85., *decis.* 1135. *num.* 4. *cor. Seraphin.* Constare autem asserit, ab anno 1730. indicta fuisse sequestra contra Pensionarios detrectantes taxam persolvere; Cumque observantia, dum de solutione agitur, non incipiat, nisi a tempore, quo illa fuit petita *Garzias de Benef. part.*7. *cap.*1. *num.*88., *Rot. decis.* 825. *num.*23. *cor. Merlin.*, & taxa, de qua agitur, non prius, quam anno 1722. imposita fuerit, infert idcircò nec centenariam, nec quadragenariam decurrere potuisse.

Reiiciendam verò esse alteram exceptionem, quod Seminarium sufficientibus reditibus provisum fuerit, proindeque subsidiaria taxa non indigeat; tum quia hujusmodi exceptio extranea prorsus est a præsenti casu, quo non de reductione, aut suppressione taxæ, sed tantùm de solutione quæritur; tum etiam quia obstat res a Sac. Congregatione judicata contra Ven. Collegium S. Bonaventuræ Urbis in Causa *Veliterna taxæ Seminarii* 24. *Aprilis* 1723., quæ statum facit quoad omnes eodem jure venientes *Leg. res judicata ff. de re judic.*, *Abbas in cap. Quamvis num.* 4. *quæst.* 4. *de Sent.*, & *re judic.*, tum denique quia ad Episcopum tantummodò spectat de taxæ congruitate inquirere *Concil. Trident. loc. cit.*, *Vrsaya discept.*24. *n.*38.

Negat præterea, Seminarium adeo congruè provisum esse, ut taxæ subsidio non indigeat. Recenset enim statum ab

anno 1592., quo Cardinalis Gesualdus præter taxam ad rationem quinque pro centenario plura eidem univit beneficia, & duo signanter scutorum 300., quæ tamen cum essent de jurepatronatus, unio inefficax remansit. Subductis itaque scutis 300., auctisque officialibus, Alumnis, & Præceptoribus, nec non imminuta taxa ad tria pro centenario, patere ait, Seminarium dici non posse sufficienter provisum. Ab anno autem 1721. constare, impensas ascendere ad scuta 1647. 61., reditus verò comprehensa taxa vix attingere scuta 1484. 54. Deficere proindè summam scut. 163. 06., quæ annua pensione ab Alumnis numerariis, & supranumerariis solvenda supplentur. Majorem autem nunc esse Seminarii indigentiam, cum deficiat apta Domus, quam Emus Episcopus suis sumptibus conducere cogitur.

Denique perperam opponi investimenta censuum à Seminario facta, quia probandum esset, ea ex Capitalibus certis fuisse confecta, cum tamen certum sit, illa partim ex Ministrorum industria, partim ex aliis incertis, & accidentalibus causis provenire.

Antiquissimam, sanctissimamque Seminariorum disciplinam suum ad splendorem, dignitatemque revocare curavit Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*, maximaque cura, ac optimis institutis eorum erectioni prospexit, cavitque sedulò, nè illorum manutentioni quidquam deesset. Duplicem hinc modum statuit ad necessarios reditus comparandos, unionem scilicet simplicium Beneficiorum, & certam super omnibus aliis Beneficiis contributionem. Deinde ita mandavit = *Ad hanc autem portionem solvendam beneficiorum, Dignitatuum, Personatuum, & omnium, & singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis pensionibus illis erit solvendum, ab Episcopo Loci per censuras Ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachij sæcularis: quibusvis, quoad omnia, & singula prædicta, privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine immemorabili, & quavis appellatione, & allegatione, quæ exequutionem impediat non obstantibus.*

Hinc indubia res est, Pensionarios teneri ad solvendam pro Seminario taxam, nisi speciali sedis Apostolicæ privilegio exempti fuerint: Prout quoque certum est, beneficiorum possessores debere ab Episcopo compelli ad contribuendam portionem etiam pro pensionibus, quas soluunt, eisque licere retinere quidquid ratione pensionum solverint. Hujusmodi Pensionariorum onus quoad taxam pro Seminario, pluries probavit Sac. Congregatio, præsertim in *Lucana 5. Julii 1628.*, *in Romana contributionis Seminarii 3. Fe-*

Februarii 1646. lib. 18. decret. part. 20. terg., *in Spoletana 30. Septembris 1710.*

11 ipsum quoque habetur ex Instructione super taxa Seminarii jussu sa. me. Benedicti XIII. confecta, & ad singulos Italiæ, Insularumque Adiacentium Ordinarios missa, in qua *num. 5.* sic legitur = *In ciò, che risguarda le pensioni o fisse, o vitalizie, dell'Ordinario pagare non solamente la quota corrispondente alla sua annua entrata, ma altresì la quota appartenente al Pensionario, ritenendosi al pagamento della pensione ciò, che aura per esso pagato al Seminario, nel caso però, in cui il Pensionario nell'imposizione della pensione, non fosse stato con amplo, e Letterale privilegio esentato dal Papa dal contribuire al Seminario. Imperochè in questo caso l'Ordinario sarebbe obbligato a pagare per esso, e non potrebbe nel pagamento dell'annua pensione ritenersi ciò, che ha pagato per esso. Il che però non può succedere, ne succederà oggidì non solo per ciò, che è stato stabilito dalla Santità di Nostro Signore nella sua Costituzione* Creditæ nobis, *ma ancora per avere con molta maturità la Sag. Congregazione del Concilio altre volte determinato, che non sono esenti dalla tassa del Seminario per i beneficii, e le pensioni, che hanno, se non quelle persone, che sono eccettuate nel Sag. Concilio di Trento, e che però sono tenuti l'Emi Signori Cardinali, ancorchè Camerali, li Prelati, e li Familiari del Papa, ne suffragar a questi verun privilegio d'esenzione, se in esso non si fà una speciale, ed individua deroga al Sagro Concilio, ed un espressa menzione del pagamento, che facevasi al Seminario dai predetti Benefizj, e pensioni, avanti, che i Benefizj fossero stati conferiti, e le pensioni fossero state assegnate ai predetti personaggi. Aggiungendo, che il detto fin'ora . . . per i pagamenti de' Pensionarj procede non solo per gl'Ordinarj, ma ancora per i Benefiziati, ed ogn'altra persona obbligata alla più volte nominata tassa.*

Cæterum prætereundum non est, in supra relato Concilii Tridentini decreto ita legi declaratum = *Succedente verò casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum in totum, vel in parte dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra detracta, & incorporata, ab Episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur.*

Post hæc, quæ EE. VV. sapienti judicio subiiciuntur, definiendum erit.

An Pensionarii teneantur ad solutionem taxæ favore Seminarii Veliterni in casu &c.

PRI-

Seſſ.23. cap.18. de Reform.

PRIVERNEN. APERITIONIS SEMINARII. Cefferat anno 1581. Communitas Privernenſis Religioni Carmelitarum pro manutentione eorum Conventus Eccleſiam S. Mariæ de Libera; cumque ob ſequutam deinde vigore Conſtitutionis ſa. mem. Innocentii X. ejuſdem Conventus ſuppreſſionem Communitas jus ſuum in dictam Eccleſiam recuperaſſet; eam, cum omnibus ejus bonis, ex quibus annua ſumma ſcut.87. 77. retrahebatur, aſſignavit Seminario Diæceſano, cum onere manutenendi duos Privernenſes Alumnos, qui revera fuerunt deinceps aliti, & educati. Anno autem 1729. ſa. mem. Benedictus XIII. per ſuas Litteras in forma Brevis approbavit taxam pro Seminario ab Epiſcopo Montis Alti Viſitatore Apoſtolico præfinitam in ſcutis *tribus* pro centenario ex fructibus bonorum Eccleſiaſticorum Diæceſum Priverni, Setiæ, & Terracinæ, ea lege, ut ex unaquaque Civitate tres Alumni in Seminario alerentur.

Ex hac Privernenſis cum Setina Civitate æquiparatione, quoad Alumnorum manutentionem, illatum ſibi gravamen exiſtimarunt Cives Priverni; Cumque in precibus ad obtinendum Breve Apoſtolicum pro approbatione taxæ nullatenus expreſſum viderint, quod eadem Privernenſis Communitas reperiretur in poſſeſſione retinendi in Seminario duos Alumnos in compenſationem ceſſionis factæ de omnibus bonis ad Eccleſiam S. Mariæ *de Libera* pertinentibus, idcirco de ſubreptionis vitio dictum Breve infectum redarguerunt, & a Tribunali Signaturæ Juſtitiæ, cui ab Auditore SSmi querela remiſſa fuerat, commiſſionem obtinuerunt cum clauſula = *De aperitione oris arbitrio Congregationis ſuper Seminariis, non retardata ſolutione taxæ ad formam Brevis* = loco autem Congregationis ſuper Seminariis, res venit in diſceptationem coram EE. VV., ut definiantur dubia in calce tranſcripta.

Ad I. Animadvertit Communitas Priverni, ſatis eſſe ad obtinendam Oris aperitionem adverſus Breve, ut proferantur jurium indicia, & argumenta, ex quibus appareat, Actorem, ſuſpenſo Principis facto, eſſe audiendum *Rot. in Romana Hæreditatis de Barberinis* 21. *Junii* 1723. §. *Arbitrium coram Cerro*; idquè locum ſibi vindicare, etiamsi Principis factum, ſeu gratia ex motu proprio proceſſerit, *Baldaſſin. annot. in Clement. tit.7. de probat. §. Sciendum eſt*, *Rot. in dicta Romana* §. *Idque*; Et etiamsi probationes tantum afferantur, quæ judicantium mentes in aliquod tantùm dubium conjicere poſſint *Rot. part.*18. *Recen. dec.* 871. *num.*1., & 2., & *dec.*1240. *num.*1., & 3. *cor. Lancetta*. Multo itaque magis concedendam ſuſtinet aperitionem oris in præſenti caſu, quo Apoſtolicum Breve ſubreptionis vitio infectum noſcitur *Rot. in Colonien. Canonicatus ſuper aperitione oris* 27. *Aprilis* 1731. §. *Alterum cor. Creſcentio*, & *in Nea-*

Neapolitana Funerum 15. *Junii ejusdem anni* §. 4. *coram Aldourando*.

De subreptione constare asserit, quia reticitum Summo Pontifici fuerit, Privernenses duos Alumnos gratis retineri in Seminario consuevisse, eidemque Seminario cessisse reditus bonorum Ecclesiæ S. Mariæ de Libera. Infert enim, quod si hæc omnia Summo Pontifici innotuissent, vel nullo modo, vel difficilius saltem cum Privernensi Civitate æquasset Civitatem Setiæ, quæ nihil in commodum Seminarii de proprio erogavit.

Pergit deinde ad alterum dubium super aperitione novi Seminarii, quam sibi ob Diœcesis amplitudinem indulgere postulat, juxta dispositionem Concilii Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* Maximè quia Ecclesia Priverni declarata fuit Cathedralis a Benedicto XIII. in Litteris Apostolicis annorum 1725., *&* 1726., & Sac. hæc Congregatio in *Brundusina* relata a *Pignattello tom.* 9. *consult.* 81. *num.* 74. declaravit, erigendum esse Seminarium in utraque Civitate, ubi unus, idemque præsit Episcopus.

Observat præterea, novi Seminarii erectionem injunctam fuisse a sa. mem. Clemente XIII., qui in Bulla diei 20. Septembris 1758. hodierno Episcopo directa, ita mandavit = *Ac in Terracinensi, & Privernensi Civitatibus Seminarium ad præscriptum Concilii Tridentini instituas, Monteimque Pietatis erigi cures, conscientiam Tuam super hoc onerantes* = Verbum enim illud *instituas* importare dicit absolutam necessitatem exequendi jussionem *Decian. cons.* 19. *num.* 147., *Menoch. cons.* 224. *num.* 27. *lib.* 3., *Rot. decis.* 955. *num.* 35. *coram Molin.*

Sequuta verò Seminarii erectione in Civitate Priverni, nullam solvendam fore censet taxam Seminario Setino, sed novo Privernensi Seminario esse applicandam, prout in III. Dubio quæritur, tum quia quodlibet onus adimpleri, & solutio quælibet semel tantum fieri debet ad *Text. in §. solvitur instit. quib. mod. oblig. toll.*, *Ansald. de Commerc.*, *& Mercat. disc.* 26. *num.* 48., tum quia unica solutio præscripta fuit favore Seminarii a Concilio Tridentino *loc. cit.*, & a Benedicto XIII. in Constit. *Creditæ nobis* anno 1725., eaque facienda præcipitur ab omnibus Ecclesiasticis Locorum, in quibus tamen Seminaria actu non habentur. Hinc arguit Beneficia Privernensis Diœcesis exempta esse debere a solutione taxæ pro Seminario Setino, quando in Civitate Priverni aliud Seminarium erectum sit.

Demum addit Communitas Priverni, tum ipsam, tum etiam Ecclesiasticos omnes sese obligasse ad expensas pro Seminarii erectione, & manutentione. Patere itaque quo zelo omnes Civitatis Ordines pro bono publico totius Diœcesis, & Divini cultus augumento trahantur. Nec obsta-

re

re consensum præstitum a nonnullis Canonicis Cathedralis Priverni pro solutione taxæ favore Seminarii Setini, quia illi obierunt, nec ullum inferre potuerunt præjudicium successoribus pro aperitione Seminarii instantibus, ad tramites Concilii Tridentini.

Ex parte Civitatum Terracinensis, & Setinæ, quamvis diu expectatæ fuerint, nihil hactenus habuimus.

Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.*, in qua plura de Seminariis sancita sunt, hæc habet = *Sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ pro modo facultatum, & Diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius Civitatis, & Diœcesis, vel ejus Provinciæ, si ibi non reperiatur, numerum in Collegio ad hoc propè ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur*= Itaquè ex præscripto Concilii Tridentini obligatio erigendi Seminarium afficit singulas Cathedrales, & verbum illud *singulæ*, quo utitur Concilium, distributivè refert dispositionem decreti ad unamquamque Ecclesiam, itaut tot esse debeant Seminaria, quot sunt Cathedrales *Bald. cons.* 461. *num.* 6. *lib.* 1., *Soccin. cons.* 188. *num.* 9. *lib.* 2., *Cephal. cons.* 16. *num.* 55. *lib.* 1., *Barbos. de diction.* 372. *n.* 1. *Surd. dec.* 268. *n.* 5., *& seqq.*

Animadvertendum præterea, quod licet duorum Cathedralium unio æquè principaliter facta non mutet statum cujuslibet Ecclesiæ respectu sui, sed unaquæque ex illis eadem jura, qualitates, prærogativas, & privilegia etiàm post unionem conservet, quibus antea pollebat, *Fagnan. in cap. cum certum sub num.* 30. *de Majorit., & obed., Gratian. discept.* 892. *num.* 5., *Franc. de Eccles. Cathedr. cap.* 8. *n.* 136., *Gonzalez. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 7. *num.* 118., *& seq.* Nihilominus respectu Episcopi, cujus gubernio duæ illæ, vel plures Cathedrales commissæ sunt, pro unica Ecclesia habentur *Garz. de benef. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 37., *Gonzalez. loc. citat. num.* 112., *& seq. Gratian. discept. forens. cap.* 655. *num.* 6., *Rot. decis.* 418. *num.* 3. *coram Cavaler.*. Hinc inquirendum est, an Concilium Tridentinum in decernenda Seminarii erectione ad Episcopum potius respexerit, quam ad ipsas Ecclesias Cathedrales, quas *singulas* ad instituendum puerorum Collegium teneri mandavit. Ac præterea videndum an hac in re, quæ ad Ecclesias ipsas Cathedrales pertinet, spectari potius debeat quid sint duæ illæ, vel plures Cathedrales per vim unionis respectu Episcopi, vel potius quo modo post unionem considerari debeant. Id perspexisse videtur Sac. Congregatio *in Brundusina* relata a *Pignattell. tom.* 9. *consult.* 81. *num.* 74. ibi = *Si Episcopus duabus Civitatibus præest, in utraque erigatur Seminarium, & si reditus non sufficiant, conducantur Magistri.* Idem quoque resolutum fuisse tradit *Gallemart. ad Concil. Trid.*

Trid. loc. cit. num. 1. ; Viden. quoque *Pax. Jordan. elucubrat. tom.* 1. *lib.* 7. *tit.* 4. *num.* 4. ; *Pacian. de probat. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 58. . *& ſeq.*

Hoc ipſum magis magiſque patet ex declarationibus Sac. Congregationis quoad Pœnitentiarium in omnibus Cathedralibus Eccleſiis inſtituendum ex decreto Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *cap.* 8. *de Reform.*, quod ita ſe habet = *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis, ubi id commodè fieri poteſt, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur*. Quoties enim duæ Cathedrales invicem unitæ ſint, Sacra Congregatio cenſuit, non unum tantùm in earum alterutra Pœnitentiarium eſſe deputandum, ſed binos, & ſingulos in ſingulis Cathedralibus. Hinc cum anno 1650. quæſitum fuiſſet = *An Epiſcopus teneretur in Eccleſia Cathedrali Valven. unita Eccleſiæ Sulmonen. erigere Præbendam Pœnitentiariam* = reſcriptum fuit = *Affirmative* = Similiter in *Geruntinen.*, *& Cariaten. Synodi*, *& Gravaminum* inter cætera dubia, hoc ſexto loco propoſitum fuit = *An in Cathedrali Geruntina erigenda ſit Præbenda Pœnitentiaria* = Sac. Congregatio die 2. Octob. 1706. reſpondit = *Affirmativè ad formam Concilii*, & die 11. Februarii 1708. perſtitit in deciſis. *Theſaur. reſol. tom.* 9. *in addition. pag.* 143.

Hac igitur poſita Conciliaris decreti de erectione Seminarii interpretatione, ſequitur habendam eſſe rationem non Epiſcopi, ſed Cathedralium. Præſtat itaque perpendere, an id ipſum procedere debeat quoad Eccleſiam Privernenſem, de cujus Cathedralitate nos minimè dubitare ſinunt tum litteræ Apoſtolicæ ſa. mem. Benedicti XIII. annorum 1725., & 1726., tum quæ in eadem Eccleſia peractæ fuerunt Sacræ functiones in Cathedralibus fieri conſuetæ, nempè Sacræ Ordinationes, Oleorum conſecratio feria V. Majoris hebdomadæ, Synodus Diœceſana anno 1764. celebrata, & aliæ hujuſmodi.

Quod ſi ratione Cathedralitatis permittenda non videretur erectio Seminarii in Civitate Priverni, ponderandum eſſet, an eadem locum habere poſſit ſaltem ob amplitudinem Diœceſis, qua poſita Concilium Tridentinum *loc. cit.* ita ſtatuit = *In Eccleſiis autem amplas Diœceſes habentibus poſſit Epiſcopus una, vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, Seminaria habere* = Notanda tamen ſunt verba illa *poſſit*, nec non *prout ſibi opportunum videbitur*, quæ præceptum excludunt, & ad ſummum boni Viri arbitrium importare videntur.

Præter hæc habenda quoque ratio eſt Bullæ Clementis XIII. ad hodiernum Epiſcopum datæ anno 1758., in qua hęc leguntur = *Volumus autem, quod . . . in Terracinen., & Privernen. Civitatibus Seminarium ad præſcripta Concilii Tridentini inſtituas, Montemque Pietatis erigi cures, conſcientiam tuam*

ſuper hoc onerantes = Expendendum, an hujuſmodi formula præceptum importet, vel conſilium tantummodò, atque hortationem.

His itaque perpenſis definiendum erit.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An ſit locus aperitioni Seminarii in Civitate Priverni, & Terracinæ in caſu &c.*

III. *An taxa ſuper reditibus Eccleſiaſticis Diœceſis Privernen., aliiſque reditibus adſcriptis Seminario Setino, adjudicari debeat Seminario Priverni in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 20. Aprilis 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EXamen trium ſequentium Cauſarum, quæ priori loco indicantur, ac deſcriptæ fuere in Folio poſtremæ Congregationis diei 16. Martii, hodierno Conſeſſui EE. PP. reſervarunt. Dignentur itaque tum illas, tum ſex alias noviter adjectas conſueta juſtitia definire.

TERRACINEN. JUBILATIONIS.

An ſit concedendum Indultum Jubilationis, in caſu &c. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

Affirmativè, & ſcribatur Epiſcopo juxta mentem.

VELITERNA TAXÆ SEMINARII.

An Penſionarii teneantur ad ſolutionem Taxæ favore Seminarii Veliterni, in caſu &c. *Seſſ. 23. cap. 18. de Reform.*

Affirmativè, & amplius.

PRIVERNEN. APERITIONIS SEMINARII.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris, in caſu &c.* *Seſs. 23. cap. 18. de Reformat.*

Et quatenus affirmativè

II. *An ſit locus aperitioni Seminarii in Civitate Priverni, & Terracinæ, in caſu &c.*

III. *An Taxa ſuper reditibus Eccleſiaſticis Diœceſis Privernen., aliiſque reditibus adſcriptis Seminario Setino, adjudicari debeat Seminario Priverni, in caſu &c.*

Ad I. Negativè.
Ad II: Ex hactenus deductis non eſſe locum aperitioni.
Ad III. Proviſum in ſecundo.

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

FANEN. LEGATI. Sacrario Ecclesiæ Cathedralis Fanen. ex dispositione pii Canonici Joannis Ligi perpetuum inest onus annua scuta 60. præstandi *ad un Giovine studente, che sia ben nato di buon Padre, e Madre, non sia offeso di difetto d'animo, e di corpo, per anni cinque, e sia Cittadino di Fano povero, e non Gentiluomo, o in Roma, o in Bologna, o in Padova, o in Perugia.* Jus autem eligendi Adolescentem ab eodem pio Fundatore datum fuit Episcopo Fanen., Abbati S. Paterniani, Rectori S. Petri, & Præposito, ac Archidiacono ejusdem Cathedralis Ecclesiæ.

Subsidium hoc anno 1769. petierunt Adolescentes duo, nempe *Andreas Bernetti*, & *Franciscus Tombari*, habitoque a dictis quinque Electoribus secreto scrutinio, *Andreas* tria vota favorabilia, & *Franciscus* duo tantum obtinuit. Reputans autem idem *Franciscus*, immeritò *Andream* electum fuisse, querelas ad Sacram Congregationem detulit super electionis validitate. Sed cum adhuc *Franciscus* negligat jura sua deducere, Andreas idcirco ad assequendam subsidii participationem, modo validitatem propugnat suæ electionis.

Inquit idem *Andreas Bernetti*, se electum fuisse ab iis, quorum erat jus eligendi, sibi proinde debitum esse subsidium: spretis prorsus tum querelis *Francisci Tombari*, qui tamquam excluſus majori suffragiorum numero, haud est legitimus Contradictor, tum etiam querelis Sacrarii Ecclesiæ Cathedralis, quod nequit voluntatem Fundatoris, onusque sibi injunctum impugnare. Inaniter vero excipi de defectu qualitatum a Fundatore volitarum: inquit enim eas a solis Electoribus examinandas, & ponderandas esse; Dum igitur Electores omnibus perpensis, ac perscrutatis ipsum renunciarunt idoneum; non possint alii, ad quos electio non spectat, de defectu qualitatum excipere *Rot. coram Lancett. decis.* 1057. *num.* 11.

Cæterum advertit, se civica qualitate, de qua potissima est quæstio, esse præditum, quum natus sit in ipsa Fanensi Civitate ex Patre munere Advocati, & publici Lectoris jam a 20. annis in ea fungente, qui cum universa famiglia ibi lares fixit, domum, bonaque acquisivit, quique ad instar Civium Fanensium in repartitione onerum taxatus fuit. Concludit ideo, claram esse civicam qualitatem, maximè quia sola nativitas in ipsa Fanensi Civitate cum civilitatem naturalem, & originariam inducat, ea sola satis est, ut frui valeat subsidio pro Civibus relicto. Et revera sæpius ad dictum subsidium admissos fuisse adolescentes vel tantum originarios, vel ex Patre natos, qui domicilio civilitatem acquisiverat.

Nec obesse defectum formæ a Statuto in novis admittendis Civibus præscriptæ. Eam siquidem in illis tantum servandam, qui nullam a jure civilitatem habent, non vero exclu-

excludere civilitatem, vel origine, vel domicilio acquisitam. Hinc concludit, spernendum esse contrarium Episcopi judicium, uti erroneis, futilibusque rationum momentis innixum.

Capitulum vero ad vindicandam Fundatoris voluntatem excipit, dictam electionem, uti factam contra Fundatoris voluntatem, nullam prorsus, & irritam esse. Ait enim, Fundatorem vocasse Juvenem, *che sia ben nato di buon Padre, e Madre, non sia offeso d'animo, o di corpo*: honestati autem, ac morum probitati non respondere, quod *Andreas Bernetti* pluribus expilatis Paternæ domus rebus, semel, atque iterum a Patriis laribus diverterit, exteras oras peragraverit, absumptisque demum rebus, & pecuniis Fanum redierit.

Addit, Andream civica qualitate carere, quum Doctor Anicetus Bernetti Pater nec origine, nec domicilio, nec adlectione civicam qualitatem umquam acquisiverit; Non quidem origine, cum ortum duxerit in Terra Montis Giberti Firmanæ Diœcesis: non domicilio, cum ratione dumtaxat temporanei muneris Lectoris in Collegio Nulphio, moram habuerit, & habeat in Fanensi Civitate absque animo perpetuo habitandi: non demum adlectione, cum nunquam servata fuerit forma a Statuto in novis Civibus admittentis præscripta, nec ullibi accesserit publici Consilii consensus, & juramenti præstatio.

Et revera eumdem Anicetum nunquam Lares, rerumque, ac fortunarum suarum summam è Terra Montis Giberti in Civitatem Fanensem transtulisse, imo publico scripto Magistratui Fanensi exhibito declarasse, se uti exterum, & Forensem ab oneribus, quibus Cives subjiciuntur, immunem esse, prout eadem onera nunquam tulit. Spernendam ideo esse occasionalem ejusdem moram cum familia in Fanensi Civitate, cum ratione officii absque animo perpetuo habitandi habita fuerit, neque obesse emptionem cujusdam Prædii in Territorio Fanen., quod eo tantum animo aquisitum fuit, ne videretur malum consilium dedisse ei, qui idem prædium emere exoptans, de fideicommisso timebat.

Hinc concludit, nullam in *Andrea* civicam qualitatem adesse ex persona Patris: addens, multo minus eam sortiri potuisse ex ejusdem *Andreæ* nativitate in ipsa Fanensi Civitate, utpotè quæ occasionalis tantum fuit, & accidentalis, ac proinde inepta ad civicam qualitatem acquirendam. *Leg. Filios Cod. de municip., & origin. lib.* 10.

Demum advertit, Fundatorem voluisse electionem *Juvenis pauperis*: nullam autem paupertatis probationem ab *Andrea* fuisse adductam, nec adduci, imo constare ejusdem Patrem divitem esse non solum ex honorario Lectoris in Collegio Nulphio, sed etiam ex bonis quæ præcipuè in Terra Montis Giberti possidet.

Epi-

Episcopus verò hæc habet = *Mihi sane videtur Franciscus Tombari Andreæ Bernetti anteponendus. Vel enim mentem spectemus Testatoris, vel ipsius met Advocati Bernetti confessionem, utraque pro Tombari evincit. Non est præsumendum, quod voluisset illum postponi, qui originem habet paternam, & propriam una cum Domo, aliisque prædiis alteri, qui per accidens est in Civitate natus, ibique moram trahit. Confessio vero Advocati Bernetti se non esse Civem, neque Civium oneribus obnoxium apertissima est; nam pluries voce, & scriptis id asseruit.*

Civium nomine non solum veniunt, qui in ipsa Civitate nati sunt, sed etiam, qui in ejusdem continentibus, ac Suburbiis. Inquit *Terentius in Leg.* 147. *de verb. signif.* = *qui in continentibus Urbis nati sunt, Romæ nati intelliguntur*; & *Ulpianus in Leg.* 30. *ad municip.* = *qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui Reipub. vicus ille respondet*, ibique *Gloss.* = *Natus in Terra Butrii dicitur civis hujus Terræ. cum Villa Butrii sub hac Civitate sit. Qui ex vico, ut Virgilius Mantuanus licet ex vico ejus, scilicet Plectolæ, fuerit ortus.*

Civilitas autem acquiritur vel natura, hoc est origine, vel domicilio, vel demum privilegio *L.* 7. *Cod. de Incolis*. Inepta tamen est ad civilitatem acquirendam accidentalis origo, vel simplex habitatio ratione officiorum, & negotiorum, etsi longissima. Ad effectum enim verum acquirendi domicilium requiritur animus perpetuo habitandi, quod ex translatione majoris partis bonorum, & familiæ, aliisque conjecturis evinci debet. Hinc Curiales, Advocati, Procuratores, Doctores ad legendum conducti, aliique, qui in Urbe degunt non animo ibi perpetuo permanendi, sed tantum ratione officiorum, numquam contrahunt domicilium, neque incolatum, etiam mille annis habitando *Ridolph. in prax. part.* 1. *cap.* 7. *num.* 61., *Rot. apud Fenzon. ad Stat. Urb. decis.* 109., *& part.* 9. *Recent. decis.* 312. *num.* 17.

Fundator jussit eligi *un Giovine studente, che sia ben nato, di buon Padre, e Madre, non sia offeso di difetto d'animo, e di corpo per anni cinque, e sia Cittadino di Fano povero, e non Gentiluomo*. Perpendendum ideo, an in *Andrea Bernetti* electo concurrant dictæ omnes qualitates a Fundatore præscriptæ.

Quid ergo inspecta Fundatoris voluntate dicendum in casu sit, EE. PP. edicent.

An electio sustineatur, in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes.

PE-

PERUSINA MONTIS PIETATIS. Ex hæreditariis pii Viri Raynerii Conſolini bonis aſcendentibus ad ſcuta 14000., prope finem ſæculi XVI. erectus Peruſiæ fuit Mons Pietatis, auctoritate Apoſtolica confirmatus a ſan. mem. Clemente VIII., impertita etiam facultate exigendi fructus ſummæ mutuatæ ad rationem ſcutorum duorum pro centenario, & anno in neceſſarias Ædium expenſas, & Miniſtrorum ſtipendia erogandos. Decurſu temporis ſive debitorum impotentia, ſive Rectorum incuria ad eam Mons iſte paupertatem devenit, ut anno 1699. claudi debuerit. Interea vero refectis aliqualiter viribus anno tandem 1735. ad exercitium revocatus fuit, annuente ſa:me: Clemente XII., qui facultatem indulſit exigendi per decennium ab oppignorantibus ſcuta tria pro centenario, eamdemque facultatem ſan.mem.Benedictus XIV.ad aliud decennium prorogavit. *Seſs.22. cap.8. de Reform.*

Non advertentes tamen Montis Miniſtri, lapſum jam fuiſſe decennium ad exactionem auctæ quantitatis uſurarum prorogatum, eamdem exactionem, abſque facultate proſequuti ſunt; Quare novi Præſides ſupplicem obtulerunt libellum ſan. mem. Clementi XIII. petentes tum abſolutionem a pœnis, & cenſuris ob protractam ultra decennium exactionem, tum etiam novam, nullaque temporis præfinitione circumſcriptam facultatem percipiendi uſuras in eadem ſumma ſcutorum trium pro centenario. Precibus ad hanc Sacram Congregationem ablegatis, annuit quidem ipſa quoad præteritum abſolutioni, erogatis ſcutis centum in eleemoſynam Pauperum; Verum quod pertinet ad tempus futurum, res abiit irreſoluta, & modo proponitur definienda.

Præmiſſo autem, quod juxta Concilium Lateranen. V. *ſeſſ.* 10. liceat pro Montis indemnitate aliquid ab oppignorantibus ultra morem accipere, obſervant Præſides Montis Conſolini, indemnitatem haberi non poſſe, niſi tria pro centenario exigantur, idque ex eo primum deſumunt, quod coercita exactione ad duo tantum ſcuta, retrahi vix poſſet annua ſumma ſcutorum 193. 45. habita ratione de capitalibus, quæ hodie non excedunt ſcuta 9672.; quibus ſi addantur alia ſcuta 73. 50: provenientia ex cenſu, & Locis Montium, integra ex omnibus conſtitueretur ſumma ſcutorum 266. 95.. Aliunde verò conſtare dicunt, impenſas pro Miniſtris, & Montis manutentione ſummam excedere ſcut. 277. 23.

Addunt etiam, ab anno 1735. ad hæc uſque tempora quamvis percepta fuerint ſcuta tria pro centenario, nihil tamen lucri perceptum fuiſſe, cum non auctum, ſed imminutum potius fuerit capitale a pio Inſtitutore relictum. Inferunt proinde, neceſſarium eſſe uſuræ augumentum ad pium opus conſervandum, habita præſertim ratione peri-

riculi, & damni, quibus Mons est obnoxius tum ob debitorum decoctionem, tum ob pignorum peremptionem, tum etiam ob infidelitatem Ministrorum, quæ omnia majori fructuum accessione sunt compensanda, *Card. de Luc. in supplem. de usur. num.30. tom.16.*, *Ursaya Institut. crim. lib.3. tit.8. num.94.*

Contendunt præterea, ad præfiniendam usuræ, seu lucri quantitatem, quæ a jure præscripta non sit, standum esse Locorum consuetudini *Card. de Luc. loc.cit. num.39.*, *Vesaya loc. pariter cit.*, *Rot. decis. 1205. num. 14. coram Emerix Jun.*. Perusinæ autem Civitatis eam esse consuetudinem, ut ab alio quoque Monte Pietatis tria pro centenario percipiantur, quamvis aliis quoque reditibus perfruatur.

Denique non satis consultum putant si petita facultas ad certum tempus concedatur, cum experientia trium præteritorum annorum compertum sit, temporaneam provisionem nequaquam posse sufficere, sed illimitatam, & indefinitam omninò requiri.

Antiquissima, celebrisque olim fuit inter Theologos, & Canonistas controversia, an Montes Pietatis licitè possent aliquid lucri pro necessariis Ministrorum impensis exigere. Definita tandem fuit a Lateranensi Concilio sub Leone X. anno 1515. celebrato, hoc modo = *Montes Pietatis per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum, ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum confirmationem, ut præfertur, pertinentium, pro indemnitate dumtaxat, ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium, recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque ullo pacto improbari, quin immo meritorium esse ac laudari, & probari debere, tale mutuum minimè usurarium putari, licereque illorum pietatem, & misericordiam Populis prædicare . . . . . ac deinceps alios etiam similes Montes, Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse.* Hinc Concilium Tridentinum *Sess. 22. cap.8. de Reform.* Montes Pietatis inter Pia Loca recensuit, & Episcoporum visitationi subjecit.

Verum non leve subest periculum, ne quod a Montis Præfectis exigitur, superet, quod pro illorum indemnitate, & impensis necessarium fuerit. Hinc Sacra Congregatio, ut omnem usuræ suspicionem removeret, nihil supra sortem accipiendum statuit, nisi Sedis Apostolicæ auctoritas accederet. Ita enim *die 7. Februarii 1637.* Archiepiscopo Neapolitano scripsit = *Loca pia, & Sacras Ædes, quæ deposita retinent, dum mutuant indigentibus pecuniis, accepto pignore, non posse quidquam a Mutuatariis, nisi ex Sedis Apostolicæ dispensatione, accipere* = *lib. decret. 15. pag.486.* Idemque responsum *die 14. Martii* ejusdem anni dedit Episcopo

An-

Andrienti, ut ex *cod. lib. 15. decret. pag. 501. tevg.*

Itaque Romani Pontifices non aliter facultatem dederunt erigendi in Civitatibus Montem Pietatis, quam ſervata forma a Leone X. in Concilio Lateranenſi præſcripta, eaque in primis ſub conditione, ut recipi a Mutuatariis poſſit aliquid moderatum pro expenſis tantummodo Miniſtrorum, & Montis indemnitate. Hinc hujuſmodi expenſarum habenda ratio eſt in præfinienda interuſurii quantitate, quæ pro varia neceſſitate expenſarum, varia quoque ſit oportet. Sacra Congregatio in *Avenionen. 26. Maii 1611.*, *in Tudertina 17. Auguſti 1626.*, *in Theatina 5. Julii 1627.*, *in Lucerien. 27. Maii 1645.* tria pro centenario recipi poſſe cenſuit; Sed in *Cremonen. 31. Maii 1580.*, *& in Vercellen. 8. Octobris 1628.* duo tantum, ac in *Meſſanen. 11. Aprilis 1625.* unum dumtaxat exigi permiſit, ut refert *Pignattel. tom. 4. conſ. 153. num. 4.*

Et quamvis in permittenda interuſurii perceptione ea ut plurimum a Sac. Congregatione addita fuerit clauſula = dummodò non excedant tria pro quolibet centenario, ut in *Viglevanen. 19. Januarii 1677.*, *in Avenionen. 26. Maii 1612.*, *in Derthonen. 27. Auguſti 1626.*, *in Theatina 5. Julii 1625.*, *in Mutinen. de Finali 22. Auguſti 1637.*, *& in Lucerien. 27. Julii 1645.*, nihilominus aliquando etiam declaravit, quatuor pro centenario recipi poſſe, ut in *Cononen. 28. Aprilis 1599.*. Quin immo facultatem quoque exigendi ſcuta quinque pro centenario impertita fuit, ſi gravis urgeret cauſa neceſſariæ ſubventionis pauperum, & ratio lucri ceſſantis, & damni emergentis id ſuaderet, quemadmodum permiſit Monti Pietatis Bononiæ, Mutinæ, Veronæ, & Ferrariæ, ut liquet ex Apoſtolico Indulto, quod legitur apud *Paſqualig. deciſ. moral. 183. num. 6.*, cæteriſque prætermiſſis etiam in *Caſalen. Montis Pietatis 28. Januarii 1708.*

Hiſce ergo præmiſſis præ oculis habendus eſt Status Montis Pietatis Conſolini, ut inde dijudicetur quid a Mutuatariis pro neceſſariis Miniſtrorum impenſis, & Loci pii indemnitate exigi poſſit. Inquirendum in primis, an excedens videatur vel Miniſtrorum numerus, vel eorum ſtipendium, itaut imminui, ac reformari debeat. Videndum deinde quantum utilitatis dictus Mons perceperit per id tempus, quo vigore Indulti Clementis XII., & Benedicti XIV. ſcuta tria in ſingula centum exegit: Quod ſi nullum fortaſſe, aut parum incrementi percepiſſe conſtiterit, videndum, an id tribuendum ſit quantitati expenſarum, quæ pro indemnitate Montis neceſſariæ fuerint, vel potius pravæ Miniſtrorum adminiſtrationi, & Rectorum incuriæ, cui proinde opportunum remedium afferri debeat.

Nec omittendum, alium adeſſe Peruſiæ Montem Pietatis,

qui ab anno 1587. scuta tria pro quolibet centenario, & anno percepit; & nihilominus in eum statum devenerat, ut illum claudere oportuisset, nisi san. mem. Benedict. XIII. per suas litteras in forma Brevis utriusque sexus Regulares sub majoris excommunicationis pœna coegisset ad deponendas in hac Æde Sacra pecunias, quas investire jubentur, reliquosque ad judicialia deposita ibidem peragenda. Considerandum proinde, quid in præsenti casu permitti debeat, inspecto præsertim, quod si indultum denegetur, pauperes minori interusurio allecti, omnes ad Montem Consolinum confluent, timendumque idcircò vehementer, ne universa ex ærario pecunia quam cito deficiat.

Episcopus in sua Informatione Oratorum precibus omninò favet. Disertè affirmat, Ministrorum numerum reduci non posse, cum omnes sint necessarii, nec illorum stipendium imminui, cum ratione laboris non sit excedens. Advertit insuper, quod etiam aliquid lucri superesset posset ex perceptione interusurii scutorum trium pro centenario, ut contigit anno 1767., illud tamen pro inopinatis expensis posset deservire.

An Rectoribus Montis Consolini Civitatis Perusiæ sit concedendum Indultum perpetuò exigendi scuta tria pro quolibet centenario, in casu &c.

Dilata, & prævia firmatione Status, & redituum Montis, Episcopus cogat Ministros ad redditionem rationis, non retardata interim provisionali exactione ad rationem scutorum trium pro centenario, & ad D. Secretarium juxta mentem.

Sess. 14. cap. 7. de Reformat.

SALERNITANA IRREGULARITATIS. Exeunte mense Septembri anni 1769. cum Angelus Moscati Famulus comitatus esset Petronillam Nicolais Uxorem Francisci Jannelli, simulque ad agrum quemdam accessissent, supervenit Sacerdos Michael Jannelli ejusdem Francisci Frater, dictumque Angelum famulum objurgavit, tum quia poma auferentem vidisset, tum etiam quia detractoriis verbis suam famam lædere non erubuisset. Hinc dissidiorum, & rixarum causa, timensque Petronilla, ne damnum aliquod sibi, aliisque eveniret, media inter rixantes stetit, & Sacerdotem Cognatum ambabus manibus apprehendit, eumque obsecravit, ut ab incepto sermone desisteret. Interim verò Angelus igneum tormentum in Sacerdotem explosit, ejusque loco vulneravit Petronillam, quæ paulo post ex accepto vulnere occubuit.

Rumor homicidii increbuit, & Curia Archiepiscopalis Salernitana in Sacerdotem Michaelem inquisivit, eique loco carceris Palatium Archiepiscopale assignavit, plurefque Testes examini subjecit. Hi autem Testes, una excepta

pta Petronilla, depoſuerunt vel de auditu, vel ex publica voce, & fama, Sacerdotem Michaelem, poſtquam eadem Mulier vulnerata remanſerat, exploſiſſe in Angelum ictum ſclopi, quod nonnulli affirmarunt, duplici igniario fuiſſe onuſtum, ſcilicet *a due botte*. Petronilla verò penè moritura, depoſitionem & ipſa complevit, ac faſſa eſt, Sacerdotem Jannelli igniarium ſclopi, quem tenebat, attolliſſe, & hac de cauſa ipſum comprehendiſſe, ne Angelum interficeret. Duo alii Teſtes ex ore ejuſdem Sacerdotis confirmarunt ſclopi exploſionem ab eo contra Angelum commiſſam, licet conveniant, nihil detrimenti dictum Angelum paſſum fuiſſe. Verum Sacerdos Michael non ſolum ſclopi exploſionem, ſed illius quoque retentionem conſtanter in ſuo conſtituto negavit. Angelus tamen inventus eſt ſaucius vulnere, non mortifero, nec ab igneo inſtrumento, ſed a cultro potius illato; & quamvis Parochus ex ore ipſius Angeli a Sacerdote Michaele cauſatum fuiſſe aſſeruerit, nihilominus alii Teſtes, aut neſcire profeſſi ſunt, aut omninò vulnus excluſerunt, immò ex his duo ex publica voce teſtati ſunt, Angelum ſemetipſum vulneraſſe.

Hiſce omnibus completis Sacerdos inquiſitus defenſionibus renunciavit, & Curia Archiepiſcopalis ſententiam protulit, qua dictum Sacerdotem Jannelli liberandum, & abſolvendum fore declaravit, præſtita tamen cautione de ſe repræſentando novis ſupervenientibus indiciis, & facta obligatione de peragendis Spiritualibus Exercitiis decem dierum ſpatio, ac de non deferendis armis ſub pœna in Conſtitutionibus Synodalibus præſcripta. Quo verò ad irregularitatem hæc addidit = *Verum reſpectu irregularitatis forſan incurſæ ob cauſam ab ipſo datam homicidio præditio, adeat Sacram Pœnitentiariam pro Apoſtolica diſpenſatione, vel reſponſo ad cautelam, & donec non doceat hanc Curiam de dicta diſpenſatione, vel reſponſo Apoſtolico, deſtineatur ſub eodem mandato, in quo reperitur, & ſe abſtineat a celebratione Miſſæ ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis.*

Supplex idcircò Sacram hanc Congregationem adiit Sacerdos Orator; qui totus modo in eo eſt, ut irregularitatem excludat. Expendit enim textum in *in cap. De cætero de homicid. volunt.*, *vel caſual.* in quo ſtatuitur, Diaconum, qui homicidio cauſam dediſſe videtur, non eſſe ad Sacerdotium promovendum, idque locum tantummodò habere ait in caſu, quo quis proximam morti cauſam præbuit, ſcilicet conſilio, præcepto, vel ope, ut ex *gloſſa ejuſdem cap.*, & explicat *Fagnan. in comment. ad idem cap. num. 7.*. Nullam autem, ſuſtinet, datam a ſe fuiſſe homicidio cauſam, cum nonnulla tantum verba in Angelum protulerit, quæ etſi gravia fuerint, nihilominus illatam necem non immediatè, ſed fortuitò, & per accidens re-

pexerunt, nec homicidio causam ullo modo præbuerunt *Natt. conf.*47. *n.*3. *lib.*1., *Menoch. de præsumpt. lib.*1. *quæst.*89 *n.*66., *Honded. conf.*107. *n.*44. *lib.*1.

Hinc sequi, remotam ad summum homicidio causam dedisse, quæ inepta est ad irregularitatem contrahendam *Cap. Exhibita*, *Cap. Dilectus*, *Cap. Significasti*, & *Cap. Quidam de homicid.*, *Fagnan. in d. Cap. De cætero num.*13. Eamque fuisse Sacræ Congregationis sententiam, ut refert *Sell. in select. Canon. cap.*49. *num.*10.. & in *Pampilonen.*, *ac in Oriolen.* relat. *a Fagnan. loc. cit. num.*15. Nec facessere sententiam Curiæ Archiepiscopalis, quæ Sacerdoti Michaeli mandavit, ut cautionem præstaret de se representando novis supervenientibus indiciis, quia hanc clausulam non impedire asserit, quin sententia absolutoria suum complementum fuerit assequuta, cum per eam priora indicia omninò extincta remanserint, & prævia fidejussio plenariæ absolutionis vim habuerit *Leonard. Ricc. lib.* 1. *cap.*7. *num.*6. *& seq.*, *Farinacc. quæst.*4. *num.*25. *verb. Amplia primo*.

Archiepiscopus inquit, Oratorem spiritualia exercitia peregisse: Promotorem Fiscalem censere, ipsum in irregularitatem incidisse, quia Petronillæ mors sequuta fuerit ob culpam præambulam ab eo datam; Sed Oratorem contendere nullam contraxisse irregularitatem, cum homicidium nec sua voluntate, nec ulla sui prævisione patratum fuerit, quamvis rixæ causam dederit. Denique concludit = *At quia Orator pro executione decreti hujus Curiæ instat pro dispensatione ad cautelam, gratiæ petitæ censeo esse locum.*

In *Cap. De cætero de homicid. volunt., vel casual.* statuit Alexander III., quod *Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus*. In hujus Textus expositione explicat glossa, quod si quis proximam homicidio causam dedit, scilicet consilio, præcepto, vel ope, irregularitas contrahitur, secus verò si remotam tantummodo causam præbuerit, nisi animo nocendi, vel minori diligentia id fecerit; Verum Fagnanus in *d. Cap. De cætero num.*7. 12., *& seq.* convenit quoad irregularitatem ab eo contractam, qui consilio, præcepto, vel ope homicidio causam præbuerit: Quò verò ad causam remotam, duos distinguit casus; Primo scilicet animadvertendum putat, si causa remota ad homicidium verosimiliter ordinetur, itaut qui causam dederit, videatur habuisse animum occidendi, quo in casu irregularitatem contrahi existimat, quatenus tamen quis operam daret rei illicitæ, vel animo nocendi fecerit, aut diligentiam, quam potuit, & debuit non adhibuerit.

Alter casus est, si causa nullimodè ad mortem inferendam fuerit ordinata, & tunc omnem excludit irregularitatem etiamsi

etiamsi quis per accidens operam daret rei illicitæ, argumento *Text. in Cap. Exhibita eod. tit.* Hinc in *Pamphilonen*, cum Presbyter audisset laicum quemdam cum sua nepte solere carnaliter commisceri, & quadam nocte armatus, & ab aliis sociatus ad Domum Nepotis Presbyter accessisset, ut Laicum ad Matrimonium contrahendum compelleret, & Laicus vix Presbyterum fores pulsantem audivit, è fenestra sese proiecerit, & statim occubuerit, disputatum fuit, an propterea Presbyter irregularitatem contraxerit, *die* 29. *Novembris* 1602. responsum prodiit = *secundum ea, quę proponuntur, non incidisse in irregularitatem* = similiter *in Palentina* 22. *Aprilis* 1679. agebatur de Clerico, qui a Viro cum Uxore deprehensus vulnere affectus fuerat, & post longum tempus in idem commercium reinciderat, ex quo factum est, ut quadam nocte superveniente Viro Clericus aufugerit, & Vir Uxorem interfecerit; Cumque hac de causa Episcopus eumdem Clericum irregularem existimaverit, eumque ad Sacros Ordines promovere recusaverit, quæsitum fuit = *An propter hoc incurrerit irregularitatem* = & Sacra Congregatio respondit = *Negativè* = *tib.*30. *decret. pag.*295.

In præsenti casu ponderandum, an satis constet de vulnere, quo Angelus affectus remanserit, & an Sacerdos Michael ejus Auctor fuerit. Sacri Canones in *Cap. Ad audientiam, & in Cap. Significasti il* 2. *de homicid. volunt., vel casual.* statuerunt, quod percutiens aliquem non læthaliter, nec animo occidendi, irregularitatem non contrahat, si mors vulnerati non ex homicidio, sed ex alia urgentiori causa processerit: Immò in *Cap. Exhibita eod. tit.* exponitur casus Clerici, qui cum quibusdam suis coætaneis ludens, lapidem in unum ex his jecit, & ex percussione lapidis vulneratus remansit, atque ob incuriam Patris, & medicantis imperitia occubuit, & declaratum fuit, dictum Clericum in irregularitatem nequaquam incidisse. Denique Gonzalez in comment. ad *Cap. De cæro eod. tit. n.*5. ait = *Si quis alium vulneraverit, sanguisque effundatur absque cæde, aut mutilatione, irregularis non manet.*

Viderint Eminentissimi PP. quid libratis circumstantiis præsentis casus diiudicandum sit, dum quæritur.

An constet de irregularitate, itaut sit locus dispensationi in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

FIRMANA. Publicis confectis tabulis inter Religiosos Conventuales Oppidi Mollani, & Arsiliam Forti initus fuit anno 1612. Contractus, quem ipsi nuncuparunt = *Concordiam, transactionem, & pactum* = In eo præmissa concessione a Religiosis Arsiliæ, & suis facta Sacelli cum Ara

*Sess.*22. *decret. de observ., & evitan. in celebr. Miss.*

Ara B. Mariæ Misericordiæ in eorum Ecclesia recenter extructi, ac trium Sepulchrorum in ambitu Sacelli existentium, eadem Mulier, Dotis nomine Sacello, ac Religiosis cessit quoddam suum prædium rusticum, cujus sibi, & ad vitam viri sui reservavit usumfructum. Contra autem Religiosi = *promiserant ad unguem observare, & adimplere iusfrascripta Capitula, pacta, & Conventiones inter dictas partes initas & juramento vallatas* = nimirum quotidie in eodem Sacello unum agere Sacrum pro defunctis, & præsertim in suffragium Animæ ipsius Arsiliæ, Viri sui, & Consanguineorum successorum; Tria insuper Offieia certis designatis diebus quolibet anno celebrare; Lampadem præterea accensam in eodem Sacello perpetuo tenere, illudque demum semper servare Sacris suppellectilibus instructum:

Quamvis hujusmodi conventio per aliquod tempus exequutionem habuerit, nihilominus pluribus ab hinc annis nonnisi quam tria annua Sacrificia fuerunt celebrata, nec ipsa Capella amplius exiitit: Quare Arsiliæ hæredes Sacræ Congregationi supplicarunt, ut cogerentur Religiosi Sacellum vel reædificare, vel alterum ejus loco subrogare; & ad adimplementum onerum cogerentur tam quoad præteritum, quam etiam quoad futurum. Super hisce ergo, quæ Instrumenti exequutionem respiciunt, præsens vertitur disceptatio.

Inquiunt Actores, rem esse de obligatione ultro citroque susceptа, quæ proinde omnimodam requirit exequutionem *l. sicut C. de act., & oblig. Rot. in Recen. dec.*487. *n.*12. *part.*5. *tom.*2. Præsertim quia agitur de disposition ibus, quæ causam piam, & Divini cultus incrementum respiciunt, cum in isto casu eo celerius demandari debeat exequutio, ne Fidelium pietas imminuatur, ad *text. in Clem. Quia contingit de Relig. dom.*, idque procedere etiamsi conditiones adjectæ videri possent nimium graves *gloss. in Cap. Cum dilectus de Iurepatr. verb. Præsentare*.

Sustinent proinde, jus sibi competere cogendi Religiosos ad Sacelli reædificationem, vel ad subrogationem alterius cum tribus Sepulchris, cum id exigat natura Patronatus, qui etsi non fuerit expresse reservatus, nihilominus ex dotatione inducitur *Rot. dec.*421. *num.*2. *part.*2., *& decis.*288. *num.*4. *par.*4. *tom.*1. *Recen.*

Quo verò ad Missarum celebrationem perperam opponi ajunt sequutas nonnullis temporibus illarum reductiones, cum ea in Missis celebrandis per viam contractus non admittatur *Cap.*1. *de pact. Cap. Puellæ* 29. *quæst.*1., *Cap. Dilecti* 2. *de Appellat.*, *Fagnan. in Cap. Significatum de Præben. num.*29., *&* 50., & ne imminutis quidem reditibus possit efflagitari *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. canon. lib.*3. *tit.*13. *num.*16. Minusque rectè eas reductiones præscriptas fuisse

a su-

* Superioribus Regularibus, quav is auctoritate destitutis, *Scarfant. loc. cit.* ubi testatur, sic pluries fuisse a Sac. Congregatione declaratum.

Religiosi Conventuales, elapso jam anno a præfixione termini, nondum jura, si quæ habent, deduxerunt. Professi tamen sunt Eminentissimo Archiep iscopo, adhuc possidere prædium ab Arsilia pro dote Capellæ assignatum, sed imminutis ejus reditibus alia interpositas fuisse reductiones ab eorum superioribus factas ut habetur ex relatione ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi, quæ inter monumenta Causæ circumfertur.

Dotatio unus est ex Canonicis titulis, quibus Patronatus acquiritur *Cap. Monasterium*, *Cap. Filiis*, *vel Nepotibus* 16. *quæst.* 27., *Cap. Abbatem* 18. *quæst.* 2., etiam absque expressa reservatione *Cap. Significavit de Testib.*, quæ tamen hic non desideratur, & nulli dubium, quin Patrono jus sit urgere onerum adimplementum, nec nòn Capellæ, & Altaris manutentionem exposcere. Onera autem si a contractu correspectivo proveniant, adamussim adimpleri debent, etiamsi reddituum quantitati non respondeant, ut declaravit Rota in *Ravennaten. Salviani* 16. *Februarii* 1753. §. 10. *coram Eminentissimo Molino*, & S. Congregatio in *Maceraten. oneris Missarum* 15. *Novembris* 1687., *in Montis Politiani* 3. *Septembris* 1716., *in Bergomen. Reductionis Missarum* 10. *Iulii* 1728. Secus autem obtinet, quando ab ultima voluntate desumantur, tunc enim imminutis reditibus, quandoque dispensatio conceditur, ut in *Fanen. Reductionis Missarum* 23. *Aprilis* 1720., *in Regien.* 1. *Augusti* 1719.

Verum onera quoque per contractum suscepta aliquando reducuntur, si contractus licet initio justus, decursu temporis injustitiam nimiam sapiat, tunc enim pro indemnitate Loci pii ad æquitatem reducitur *leg. cum quidem ff. de usur.*, *& cap. Suggestum de Decimis*. Hinc præstat investigare valorem prædii pro Dote assignati, & verba illa expressa in relatione facta P. Commissario Ordinis Conventualium *Una possessione di valore di* 800. *fiorini in circa, come per informazione s'è trovato*. Videndum, an prædii valor oneribus responderet, ac modo respondeat, itaut damnum præsens cum præterito lucro compensari debeat. Consona sunt decreta Sac. Congregationis in *Faventin a Oneris Missarum* 12. *Februarii* 1735. *in Taurinen. celebrationis Missæ quotidianæ* 20. *Maii* 1752. *ad III. Dub.*

Controverti non potest, facultatem reducendi Missarum onera Superioribus Regularibus fuisse concessam a S. M. Urbano VIII., aliisque Summis Pontificibus, deindeque renovatam a Sa. Me. Benedicto XIII., ejusmodi tamen facultatis usus fieri debet maturo adhibito consilio, nonnullisque servatis regulis, ut ait *Benedictus XIV. de Synod. Diœcef. lib.* 5. *cap.* 10., sed ponderandum, an hujusmodi facultas

tas trahi possit ad onera per contractum inter vivos suscepta. Porrò S. Congregatio in *Mediolanen. Reductionis Missarum* 7. *Aprilis* 1731. declaravit= *Non sustineri reductionem Missarum factam a P. Generali Servorum B. Mariæ ex Indulto Innocentii XIII.*; & in *Romana Reductionis oneris Missarum* 18. *Aprilis* 1733. declaravit non sustineri reductionem vigore Indulti Sa.Me. Benedicti XIII. factam ab Abbate Generali Ordinis Camaldulensium oneris Missarum a Monasterio S. Gregorii per contractum suscepti,

Quatenus verò concedenda reductio videatur, perpendendum, quod juxta regulam a Sac. Congregatione amplexam, alia potius onera, quam Missarum numerus imminui debet, ut in *Prænestina* 24. *Januarii* 1705., *& in Lanen. Sarzanen.* 11. *Maii* 1728., & alibi, sed cautè quoque, quoad fieri potuit, prospici voluit manutentioni tum Ecclesiæ, tum Altaris a Testatore designati, ut in *Pisauren. Translationis oneris* 23. *Februarii* 1753., *in Mediolanen. Translationis Capellaniæ* 22. *Novembris* 1755., *& in Ianuen. legati* 28. *Septembris* 1737. *ad III. Dub.*

Hisce ergo præ oculis habitis dijudicandum erit.

An, & quomodo Instrumentum sit exequendum in casu &c.

Sess. 24. cap. 6. de Reform.

ABELLINEN. IRREGULARITAIS. Læsionem in sinistro brachio ex apopletico morbo passus Sacerdos Carmelus de Rienzo, cum ejus ministerio in Sacro peragendo uti nequiret, & leva manus inepta esset ad sustinendum, & elevandum Calicem, atque ad frangendam hostiam, dispensationem ab irregularitate efflagitavit. Actum hac de re fuit in Congregatione diei 28. Julii anni elapsi, qua die proposito dubio = *An sit concedenda dispensatio in casu &c.* = rescriptum prodiit = *Negativè*.

Novas Sacerdos Orator preces exhibuit, asserens decursu temporis, ac medelarum usu ita profeciisse, ut absque subsidio ambulare, & brachium sinistrum mediocriter movere possit, itaut sperare liceat, fore ut imposterum omninò convalescat, quemadmodum depositione etiam Medici comprobavit. Super hisce precibus iterum auditus est Episcopus, qui retulit = *In novo experimento coram Magistro Cærimoniarum habito non solum nulli deformitati obnoxium ipsum Sacerdotem esse cognovi, quæ Scandalo Populum afficiat, verum etiam brachium sinistrum ità nunc movere, ut amplius non immineat periculum calicem invertendi, quum illum elevat. Quod adjumentum ex usu thermarum Puteolanarum fuisse consequutum asserait, & facile crediderim. Pollicem verò, & indicem levæ non ita esse sanitati restitutas animadverti, ut queat illis dexteram adjuvare in frangenda Sacratissima Hostia super Calicem. Hinc ea tantum dispensatione indigere existimo, qua possit fractionem facere super patena.*

Pro-

Prosequitur deinde = *Quod si vos Patres Eminentissimi æquius melius ei indulgere judicaveritis, ut ex hostia eam tantum detrahat particulam, quæ est in Calicem immittenda, ut mihi primum visum fuit, & adhuc etiam videtur, majori certè decentia fractio fieret, nam pauciora, & fortasse nulla indè decciderent fragmenta, quibus colligendis minus aptam solam dexteram, alias Vobis significasse memini* = Denique concludit = *Rogatos vos interim Eminentissimi Patres volo, ut paupertati, seu potius devotioni prædicti Sacerdotis consulere dignemini.*

Hæc habet Episcopus in nova sua relatione. Quid autem super hac petitione animadvertendum sit, patebit ex folio *diei 7. Julii anni præteriti*, in quo causa describitur, & fusius, atque accuratius res expenditur. Viderint Emi PP. an supplicantis precibus annuendum sit, dum quæritur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

FOROSEMPRONIEN. Augustina Vidua quondam Caroli Joannis Francisci de Castro Refortiatarum in testamento condito anno 1638. onus iniunxit hæredibus celebrationis quinque Missarum in die Anniversaria sui obitus, totidemque in die festo S. Augusti, absque ulla tamen Ecclesiæ designatione. Deficientibus autem omnibus de sua Familia, & descendentia, hæreditatem deferri voluit ad Ecclesiam Parochialem S. Petri ejusdem Castri, ubi sepulturam elegit, addito onere alterius Missæ quolibet mense. *Sess. 22. decret. de observan., & evitan. in celebr. Miss.*

Defuncta Testatrice onus Missarum decem descriptum fuit in Tabella onerum ejusdem Parochialis Ecclesiæ, ibique ad annum usque 1720. adimpletum. Deinde verò Pater Nicolai Riva bonorum hæreditariorum possessor, animadvertens, nullam pro Missarum celebratione fuisse designatam Ecclesiam, fas sibi esse censuit illam quocumque in loco adimplere, easque proindè ab anno 1721. celebrari curavit in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia Oppidi Montis Rubri. Nunc itaque dictus Nicolaus Filius pro serenitate conscientiæ supplicat, ut EE. VV. oraculo declaretur, liberum sibi esse in qualibet Ecclesia Missarum oneri satisfacere.

Quum de ultimarum voluntatum exequutione agitur, plurimùm attenditur consuetudo, quæ etsi jus novum non constituat, nihilominus leges ipsas reducit in usum, vel si dubiæ sint interpretatur *Cap. Cum Dilectus 8. de consuetudine, leg. si de interpretatione 37. ff. de legibus*. Hinc melior probatio haberi non potest, quam quæ desumitur ex observantia, eamque in re dubia præcipuè spectandam esse de-

claravit *Rot. coram Royas decis.*279. *num.* 12., *& in Recent. decis.*220. *num.*23. *par.*11.

Certum est in præsenti casu, quod sequuto Testatricis obitu, onus Missarum ab ejus immediato hærede descriptum fuit in Tabella Legatorum piorum Parochialis Ecclesiæ S. Petri, ibique diuturno octoginta circiter annorum spatio Missæ fuerunt celebratæ. Ponderandum proindè in primis est, quantum huic observantiæ sit deferendum.

Spectanda præterea videtur peculiaris Testatricis affectio erga eamdem Ecclesiam S. Petri, in qua suum corpus humari voluit, & quam non solum pii Legati, sed integræ etiam hæreditatis compendio ditari voluit. Videndum enim, an enixa ex hoc ipsius voluntas erui possit pro celebratione Missarum in eadem Ecclesia peragenda *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom.*2. *quæst.*996.,*Card. de Luc. de donat. disc.*73. *num.*8., *&* 9., *Rot. decis.* 494. *num.*4. *& seq. coram Cavaler.*

Sacra Congregatio, Missarum translationem de una ad aliam Ecclesiam,nisi urgens, aut necessaria causa concurreret,ut plurimum denegavit, post diuturnam observantiam, & quando agnovit certam aliquam Ecclesiam fuisse a Testatore determinatam,ut in *Æsina Legatorum* 22.*Augusti* 1706. *lib.*56. *decret. pag.*278., *in Ariminen. Commutationis Missæ* 14. *Martii*, *&* 13. *Iunii* 1711. *lib.*61 *decret. pag.*113., *& in Romana translationis oneris Missarum* 28. *Julii* 1731. Præcipuè verò translationem denegavit hæredi, qui authoris institutum, & pietatem imitatus, Missarum celebrationem alicui certæ Ecclesiæ commiserat, quamvis nullum in id Testatoris præceptum interessisset, *in Vxentina Legati anno* 1748. in responsione ad *I. dubium*.

Animadvertendum denique,plurimùm convenire, ,ut Missæ in ea Ecclesia celebrentur, in qua Testatoris corpus quiescit. Hinc Sacra Congregatio *in Neapolitana Cavellaniarum* proposita *anno* 1731., relata in *Tom. V. resolut. pag.* 12. declaravit, sustineri non posse Indultum pro translatione Missarum, eo quia exposita Summo Pontifici non fuisset circumstantia, quod Testator in designata Ecclesia sepulchrum elegerat.

Tota igitur inspectio pendet ab observantia, & a prædilectione Ecclesiæ Parochialis S. Petri, cujus Parochus hac super re auditus cuicumque juri suo renunciavit. Episcopus omnia submittit judicio, & sapientiæ EE. VV., quæ rogantur declarare.

An sit locus translationi oneris Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 4. Maji 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor Cauſæ, quæ in poſtrema Congregatione definiri non potuerunt, cum aliis quinque, quæ ſubjiciuntur, in præſenti Folio recenſentur. Non dedignentur itaque Emi PP. ſapientiſſimum de iis proferre judicium.

SAIERNITANA IRREGULARITATIS.

An conſtet de Irregularitate, itaut ſit locus diſpenſationi, in caſu &c. *Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.*

Affirmativè ad primam partem; Negativè ad ſecundam.

FIRMANA.

An, & quomodo Inſtrumentum ſit exequendum, in caſu &c. *Seſs. 22. decret. de obſer., & evit. in celebr. Miſs.*

Affirmativè ad formam Inſtrumenti.

ABELLINEN. IRREGULARITATIS.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.*

In deciſis.

Sess. 22. decret. de obser., & evit. in celebr. Miss.

FOROSEMPRONIEN.

An sit locus translationi oneris Missarum, in casu &c.

Negativè.

Sess. 24. cap. 1. de Refor. Matr.

LUCANA MATRIMONII. Tertio jam subit Eminentissimorum PP. judicium Causa Matrimonii, quod nobilis Mulier Fulvia Sinibaldi ex capite impotentiæ nobilis Viri Blasii Torre irritum esse contendit. In prima siquidem propositione, quæ habita est *die* 19. *Julii* 1761. rescriptum fuit = *Dilata, & fiat recognitio corporis juxta instructionem D. Secretarii* = Deindeque facta jam recognitione, renovatoque certamine *die* 13. *Decembris* 1767. prodiit responsum = *Dilata, & esse locum experimento cohabitationis triennalis*. Viden. folia tunc distributa, in quibus Causæ status, & acta fusius exponuntur. Diuturnæ autem cohabitationis pertesa Mulier, novum obtulit Sac. Congregationi libellum, in quo *triennalem* jam fuisse completam narravit, petiitque, super Matrimonii nullitate proferri judicium: Quare die 26. Augusti anni 1769. litteræ datæ sunt Archiepiscopo Lucano, ut *audito, interpellatoque iterum Viro novam confici mandet recognitionem corporis Muli eris servatis servandis, atque Sacram Congregationem distinctè reddat quoque instructam, animique sui sensum aperiendo, preces ipsas una cum novo compilato Processu transmittat*. His igitur absolutis, de nullitate denuò redit disceptatio.

Triennalem itaque cohabitationem, interpolatis vicibus prosequutam, completam esse contendit Mulier, comprehenso tamen eo etiam tempore, quo Conjuges ante decretum Sac. Congregationis illam præcipiens, convixerunt, ductoque cohabitationis initio a die contracti matrimonii, nempe a *die* 28. *Aprilis anni* 1761.. Asserit enim, primum cohabitasse *uno anno, & diebus quindecim*, deindè *mensibus quatuor, & diebus octo*, ac demum *anno uno, & mensibus octo*, quæ quidem diversa tempora *tres annos, & dies viginti tres* constituunt.

Nec obesse ait, quod tempus duabus vicibus rusticationis causa fuerit interruptum, primo scilicet a die 1. Julii usque ad diem 13. Augusti anni 1768., ac posteà a die 3. Julii ad diem 19. Septembris 1769. Respondet enim sequutum id fuisse de consensu Viri. Ulterius observat, cohabitationem non ità strictè esse intelligendam, ut per aliquod temporis spatium recedere non liceat. Et denique notat, Virum potuisse ad Mulierem sese conferre, cum breve, ac facile de uno ad alterum locum pateret iter.

Per-

Perperam quoque opponi dicit, Mulierem tempore interpolatæ triennalis cohabitationis in uno, eodemque lecto cum Viro per octo menses non condormiisse. Putat enim satis esse, si sub eodem tecto, eademque in Domo permanserit, ut occasio vacandi rei nuptiali, experiendique coeundi potentiam non deesset.

In jure autem animadvertit, nonnullos Doctores in ea fuisse sententia, quod triennalis cohabitatio computari debeat a die, quo illa fuit a Judice demandata, ut tradit *Hostien. in Cap. final. de Frigid.*, *& malef. num.* 10., *& in Summario eodem tit. §. Qualiter*, *& quando num* 10., *Brunel. de Sponsal. concl.* 2. *lib.* 1. *num.* 10., *& 14.*, *Capell. Tholos. decis.* 381. *numer.* 6. *in fin.*, aliique collecti in *not. ad decis.* 392. *par.* 4. *tom.* 2. *Recent.*. Sustinet tamen hanc opinionem procedere non in casu impotentiæ naturalis, sed impotentiæ ex maleficio provenientis, juxta *text. in cap. Laudabilem* 5. *de Frigid.*, *& malef.*, ibique *Innocent.*, *Joan. Andr.*, *Alexand. de Nævo*, *Butr.*, *Abbas Panorm.*, *Castald. consult.* 38. *num.* 2. *Card. de Luc. de Matrim. discur.* 9., *Panimoll. dec.* 51. *num.* 25., *Adden. ad decis.* 27. *post primum volumen consil. Farinac. sub litt. D.*. In præsenti autem casu ex integra factorum serie constare, Viri inertiam non ex maleficio, sed a naturali impotentia procedere.

Extraneam præterea esse dicit quæstionem juris super modo computandi cohabitationis tempus, tum quia Sac. Congregatio, dum die 6. Augusti 1769. recognitionem corporis Mulieris demandavit, approbavit etiam cohabitationem in supplici libello tunc exhibito expressam, nempe cohabitationem interruptam, & a die conjugii computatam; tum etiam quia alias Sac. Congregatio, ex peculiaribus facti circumstantiis, triennalem cohabitationem habito respectu ad tempus Matrimonii probavit; & quandoque triennio nondum completo, imo nec elapso anno de nullitate Matrimonii protulit judicium, ut in *Ariminen. nullitatis Matrimonii* 20. *Martii* 1720., *& in S. Severini Matrimonii* 2. *Junii* 1742.

Constare autem probat Viri impotentiam ex ipsius declaratione, cum aperte fassus fuerit, matrimonium non fuisse consummatum; atque ex duplici judiciali recognitione corporis Mulieris, quæ incorrupta, & intacta reperta fuit. Hanc verò impotentiam absolutam esse, ac perpetuam, tum quia adhibitis etiam ad longum tempus balneis, pharmacisque a Medicis præscriptis, sanari non potuit; tum quia post ultimam recognitionem corporis Viri ita existimarunt quatuor Periti, quorum judicium juramento firmatum attendi debet *Rot. decis.* 10. *num.* 14. *& seq. lib.* 14. *de Matrim. ad ornat. Card. de Luc.*. Maximè quia impotentiæ signa haud dubia referunt, *Vrsay. discept.* 12. *num.* 43. *tom.* 3.,

Card.

Ponderandum in hac Causa occurrit, an triennalis cohabitatio ad eruendam impotentiam præscripta computari debeat a die inchoatæ cohabitationis post rescriptum Sacræ Congregationis diei 12. Decembris 1767., vel potiùs tempus etiam præcedens comprehendi possit. In Jure Canonico *Cap. Laudabilem 5. de frigid., & malef.*, ita legitur constitutum = *Sollicitè quoque ad ultimum requisiti, quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, in qua si defecerit, separentur. Nos verò quamvis in antiquis tam Canonibus, quam legibus super hoc diversa tempora concedantur, id tamen in præsenti consultatione sentimus, ut si naturaliter frigidus non potest illa, quam duxit, uti pro conjuge, a tempore celebrati contractus, si frigiditas prius probari non possit, usque ad triennium, secundum authenticum legale cohabitent.*

Hujusce Decretalis sensum diversimodè interpretati sunt Doctores, variisque adhibitis distinctionibus illam explicarunt: Magis tamen communem, magisque veram, ac tutam arbitrati sunt sententiam, quæ triennium a die decreti computandum statuit, eamque in consuetudinem transiisse testatus est *Gonzalez in d. Cap. Laudabilem num.* 8. his verbis = *Triennium computandum est a die intentatæ copulæ, ut innuitur in hoc textu, & in cap. fin. hoc tit. Cæterum attenta consuetudine triennium computandum est a decreto Judicis, ut decrevit sæpe Rota &c.*

Sacra Congregatio nulla habita ratione temporis, quo prius Conjuges cohabitarunt, triennalem cohabitationem præscripsit, in *Narnien. Matrimonii* 26. *Augusti* 1745., *in Januen. Matrimonii* 28. *Maii ejusdem anni, & 3. Augusti* 1748., *in Amalphitana* 10. *Aprilis* 1757., *in Valentina* 22. *Martii* 1764., & alibi passim. Verùm in *Ariminen.* 16. *Martii* 1720. rescripsit = *Dilata, & fiat experimentum triennalis habitationis, vel alterius brevioris temporis arbitrio Sacræ Congregationis, & ad mentem* = Similiter in *S. Severini Matrimonii die* 2. *Junii* 1742. proposito dubio = *An sit locus dissolutioni Matrimonii* = respondit = *Affirmativè*, quamvis Vir triennalem cohabitationem expostulasset, & cohabitationis experimentum sex tantùm mensium spatio coercitum fuisset. Denique non est prætereundum, quod san. mem. Benedictus XIV., in Causa super validitate Matrimonii supplicem libellum remisit ad Reverendissimum Almæ Urbis Vicesgerentem, qui ad prolationem sententiæ procederet, prout de jure, perinde ac si elapsum fuisset triennium a die contracti matrimonii. Considerandum tamen, an quæ in relatis casibus circumstantiæ aderant, in præsenti quoque concurrant, prout advertit Matrimonii Defensor, qui eadem exempla minimè aptari posse sustinet.

Quatenus verò habenda quoque ratio sit temporis, quod decretum præcessit, videndum, an triennalis cohabitatio com-

completa fuerit. Ac tandem non eſt prætereunda reflexio, quod Vicarius Generalis ab Archiepiſcopo ſubdelegatus acta confecit, ac proceſſum compilavit poſt obitum ejuſdem Archiepiſcopi ſubdelegantis. Ponderandum proinde, an ritè ad acta procedere valuerit, vel ſaltem eidem ſuffragari potuerit qualitas Vicarii Capitularis, quam poſtea acquiſivit.

His ergo opportunè præmiſſis EE.PP. definient *An ſit locus diſſolutioni Matrimonii, in caſu &c.*

Dilata, & proſequatur experimentum per alium annum.

ORDINIS S. BASILII. Placidus Sonnà Sacerdos Profeſſus Ordinis S. Baſilii Ritus Italo-Græci, S. Theologiæ Magiſter, ac Prior Monaſterii Turris in Provincia Calabriæ, pro gerendis ipſius Monaſterii, vel propriis, aliiſque etiam negotiis, non rarò, vrgentibus de cauſis, a Monaſterio abeſſe cogitur, & ad alia Loca ſe transferre, ubi vel nulla adeſt ſui Ordinis, ſuique Ritus Eccleſia, vel hæc non parum diſtat a ſua habitatione, vel deeſt Miſſale Græcum, aut Miniſter, qui Altaris Sacrificio Ritu Græco peragendo valeat inſervire. Hinc ne toto temporis ſpatio, quo a Monaſterio abeſt, a perficiendo Sacro abſtineat, preces obtulit SANCTISSIMO pro facultate celebrandi Miſſam iis in Locis, ac circumſtantiis, Ritu Latino. Precibus ad Sac. Rituum Congregationem primum remiſſis, deindeque Sac. huic Congregationi ablegatis, diſcutiendum proponitur, an petita facultas concedi valeat. Qua quidem ſuper re, ne meo muneri deeſſe videar, ſequentia ex officio adnotanda duxi.

Seſs. 22. decret. de obſervan., & evitan. in celebr. Miſſ.

Ignotum plane non eſt, Eccleſiam facilem olim ſeſe præbuiſſe in impertienda facultate, ut Sacerdotes Latini Græco ritu, & viciſſim Sacerdotes Græci Latino ritu Divinis Myſteriis operarentur, pluribuſque allatis exemplis, rem hanc multiplici, qua ſolet, eruditione præ cæteris conficit Chriſtianus Lupus *tom. 4. Oper. in diſſert. de Sancti Leonis IX. actis cap. 14. pag. mihi* 348. & 349. Verùm, quæ ſubindè exarſerunt Latinos inter, Græcoſque diſſidia, præſertim poſt iniquum Michaelis Cerularii Schiſma, in cauſa fuerunt, ut Eccleſia a priſtina facilitate, atque indulgentia omnino recederet, & ſeveriſſimè prohiberet, quominus ulla fieret a Latinis, Græciſque Sacerdotibus ſuorum Rituum immutatio. Id autem diſertiſſimis verbis decrevit Pontifex Eugenius IV. in Conſtitut. *Lætentur*, edita in Concilio

Generali Florentino anno 1439., in qua Græcæ Ecclesiæ cum Latina unio refertur, pluresque describuntur articuli, in quibus Græci a Latinis diffidebant; & præcipuè statuitur *Sacerdotes in alterutro* (in azymo, sive fermentato) *ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem*. Eoque spectare videtur illud Concilii Tridentini decretum *sess. 22. cap. 8.*, quo præcipitur, ut in celebratione Missæ *retineatur ubique cujuscumque Ecclesiæ antiquus, & a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra, probatus ritus*.

Hæc tamen etsi perspicua essent, retrahere nihilominus nonnullos non valuerunt a permutando suarum Ecclesiarum ritu, prætextu facultatum, quas ab Apostolica Sede, vel ab ejus Legatis, aut a Majori Pœnitentiario sibi concessas authumarunt, Missamque idcircò, cæteraque Divina officia modo Græco, modò autem Latino ritu celebrarunt. Hujusmodi abusum, ut radicitùs evelleret S. Pius V. Constitut. incipien. *Providentia* die 20. Aug. 1566. ita mandavit = *Cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam Græci, quam Latini antiquum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritum tam in celebratione Missarum, quam aliorum Divinorum Officiorum pervertere satagentes, diversas licentias, & facultates, Missas, & alia Divina Officia Græci Latino more, ac Latini Græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Penitentiario variis prætextibus impetrarint, illisque jampridem utantur, hoc ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare volentes, omnes hujusmodi licentias, & facultates revocamus, & cassamus . . . . . Quibusvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute Sanctæ obedientiæ inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipuè Uxorati, latino more, & latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio prætextu, Missas, & alia Divina Officia celebrare, aut celebrari facere præsumant* = Itemque Gregorius XIII. Orthodoxæ Fidei professioni, quam à Græcis Romanæ Ecclesiæ unitati restitutis præstari jussit, hunc articulum inseri præcepit = *Credo in Azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis ritum* =

Verum hisce non obstantibus non defuerunt quamplures Auctores, quos inter *Diana resolut. 99. Miscell.*, *Nardus verb. Sacerdos num. 4.*, *Macedo de clavib. Petri lib. 4. cap. 5.*, *Henno de Eucharist. quæst. 2. conclus. 2.*, *Sylvius in 3. par. S. Thom. quæst. 74. art. 5.*, aliique apud *Verricellium de Apost. Mission. tit. 8. quæst. 188.*, qui distinctionem excogitantes Græcos inter in Græcia commorantes, alioſque peregrinantes, aut de-

degentes apud Latinos, ubi non ſunt proprii Ritus Eccleſiæ, las iſtis eſſe exiſtimarunt ſeſe conformare Eccleſiæ, ſub qua verſantur, Latinoque Ritu Sacra conficere. Hanc opinionem tueri poſſe putarunt egregia illa Auguſtini ſententia *lib.1.*, *ſeu Epiſt.54.*, *alias 118. ad Inquiſitiones Januari num.6.*, quæ eſt hujuſmodi = *Faciat ergò quiſque, quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit; Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc, vel indè melioresz=* Verum Auguſtini conſilium reſpicit conſuetudines illas, legeſque, quæ a Loco pendent, quibuſque conformare ſe debet, quicumque in loco, ubi illæ vigent, commoratur. At lex de retinendo ſuæ Eccleſiæ ritu, perſonas afficit, quæ cum ſuſceperint Baptiſmum, aut Ordines, ex Eccleſiæ lege adſtricti ſunt ad perſeverandum in proprio Ritu, ſervandamque propriæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut obſervat Auctor additionum ad *Ferraris Bibliothec. Canon.verb.Euchariſtia §.1.*

Animadverti etiam poteſt cum *Ghignoli in prælect. Theolog. par. 3. de Euchar. quæſt. 3. prop. 4. num.5.*, quod alibi idem Sanctus Doctor dixerit: *Roma reſcripta venerunt, cauſa finita eſt.* Continentur autem hujuſmodi reſcripta in citato Concilii Florentini decreto, atque in prælaudatis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quibus abſque ulla diſtinctione unicuique præcipitur Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem obſervare, a qua proinde nemini licet ulla in cauſa recedere.

Diſciplinam hanc modis omnibus ſervari juſſit ſan.mem.Benedictus XIV., qui in ſua Conſtitutione *Etſi Paſtoralis*, quæ tota eſt de dogmatibus, & ritibus ab Italo-Græcis tuendis *tom.1. Bullar. §.6. num.10.* hæc ſtatuit = *Diſtrictius inhibemus etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a Divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum, & facultatum, Miſſas, & alia Divina Officia, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi, ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam Majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente obtentarum prætextu, Miſſas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere præſumant.* Idque ipſum diſtrictius injunxit laudatus Pontifex in aliis etiam Conſtitutionibus hac ſuper re editis, præſertim in illa anni 1755. incipien. *Allatæ ſunt*, *tom.4. Bullar. num.47.* Cum enim quidam Sacerdos Sacris Miſſionibus deputatus in Civitate Balſeræ expoſuiſſet Sacræ Congregationi de Propaganda Fide, plures in ea Civitate commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe, & Syriacos, qui peculiari Templo carentes ad Latinorum Eccleſiam ſe conferebant, proindeque quæſiviſſet, an prædicti Armeni, & Syriaci Catholicum Ritum obſervare deberent, an verò magis conſentaneum eſſet, ut Latinorum Kalendario ſe conformarent; Sacra Congregatio Generalis In-

quisitionis hac super re consulta *die* 13. *Martii* 1755. respondit = *Nihil esse innovandum* =, quod quidem decretum laudatus Pontifex in relata Constitutione egregiis argumentis, atque doctrinis confirmavit.

Inter cætera verò ibidem occurrit, Cardinalem Leopoldum Kollonitz sa. mem. Clementi XI. olim exposuisse, valdè Catholicæ Religioni profuturum, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria græco ritu celebrarent, relicta eisdem facultate ad Latinum ritum revertendi. Verum Summus Pontifex animo perpendens, unumquemque juxta Canonicas sanctiones in suo ritu permanere debere, neque Sacerdoti licere modò latino, modò autem græco ritu celebrare, assentiri recusavit. *Vid. tom.* 1. *Epistolar.*, *& Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis edit. pag.* 205. Atque hæc, & alia plura, quæ afferri possent, satis perspicuè evincunt, quam difficilis fuerit progressu temporis Apostolica Sedes in impertienda Sacerdotibus facultate a propriæ Ecclesiæ ritu, atque consuetudine recedendi.

Quod verò attinet ad petitam ab Oratore dispensationem, ponderandum occurrit, an hæc facilius concedi possit ex eo, quod Monachi Basiliani Italo-Græci ita Sacrum perficiunt, ut Azimo cum Latinis utantur, abstineantque a græco ritu fundendi in calicem post consecrationem, & ante consumationem paululum aquæ calidæ; indeque nullum induci videatur transitum de uno ad alterum ritum, nullamque ritus permixtionem ab Ecclesiæ legibus vetitam, sed transitum dumtaxat ex græco ad Latinum idioma, in quo maximum situm asseritur discrimen Missæ, quæ ab iisdem Monachis, & a Latinis Presbyteris celebratur. Laudatus Pontifex Benedictus XIV. in citat. Constitutione *Allatæ sunt* § 34., dum loquitur de commixtione ritus ab Ecclesiæ legibus vetita, ita rem explicat = *Vetita sanè ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret, & Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui Azimi consuetudinem haud amplexi sunt, in Azimo Rem Divinam facerent, & genti suæ Sacram Eucharistiam in azimo distribuerent.. Vetita quoque ritus commixtio esset, si Latinus Sacerdos modo juxta latinum, modò juxta græcum ritum, aut Sacerdos Græcus, modo græco, modo latino ritu Missam celebraret.*

Considerandæ præterea sunt causæ, quibus in præsenti casu dispensatio petitur, nempè defectus Græci Missalis, & idonei Ministri, qui Sacro inservire possit. Videndum an hujusmodi difficultates facile superari possint; ac denique ponderandum, dispensationem in præsenti casu exposci, quando Orator abest non solum pro gerendis Monasterii negotiis, sed etiam ad res proprias peragendas, aliisque de causis, quæ tamen in supplici libello non exprimuntur.

Hisce

Hiſce proindè ſapientiſſimo EE. VV. judicio propoſitis, decernendum erit.

An ſit conſulendum SSmo pro conceſſione petiti Indulti in caſu &c.

Negativè.

FAVENTINA SPONSALIUM. Matthæus de Zaulis Patritius Faventinus ætatis annorum 18. anno 1754. rem habuit cum non ignobili puella Camilla Caſtellani tunc annos 22. agentem. Poſtulatus ob id a Puellæ Patre, coram Vicario Generali Faventino ad ineundum cum ea conjugium, juſſu ejuſdem Vicarii Generalis Matthæus *die* 11. *Aprilis* 1755. publicis confectis tabulis promiſit, ſe ductu-rum Camillam in Uxorem, receptis interim ſcutis 200. in partem dotis. Verum poſt jam habitas duas denunciationes in reſpectivis Sponſi, & Sponſæ Eccleſiis, repente Sponſus mutato conſilio a propoſito nubendi receſſit, tertiæquæ denunciationi interdixit. *Seſs. 24. cap. 1. de Reform.*

Siluit hactenus ſponſa, ſiluitque Pater, nulla unquam judiciali repoſita petitione, ut Matthæus ad implendam datam fidem adigeretur, perpetuò tamen uterque conſtanter Matthæo denegavit libertatem alteri nubendi, unde etiam in præſens celibs eſt. Idem proinde Matthæus unicus ex ſua familia ſuperſtes ad vindicandam libertatem alteri nubendi, poſtulat nunc declarari, inita cum Camille ſponſalia non eſſe exequenda.

Inquit, ſe initorum ſponſalium tempore in immatura ætate annorum 18. conſtitutum fuiſſe; imperio autem Vicarii Generalis ad ſponſalia adactum fuiſſe ob metum indicti carceris, aliarumque gravium pænarum: dicta proinde ſponſalia vi, metuque per Superiorem ab inexperto, & formidoloſo adoleſcente extorta penitus nulla, & irrita eſſe, *cap. dilectus de his, quæ vi, metuſque cauſ., cap. conſultationibus de Sponſal., Sanchez de Matr. lib. 4. diſput. 17. num. 3.*

Addit, Vicarii Generalis coactionem injuſtam undique fuiſſe. Se non quidem muneribus, vel aſſiduis, & importunis illecebris, illexiſſe puellam ad inhoneſtum actum, vel violenter eam compreſſiſſe, ſed imo ſibi in lecto Fratris dormienti puellam ipſam veſtibus denudatam obviam iviſſe, ac blanditiis, & illecebris ſeductum fuiſſe, & quidem ex condicto cum Patre, & aperto dolo, & fraude, ut re habita

bita postmodum ad conjugium adigeretur. Probat quoque, puellam inhoneste vixisse, aliisque feciſſe sui corporis copiam: Infertque hinc, se nonnisi falsa, & dolosa causa adactum a Vicario Generali fuisse ad fidem dandam matrimonii.

Advertit demum, rem esse de sponsalibus a 16. annis jam initis, & effectu destitutis: rem esse de sponsa minus honesta, infimæ conditionis, & publice diffamata: varia ex post inter sponsos exorta esse dissidia, ipsorumque animos maxime inter se aversos, & irreconciliabiles: professum jam esse, se numquam sub metu cujuscumque pœnæ velle sponsalia executioni demandare; suosque demum consanguineos a tam injustis, exosisque nuptiis vehementissime abhorrere; hinc concludit, maxime urgentes subesse causas a sponsalibus resiliendi, æquitatique Ecclesiæ nullimodo convenire, ut ea executioni demandentur ob infelices exitus, qui passim ex his coactis nuptiis oriuntur.

Camilla, licet diù expectata, nondum jura sua deduxit. Episcopus post relatam integram rei speciem, se submittit sapientissimo EE. VV. judicio.

Contractis sponsalibus non indistincte alteruter ex sponsis reluctans compelli solet etiam per censuras ad ineundum conjugium, sed aliter proceditur quoad mulierem, aliter quoad virum. Mulier siquidem moneri solum debet, non vero precise cogi. Ita statuit *Lucius III. in cap. Requisivit* 17. *de Sponsal.* = *Requisivit a nobis tua fraternitas, qua censura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta nubere renuit, cui de nupturam interposito juramento firmavit. Ad quod breviter respondemus, quod eum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere.*

Contra vero vir potest utique per censuras, aliasque graves pœnas compelli ad implendam fidem, ut præscripsit *Alexander III. in cap. ex litteris* 10. *de Sponsal.* = *ex litteris Silvani Episcopi accepimus, quod cum duo nobiles viri filios, & filias impubescentes habentes, inter se convenerunt, quod eos ad invicem matrimonio copularent, & hoc tam patres, quam filii sub juramento se promisere facturos &c. quia igitur periculosum est contra suum juramentum venire, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si hoc filii constiterit, eum moneas, & si non acquieverit monitis, Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Et ita conciliando allegatos textus constanter respondit *Rota*, & signanter in *Majoricen. Sponsalium* 24. *Aprilis* 1746. §. 10. *coram clar. mem. Buffio*, & *in confirmatoria* 16. *Januarii* 1747. §. 6. *coram eodem* his verbis arguens = *Non deest causa, propter quam mitius in Fœminam, & acrius in masculum animadvertatur. Naturalis oppido imbecillitas, levitasque mulie-*

liebris non longe eſt, ut deſpectum cenſurarum facile pariat, magiſque ſuſpicari poteſt, ne fœmina a fide, quam coactè ſpopondit, facilius deſciſcat. Cæteroquin ſummum eſt diſcrimen inter virum, & mulierem in hac materia, ut mulier ſi a ſponſalibus declinet, nullum irroget præjudicium viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet fœmina. Sin vero a ſponſo Mulier relinquatur, graviſſimam ipſa nominis ſubit diminutionem, & in *Conſtantien. Sponſalium 26. Junii* 1748. §. 7. *cor. Emo Elephantutio*.

Nulla ſane quæſtio eſt, inita fuiſſe ſponſalia inter Matthæum, & Camillam, conſtat enim ex publico Inſtrumento exarato *ſub die* 11. *April.* 1755. inquirendum itaque tantum ſupereſt, an eadem valida ſint, vel ſaltem juſta ſupervenerit cauſa ab iiſdem reſiliendi.

Ambigi nequit ſponſalia per vim, metumque injuſte incuſſum conciliata nulla prorſus, & irrita eſſe *cap. ex litteris* 11. *de deſponſ. impub.*, *cap. cum locum* 14., *cap. veniens* 15., *cap. conſultationi* 28. *de ſponſ.*, & *matrim.* Idque procedit tametsi juramento fuerint confirmata, quia juramentum non ſupplet defectum conſenſus ſubſtantialiter requiſiti ad validitatem contractus *cap. ſignificavit* 2. *de eo qui duxit in matrim.*, *Barboſ. lib.* 2. *decret. collect. ad cap.* 2. *num.* 6. *eod. tit.*, & *Pontius de matrim. cap.* 12. *num.* 239. Secus tamen eſt, quando metus fuit a Superiore juſtè illatus, cum tunc ſibi imputare debeat renuens, quod ex propria culpa coactionis pœnam promeruerit.

Ponderandum ideo, an ſufficiens a Matthæo adducatur metus probatio, quæ undique concludens, & perfecta eſſe debet, maxime in Superiore, in quo violentia numquam præſumitur. An rurſus ob jam a Matthæo cognitam puellam, juſte, vel injuſte Vicarius Generalis eum coegerit ad ſponſalia ineunda pro fama, decoreque puellæ reparando, ac reſarciendo.

Perpendendum demum, an juſtæ concurrant cauſæ, ex quibus primæva libertas Matthæo ſit reſtituenda. Agitur de ſponſalibus jam per annos ſedecim haud executis, a quibus conſtanter Matthæus abhorret. Ponderandum porinde, an ab ulteriori coactione ſit abſtinendum, injuncta tantum puellæ dotatione, prout alias *Sacra Rota* in terminis puellæ ſtupratæ, & conſtanter recuſatæ reſpondit, & præſertim in *dec.* 433. *cor. Lancetta*, & *in Pampilonen. Sponſalium* 6. *Decemb.* 1726. §. *Omiſſis cor. Cincio*.

Emi PP. qua ornantur prudentia, ac æquitate, dignentur reſpondere.

An ſponſalia exequenda ſint in caſu &c.

Dilata.

CA-

Seſſ. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

CALARITANA. Ad dirimenda diſſidia olim exorta inter Canonicos nuncupat. *de Præbenda*, & Beneficiatos Cathedralis Eccleſiæ Calaritanæ, Archiepiſcopus tunc temporis exequendo mentem Sac. Rituum Congregationis concordiam conciliare ſategit, eaque juxta ipſius vota tandem completa remanſit. Statutum in ea præ cæteris fuit, ut ſex Beneficiati erigerentur in totidem Canonicos appellandos *de Stallo*, ſive *de ſolio*, qui tenerentur *intonare l'Invitatorio negl'uffizj Canonicali, e Pontificali, nelli quali cantaranno ſolo li Canonici* (ſcilicet de Præbenda) *l'Antifone da' ſuoi Stalli: Però negl'altri uffizj doppi ſcenderanno due de Canonici nuovamente eretti ad intonare l'Antifone Seconda, e Terzauno per parte, e nelli Semidoppj l'intoneranno li Beneficiati, ſcendendo da ſuoi Stalli al Faldiſtorio: E nell'altre intonazioni, e Ceremonie s'oſſervi, e s'adempia il lodevole, ed antico coſtume di queſta Chieſa Primaziale.*

Concordiam hanc ad preces Capituli Cathedralis ſa. mem. Urbanus VIII. in forma ſpecifica confirmavit per Litteras Apoſtolicas, clauſula *ſublata*, & *decreto irritante* munitas. Cum tamen circa illius intelligentiam, ſeù declarationem non leves ortæ ſubindè fuerint controverſiæ; idcircò in Congregatione diei 17. Januarii 1761. quinque dubia diſputare oportuit, atque inter cætera quæſitum fuit IV.= *An prædicti Canonici* (nempè de ſolio) *poſſint canere Antiphonas, & Invitatoria ex propriis Stallis, ſeu potius teneantur in iis canendis accedere ad Faldiſtorium* = & reſponſum fuit = Ad IV. *ſervetur ſolitum* = Renovatoque certamine die 14. Februarii 1767. perſtitum eſt *in deciſis*. Verùm non ſatis hoc modò ſuis juribus conſultum exiſtimantes Canonici de ſolio, novum dubium in calce tranſcriptum proponunt, cujus reſolutionem ab EE. VV. expoſcunt.

Non renuunt ipſi ad Faldiſtorium accedere pro cantandis Invitatoriis, ac nonnullis Antiphonis, prout in Concordia cautum fuit; Sed reliquas Antiphonas, de quibus in ea non fit mentio, canere contendunt ex propriis Stallis. Suſtinent enim, quæſtionem in iſto caſu non eſſe definiendam juxta ſolitum, ſed ad tramites concordiæ Apoſtolica confirmatione roboratæ, cum recedendum ſit a ſolito, quod abuſum ſapit, & corruptelam, quando pacta, & conventiones adverſantur ad *Text. in leg. Prima ff. de Pactis*, *Cap. Quod ſemel de reg. jur. in 6.*. Abuſum autem tunc dici, quando in aliqua univerſitate novitas invehitur, quæ diſſonantiam inter Membra præſeferat, jus lædat, pacta ſubvertat, ſtatuta violet, atque peſſumdet; ideoque conſuetudo, quæ inde manare potuit, tanquam irrationabilis omninò eſt eradicanda, *gloſſ. in Cap. Ad hæc Verb. Celeri de reſcript.*

Hujus generis eſſe dicunt uſum, ſeu conſuetudinem in Capitulo Calaritano invectam, quod Canonici de ſolio pro omnibus decantandis Antiphonis propria loca deſerere debean

beant; cum in concordia ſtatutum fuerit, ut ipſi ad Faldiſtorium tantum accederent pro cantandis Invitatoriis in Officiis Canonicalibus, & Pontificalibus, nec non ſecunda, & tertia Antiphona in Duplicibus. Hanc autem concordiam Auctoritate Apoſtolica comprobatam, quamlibet contrariam conſuetudinem ſubſtuliſſe.

Præſertim quia, cum ipſi vere ſint Canonici, ac alii de Præbenda, jure debent è propriis Stallis intonare Antiphonas, de quibus nulla in concordia fit mentio, ne ab aliis diſcrepent, & ad imparia judicentur *gloſſ. in cap. Inter incorporalia §. Sicut enim de translat. Epiſc., Rot. dec. 632. num. 2. part. 19. Rec.*. Quemadmodum enim in concordia conventum fuit, ut præter Invitatorium, ac primam, & ſecundam Antiphonam, in reliquis ſervaretur Eccleſiæ conſuetudo, quæ fuit, ut è proprio loco Canonici de Præbenda Antiphonas canerent, idcircò hoc ipſum fieri debere a Canonicis de ſolio, ne ſimplicibus Beneficiatis aſſimilentur, deterioriſque evadant conditionis, ac Canonici Coadjutores de Præbenda, qui nunquam è proprio Stallo diſcedunt.

Abuſum verò id ſapere, ex duplici potiſſimum animadverſione evincunt; Primo ſcilicet, quod Coadjutores ſint ficti Canonici, qui ſpem tantùm habent ad aſſequutionem Præbendæ, nullumque Beneficium, ſed munus tantùm obtinent. Deindè, quia decreto Sacræ Rituum Congregationis edito in Calaritana 18. *Auguſti* 1629. Canonici de ſolio eminentioris ſunt Dignitatis, & præcedentia gaudent ſupra Coadiutores Canonicorum de Præbenda. Incongruum proindè eſſe, ut in Sacris peragendis functionibus diſcrepent, & inferiores evadant. Hanc autem incongruentiam agnoviſſe Canonicos de Præbenda, qui idcircò in hac cauſa nihil opponunt.

Ad propoſiti dubii reſolutionem habenda præ oculis eſt Tranſactio. In ea habita expreſſe ratio fuit de Invitatoriis in Officiis Pontificalibus, & Canonicalibus, ac de ſecunda, & tertia Antiphona in Officiis duplicibus, quibus canendis Canonici de ſolio proprium Stallum deſerere debent, & ad Faldiſtorium accedere. Videndum num, nulla aliarum Antiphonarum facta mentione, tacitè permiſſum fuerit, ut è ſuis Stallis illas canerent. In cauſa, quę coram Sacra Congregatione acta eſt annis 1761. & 1767., diſceptatum præcisè non fuit, prout modo quæritur, de intonatione, & cantu aliarum Antiphonarum, de quibus nominatim in concordia cautum non fuerat, ſed dubium generice complectens omnia Invitatoria, omneſque Antiphonas conceptum fuerat in hæc verba = *An prædicti Canonici poſſint canere Antiphonas, & Invitatoria ex propriis ſtallis, ſeu potius teneantur in iis canendis accedere ad Faldiſtorium*. Modo autem quæſtio oritur tantum ſuper iis, de quibus etſi nihil præcisè in concordia fuerit innovatum, nihilominus de-

mandatum extitit, ut Ecclesiæ consuetudo servaretur ibi = *E nelle altre intonazioni, e Ceremonie si osservi, e si adempia il lodevole, ed antico costume di questa Chiesa Primaziale.*

His igitur perpensis, resumptoque ad opportunitatem folio diei 24. Januarii 1767. dignabuntur EE. PP. definire.

An sex Canonici nuncupat. de Stallo excepta intonatione Invitatorii in Officiis Canonicalibus, & Pontificalibus, ac secunda, & tertia Antiphona in Officiis duplicibus, alias Antiphonas ex propriis Stallis, uti cæteri Canonici nuncupat. de Præbenda semper, & quandocumque canere, & intonare valeant, ita ut sit standum, vel recedendum a quarto loco decisis sub die 14. Februarii 1767. in casu &c.

In decisis.

Sess. 22. Decret. de observ., & evit. in celeb. Miss.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI REDUCTIONIS. Dominicus Ricci Sacellum sub invocatione SSmæ Conceptionis extruxit in Ecclesia S. Mariæ Terræ Pontiani, eique in postremo suo Testamento anni 1624. legavit scuta 225. eroganda a suis hæredibus *in emptionem duorum Locorum Montis Fidei perpetuo permansurorum sub nomine, & ad favorem dictæ Capellæ, cui dicta Loca Montis Fidei applicavit, & reliquit.*

Voluit autem, *quod dictorum Locorum Montium emendorum fructus in perpetuum, & in infinitum persolvi deberent, nempe scuta decem Capellano ipsius Capellæ, qui teneatur per se ipsum in dicta Capella, & Altare celebrare singulo quoque mense in perpetuum, & in infinitum pro salute Animæ ipsius Testatoris, Parentum, Propinquorum, & aliorum Christifidelium Missas decem. Et quia Locorum prædictorum fructus ascendere solent quolibet anno ad scuta undecim, mandavit igitur remanens scutum unum erogari per dictos suos hæredes cum præsentia Capellani in emptionem bonorum pro dictis Capella, & Altare necessariorum.*

Impleta quidem fuit voluntas Testatoris ab hæredibus, sed postea imminutis Locorum Montium fructibus, concessa fuit anno 1704. reductio ad annuas Missas quinquaginta. Verum cum ob varias usque adhuc secutas Locorum Montium extractiones nunc vix annua scuta 5. 25. ea reddant, ex quibus detracta etiam sexta parte pro necessitatibus Altaris, ac pro emolumento exactionis in obul. 60., vix super-

persunt scuta 3. 77. $\frac{1}{4}$, Canonicus idcirco *Bernardinus Moscatelli* Capellaniæ possessor nunc iterum supplicat pro reductione Missarum ad eleemosynam manualem, detracta tamen sexta reddituum parte annuos obul. 87. $\frac{1}{4}$ constituente pro necessitatibus Capellæ, & Altaris.

Ad I. inquit, hæredes Testatoris taxative adactos a Testatore fuisse ad investienda scut. 225. in tot Locis Montium favore Capellæ, prout impletum fuit: Ex variis vero secutis LL. Montium extractionibus, nec non ex fructuum imminutione ea vix modo reddere annua scuta 5. 25.: Porro detracta portione pro Capellæ, & Altaris manutentione, nec non pro emolumento exactionis, superesse solum annua sc. 3. 77. $\frac{1}{4}$. Cum ideo hic proventus longe impar sit ad onus Missarum 50. implendum, perneceſſe locus sit reductioni ad rationem eleemosynę manualis.

Ad II. advertit, rem esse de manutenenda, & restauranda Capella a Testatore constructa, in cujus commodum ipse erogandum jussit quotannis scutum unum, & hanc summam nec parem quidem esse necessitatibus illius, vel itaque reducendam non esse, vel saltem ad sextam reditus partem, quæ ad obulos 87. $\frac{1}{4}$ ascendit, reduci tantum posse.

Emus Abbas refert Oratorem assentiri, ne detrahatur merces exactoris, ac censet indulgendam esse petitam reductionem, ob novam, quæ post annum 1704. evenit diminutionem fructuum LL. Montium; maxime quia Patronus Capellaniæ plenissime consentit. Et quamvis in antiqua Missarum reductione intacta præservata fuerit contributio *scuti unius* pro Altaris, & Sacræ Supellectilis conservatione, putat tamen, *ut decrescere debeat stabilita quantitas pro Altaris, & Sacræ Supellectilis conservatione ad rationem decrementi totius annui reditus. Ideo siquidem destinavit Testator scutum unum pro Altaris conservatione, quia tum quum voluntatem suam supremis tabulis consignavit, LL. Montium Capellaniæ adscribenda reddebant ex annuo fœnore scuta undecim. Cum autem hodie reddant scuta 5. 25., quantitas hinc pro Altari, & Supellectili erit obulorum circiter 47. 3., quæ est undecima totius annui reditus.*

Testator onus hæredibus injunxit summam scut. 225. investiendi favore Capellæ in tot Locis Montium, cui dictam summam legavit. Ambigi autem nequit dictam summam taxative fuisse relictam: Hinc cum hodie fructus LL. Montium impares sint ad onus Missarum ferendum, locus esse debet reductioni *leg. si quis de legat.* 2., & Sac. Cong. in *Mediolanen. oneris Missarum* 2. *Julii* 1718.

Id itaque unice inquirendum, quæ portio pro conservatione Altaris sit præservanda. Sane Testator Capellam extruxit, & pro ejusdem conservatione annuum scutum legavit. Videndum proindè, an verosimili Testatoris voluntati consonum sit potjus dictum annuum scutum prçservare,

quam hanc etiam portionem pro rata ſequut æ diminutionis redituum Locorum imminuere .

Judicium erit EE. VV. , quibus definiendum proponitur .

I. *An , & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſarum in caſu &c.*

II. *An , & quæ ſumma ſit præſervanda pro conſervatione Altaris , & Sacræ Suppellectilis in caſu &c.*

Non propoſita .

Die

Die Sabbathi 8. Junii 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

UNica, quæ ex præterita Congregatione decidenda ſuperfuit Cauſa, priori loco in præſenti Folio recenſetur: Deindè aliæ ex ordine ſubjiciuntur, ut conſuetus numerus impleatur.

NULLIUS TERRÆ PONTIANI REDUCTIONIS.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſarum, in caſu &c.*

II. *An, & quæ ſumma ſit præſervanda pro conſervatione Altaris, & Sacræ Supellectilis, in caſu &c.*

Seſſ. 22. decret. de obſerv., & evitan. in celebr. Miſſ.

Ad I. Affirmativè arbitrio Emi Abbatis, dempta tamen undecima redituum parte pro manutentione Altaris, & Sacræ Suppellectilis arbitrio ejuſdem Emi. Ad II. Proviſum in primo.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Teſtamento, quo deceſſit anno 1694. Salvator Scandeloni, Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Veliternæ ſummam legavit ſcutor. 7600., ut ex illius fructibus diſtribuerentur quotannis octo ſubſidia dotalia ſcutorum 25. pauperibus ex Veliterna Civitate Puellis, adjecta tamen lege = *Che concorrendo al maritaggio Zitelle mie Parenti anco in grado remoto, e lontano, ſiano preferite, che così vuole il dovere.*

Seſſ. 25. cap. 1. de Reform.

Aſſueta hinc Sedis Apoſtolicæ benignitate ſæpius congrua, & decens dos ex dictis ſubſidiis dotalibus conſtituta fuit pauperibus Puellis conſanguineis Teſtatoris. Præſertim verò anno 1749. petentibus Catharina, Victoria, & Theodora Taloni deſcendentibus a Sorore Teſtatoris applicationem tot ſubſidiorum dotalium pro congrua dote ſibi conſtituenda, audita prius relatione Eminentiſſimi Epiſcopi, qui cenſuit, illarum inopiæ ſubveniendum eſſe annua applicatione trium ex dictis ſubſidiis dotalibus uſque ad ſummam

mam ſcutorum 300. pro qualibet, propoſito dubio = *An ſit locus applicationi, ſeu ſubminiſtrationi ſubſidiorum dotalium favore Catharinæ, Victoriæ, & Theodoræ de Taloxis, & in qua ſumma*, Sacra Congregatio reſpondit die 1. Martii 1749. = *Affirmative in ſumma ſcut. 200. pro qualibet, comprehenſis ſubſidiis eiſdem jam diſtributis*.

Applicationem omnium ſubſidiorum dotalium ad decennium petiit a Sanctiſſimo Domino Noſtro *Angela Maria Giorgi* proneptis Apolloniæ Sororis Teſtatoris, ut congruam dotem ſcut. 2000. ſibi conſtitueret: Cumque hujus poſtulationis cognitio Sacro huic Tribunali data fuerit, nunc ideo de ea judicium ferendum eſt.

Inquit *Angela* Oratrix, applicationem Subſidiorum dotalium pro congrua dote eidem tribuendam eſſe, tum ex præſumpta, & naturali charitate Fundatoris in ſuas conſanguineas, tum ex iſtarum expreſſa vocatione, & prælatione, addita etiam ratione, *che così vuole il dovere*. In id convenire judicium Eminentiſſimi Epiſcopi, nec contradicere Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Veliternæ; ac demum innumera præſto eſſe exempla ſimilium applicationum, quæ jam aliis Puellis conſanguineis elargitæ fuerunt.

Quantitatem vero congruæ dotis in ſumma ſcutorum 2000. taxandam eſſe: quum ea quantitas pro Puellis ex nobilibus, & Patriciis familiis Veliternis juxta Civitatis morem vix congrua reputetur. Addit ſe unicam eſſe ex conſanguineis proximioribus Teſtatori, & in provecta ætate annorum 30. conſtitutam reperiri, ita ut nonniſi pinguiori dote parem poſſit Virum invenire. Demum probat ſuam paupertatem, ac omni ſpe deſtitutam eſſe conſequendi dotem ſcutor. 2000. ſibi a Patre in Teſtamento relictam, ob improvidam Fratris adminiſtrationem, bonorumque paternorum diſtractionem.

Nec dictam dotis quantitatem minuendam eſſe, ex quo agatur de dote ex gratia largienda, quia quamvis dos ex gratia largiatur, nihilominus debet eſſe congrua, ne inutile beneficium evadat. Inſpecta proinde ſuæ familiæ conditione, Civitatiſque uſu, cum dos ſaltem in ſcutis 2000. neceſſaria ſit, in hac idcirco quantitate non ſit deneganda. Hujuſmodi vero quantitatem inquit videri non poſſe exceſſivam, eo quod in minori ſumma Puellis conſanguineis fuerit aliquando conceſſa, quum hac in re normam non præbeant aliarum exempla, quia longe diſſimiles ſunt circumſtantiæ; licet enim de anno 1749. in ſcut. tantum 200. aliis conſanguineis Teſtatoris Puellis tributa fuerit, nihilominus animadvertit, tunc dotem a tribus Puellis petitam fuiſſe, & jam duabus aliis Puellis alimenta ſubminiſtrari conſueviſſe. In concurſu tot Puellarum, inquit, dicta ſubſidia imparia fuiſſe ad congruam dotem ſingulis præſtandam; Nunc verò dicit, ſe unicam eſſe proximiorem Puellam, nul-

liqne

lique alimenta deberi; nihil proinde impedimento esse, quominus congrua dos sibi largiatur.

Inanem demum esse spem quidquam ex materna hæreditate consequendi, cum, Matre ab intestato defuncta, omnis sibi præclusus sit aditus successioni ob Statutum feminarum exclusivum. Ceterum advertit se interim alendam esse, & in alimentorum causam perneceſſe id omne erogandum esse, quod ex materna hæreditate consequi posset.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Veliternæ petitæ applicationi non contradicit; Verum circa quantitatem ponderandum proponit, *nullum aliud in hac Civitate Veliterna subsidium extare, quum octo tantum puellæ singulis annis vel præeliguntur tamquam a Fundatore privilegiatæ, uti consanguineæ, & descendentes, vel in earum defectu de populo sorte extrahuntur. Familias etsi remotiores, quæ pio Testatoris sanguine conjunctæ sunt, quamplures esse: Puellas verò extraneas, & quidem pauperrimas quam plurimas, quarum inopiæ nonnisi post decem annos subveniri, juvarique posset.*

Emus Episcopus singulis maturè perpensis, concludit = *ætate, genere, ac indigentia oratricis, pauperum puellarum copia, aliisque factis circumstantiis sedulo perpensis ex animo sentio, nimirum satis cœvum fore, ut eidem Oratrici in dotis causam indulgeatur applicatio subsidiorum, de quibus agitur, non tamen ultra scuta octingenta, eorumque solutio distribuatur in singulos centena quotannis præstanda. Sic enim ex octingentis scutis hujusmodi, aliisque ducentis a dote materna Oratrici obvenientibus, conficietur dos scut. 1000., qua honestè, & decenter, quantum satis sit, nuptui collocari queat. Eorum vero octingentorum scutorum solutio distributa in annua singula centena nihil impediet, quominus adhuc quotannis ex reliquis aliis scutis centum quatuor subsidia conferantur in alias totidem puellas Civitatis.*

Sacra Congregatio extraneis Puellis persæpe prætulit consanguineas, ut ex resolutionibus *in Romana dotium* 2. *Octob.* 1717., & 24. *Septembris* 1718., *in Nullius, seu Montis Casini distributionis subsidiorum dotalium* 24. *Septembris* 1729. *in Camerinen. subsidiorum dotalium* 8. *Augusti* 1733., *in Panormitana Subsidiorum dotalium* 20. *Aug.* 1735., & *in Narnien. subsidiorum dotalium* 17. *Sept.* 1762.

Communis autem distinctio est, quod si agatur de consanguineis expresse vocatis, seu ex justitia venientibus, tunc consanguinitas protrahitur usque ad decimum gradum juxta regulas juris civilis §. *fin. Instit. de Succeff.*, *Rot. in Forolivien. loci consilii* 5. *Maii* 1704. *coram Molines*, & *coram Falconer. decis.* 10. *num.* 6. *tit.* 40.; nisi aliter conjecturæ suadeant, aut verba Testatoris agnationem, seu familiam respiciant *Sac. Congregatio in Comen.* 27. *Februarii* 1706., & *in Firmana Subsidiorum Dotalium* 9. *Septembris* 1736.

Si verò desit præcipua, & expressa consanguinearum fæmi-

na-

narum vocatio, solaque naturalis charitas cōsideretur, tunc consanguinitatis ratio in pretio non habetur ultra quartum gradum jure civili computandum *Rot. decis.* 898. *num.* 3. *coram Emerix Jun.*, *in Romana*, *seu Januen. Legati* 5. *Maii* 1698. §. *similiter coram Tremoille*, *& Sac. Congregatio in Romana Subsidiorum Dotalium* 12. *Decembris* 1761., *& in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 24. *Decembris* 1765.

Salvator Scandeloni Testator præcepit *che concorrendo al maritaggio Zitelle mie Parenti anco in grado remoto, e lontano, siano preferite, che così vuole il dovere*. Ambigi idcircò non posse videtur de aperta illius voluntate favore Oratricis, quæ consanguinitatis prærogativa pollet. Quando autem actum fuit de conferendis subsidiis dotalibus Puellis consanguineis expressè vocatis, quandoque factus est cumulus ad congruam dotem eisdem constituendam, ut in *Romana applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Aug.* 1733., *in Panormitana Subsidiorum Dotalium* 15. *Januarii* 1735., *in Romana* 22. *Maii* 1757. *ad II. Dub.*, *& in Narnien. Subsidiorum Dotalium* 21. *Augusti* 1762.

In his vero casibus Sacra Congregatio, vel quantitatem præfinivit inspecta ætate, ac conditione, aliisque circumstantiis, ut in *Romana*, *seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 7. *Martii* 1762., *in Narnien. Subsidiorum Dotalium* 10. *Septembris* 1762., vel illam Ordinarii arbitrio præfiniendam remisit, ut in *Romana*, *seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 24. *Aprilis* 1717. *lib.* 67. *decret. pag.* 149., *& 4. Decembris* 1723. *lib.* 73. *decret. pag.* 638.

Perpensa itaque conditione Oratricis, ejusque Statu, ac ætate, nec non usu Civitatis, aliisque circumstantiis in præsenti casu concurrentibus dignentur Eminentissimi PP. deffinire.

An sit locus applicationi Subsidiorum Dotalium, & in qua summa, in casu &c.

Affirmativè pro summa scutorum octingentorum ratatim assignanda juxta votum Emi Episcopi.

Sess. 22. *de obser. & evit. in celebr. Miss.*

PLACENTINA CELEBRATIONIS MISSÆ. Pius Sacerdos *Joannes Thomas Bascapè* anno 1682. perpetuam instituit Capellaniam sub invocatione *Sanctissimæ Virginis Mariæ de Rosario*, *& SS. Joannis Baptistæ*, *& Thomæ de Aquino*, ad Altare ab ipso jam antea erectum in Ecclesia Parochiali SS. Cosmæ, & Damiani Oppidi Mornici Diœcesis Placentinæ, deditque Capellano onus celebrandi unam Missam quotidianam in dicto Altari pro suæ animæ, suorumque con-

consanguineorum expiatione. In posterioribus vero Codicillis legem adjecit, *quod Capellanus debeat Missam quotidianam perpetuam in ipso fundationis instrumento dispositam celebrare in aurora singula die, & hoc etiam pro majori comodo & beneficio hominum ejusdem Loci Mornici, ut possint illam audire, antequam incumbant operibus.*

Capellaniam hanc modo possidet *Sacerdos Paulus Villani*, cumque Communitas Mornici conqueta fuerit, quod diebus festis Missa non celebraretur in Aurora, Episcopus *die 18. Septembris 1768.* decrevit: *Capellanum celebrare debere diebus feriatis pro majori comodo Populi in aurora, diebus autem festis celebrare posse hora ipsi melius visa, dummodo tamen non celebret tempore Missæ Parochialis, & hora impeditiva Functionum Parochialium.* Ab hoc perinde decreto reclamante Communitate, nunc quæritur, an Capellanus etiam diebus festis teneatur ad Sacrificium in aurora peragendum.

Inquit Communitas Mornici, claram esse fundationis legem celebrandi singulis diebus non solum festivis, sed etiam feriatis Missam in aurora, cum Testator illam expresse celebrari præceperit *singula die*, quæ verba dies omnes tam festos, quam feriatos comprehendunt. Nec legem indefinite latam coercendam putat ad solos dies feriatos ob causam a Fundatore iis verbis expressam, nimirum: *& hoc etiam pro majori comodo & beneficio hominum ejusdem loci Mornici, ut possint illam audire antequam incumbant operibus.* Aiit enim causam hanc non quidem restrictive, sed potius ampliative, & pro ratione impellente additam Missæ; idque evinci ex adjecta particula *etiam*, l. *etiam* 141. *ff. de verbor. signif.* Addens insuper, diebus etiam festis plura permissa esse opera, tam domestica, quam rustica ab hominibus obeunda, videlicet, ducendi ad pastum animalia, curandi armenta, iter habendi, aliaque hujuscemodi.

Advertit præterea favere perennem observantiam, quæ in dubio maxime attendi debet, eamque probat testimonio tum Parochi ab anno 1737. Parochiam exercentis, tum etiam Consulum Loci, qui tam ex propria scientia, quam ex auditu a Majoribus deponunt, semper Capellanos Missam in aurora pro comodo Populi celebrasse. Hinc de mendacio, subornatione, ac nimia familiaritate duos contrarios Testes redarguit.

Addit demum solemnes initas tam cum Antecessore, quam cum hodierno Capellano conventiones; A Communitate quidem concessum fuisse dicit Antecessori locum in Ecclesia ad retinenda sacra Supellectilia, quæ inserviunt celebrationi Missæ quotidianæ in aurora. Hodiernum vero Capellanum ob confirmatam ejusdem Loci concessionem implementum promisisse non solum *di quegli obblighi, che intorno alla celebrazione della Messa quotidiana gli vengono incaricati dalle disposizioni di chi l'ha fondata, ma di più si offre disposti-*

ſiſſimo col maggior comodo della Communità ſudetta tanto nella celebrazione della Meſſa ſì ne giorni feriali, che nelli feſtivi, quanto in qualunqu altro impiego Sacerdotale.

Contra Paulus Villani Capellanus, inquit, Fundatorem poſt præſcriptam Miſſam quotidianam abſque ulla præfinitione horæ, poſtmodum onus addidiſſe eam celebrandi in aurora pro majori comodo, & beneficio hominum Mornici eo animo, ac fine, ut dicti homines poſſent illam audire, *antequam incumbant operibus*. Hanc ideo diſpoſitionem ad eos tantum dies referri poſſe, quibus homines operibus ſervilibus vacant, nullomodo ampliandam ad dies feſtos, in quibus cauſa deſignati temporis ceſſat, ne alias finis Teſtatoris, & cauſa pervertatur. Maximè quia celebratio Miſſæ in aurora diebus feſtis non ſolum non cederet in comodum, & beneficium dictorum hominum, ſed in maximum retrocederet damnum, & perniciem æternæ eorum ſalutis, dum poſtquam Sacro in aurora adſtitiſſent, tota die otio vacarent, & imminueretur concurſus ad Miſſam Parochialem, in qua populo explicatur Evangelium.

Contendit quoque, favere ſibi obſervantiam celebrandi Sacrum in diebus feſtis hora beneviſa, eamque probat non ſolum teſtimonio duorum Sacerdotum, qui Vice Capellani munere functi ſunt, quique uno ore deponunt, hora ſibi beneviſa diebus feſtis Miſſas celebraſſe, verum etiam addit aſſertam confeſſionem Communitatis, quæ ait, Cappellanum egiſſe diebus feſtis Sacrum poſt alteram Miſſam Capellani ipſius Communitatis; hiſque accedere ſubjungit teſtimonium, & judicium Epiſcopi, cui maximè deferendum eſt, *Rot. in Vercellen. Functionum* 14. *Junii* 1738. §. *In hoc coram De Vais*, *& in Compoſtellana Capellaniæ* 26. *Junii* 1761. §. 13. *coram Secretario*.

Spernendum hinc exiſtimat Teſtimonium Parochi, tum quia unicum, tum quia juramento non firmatum, tum quia ab aliis Teſtibus rejectum, maxime quia recte potuit Capellanus pro ſuo arbirrio etiam diebus feſtis Sacrum in aurora celebrare, ſed non inde ex hoc actu facultativo ademptum eidem eſt arbitrium Miſſam quacumque hora celebrandi juxta finem a Teſtatore volitum, atque juxta juris diſpoſitionem. Negat demum prætenſam conventionem cum Communitate, quæ illegali tantùm folio a Notario minime recognito in medium profertur, quæque falſitatis ſuſpicione non caret.

Epiſcopus poſt relatam quæſtionem, ſuumque decretum ſuper eadem latum, ſapientiſſimo EE. VV. judicio utriuſque partis jura ſubmittit.

Quæſtio omnis ex fundatione pendet, quæ ante oculos habenda eſt. Fundator onus Capellano injunxit celebrandi Miſſam quotidianam ad Altare a ſe conſtructum: in Codicillis vero legem adjecit, quod Capellanus *debeat Miſſam quo-*

quotidianam perpetuam in ipso fundationis Instrumento dispositam celebrare in aurora singula die. Sanè hæc verba onus præseferre videntur celebrandi in aurora Missam quolibet die sive festo, sive feriato.

Unica idcirco inspectio est, an causa immediate a Fundatore adjecta tanti sit, ut generalem legem coercere valeat ad solos dies feriatos. Dixit Fundator, *& hoc etiam pro majori comodo, & beneficio hominum ejusdem loci Morvici, ut possint illam audire antequam incumbant operibus*. Ponderandum hinc an hæc fuerit unica, & finalis causa Fundatoris, ad quam totam suam legem coercere voluerit, vel potius causa expressa stet ampliative, & ad majorem rationem juxta naturam dictionis *etiam*, *Rot. coram Falconer. de dote decis. 17. num. 3.*, *& in Ferentina redditionis rationis 29. Aprilis 1729. §. Non obstante coram Nunez*.

In dubio lex Fundationis ab observantia, & etiam ab Episcopi judicio interpretari debet, Eminentissimi PP. summa, qua pollent juris sacri peritia, & in interpretandis Fundatorum voluntatibus scientia, dignentur declarare

An Capellanus teneatur quotidie celebrare Missam in aurora, etiam diebus festivis, in casu &c.

Affirmativè, & amplius.

SANCTI MARCI IRREGULARITATIS. Cum Rosaria Carino conquereretur, frugiferas quasdam herbarum plantas in proprio horto avulsas fuisse, ac conculcatas, & maxime doleret, quod tale damnum a Sacerdote Vincentio Morelli, suisque Villicis fuisset illatum, Sacerdos, qui nonnullis antea diebus cum dicta Muliere verbis rixatus fuerat, quique prope aderat, & hujusmodi querelas audivit, illam conviciis, & contumeliis cœpit objurgare. Mulier verò a maledictis minimè cessavit; Vincentius furore succensus, accepta Securi, Rosariam fugientem insequutus est, eamque deprehendit, & quamvis monitus, ne quid damni eidem inferret, eo quia utero gravis esset, nihilominus dexteram in modum percutientis levavit, sed ab ictu injiciendo abstinuit. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Timore magno perculsa Mulier statim trepidare, & contremiscere cœpit, nec multo post ita torminibus vexare sensit, ut sequenti die abortum ediderit, quem in tertio a conceptione mense tunc reperiri dijudicatum est. Res per Josephum Tudda Rosariæ Virum ad Curiam Episcopalem delata fuit, quæ statim inquisivit contra Sacerdotem Vincentium, cui Palatium Episcopale loco carceris fuit assigna-

gnatum: Præter Obstetricem, duo etiam Medici, & octo Testes fœtum inspexere. Recepta quoque fuit depositio Rosariæ, quæ prima vice minas sibi illatas, easque abortui causam præbuisse narravit, ejusque assertionem duo Testes, qui rixæ fuerunt præsentes, reliqui verò de auditu confirmarunt; sed deinde ferè post mensem eadem Rosaria in exonerationem propriæ conscientiæ declaravit = *che la medesima in tempo della rissa, sentivasi dolori di aborto imminente, onde per puro astio di quell'atto cercò addossare la causa al Sacerdote Vincenzo, essendo come publicamente si è veduto, che pochi mesi addietro si era abortita per altre cause esterne, ed interne, onde come tale è solita, sentivasi in quel giorno.*

Semel, atque iterùm constitutus Sacerdos negavit minas, nullamque abortui causam præbuisse asseruit; compilatoque processu, defensionibus renunciavit, maluitque Theologorum judicio quæstionem definiri. Tres itaque Theologi a Vicario Generali electi in ea fuerunt sententia, ut Sacerdos Vincentius Sanctissimo Domino Nostro pro dispensatione supplicaret, & interim a celebratione Missæ abstineret; hinc preces exhibet, ut proposita ad calcem dubia definiantur.

Juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam gravissimis pœnis afficiebantur, qui abortui causam dedissent. Synodus Ancirana anno 314. celebrata in *Can.* 21. ad publicam per decennium pœnitentiam agendam eos adegit: Et S. Basilius in Epistola ad Amphilochium pari pœna plectendos censuit delinquentes pro quocumque abortu sive fœtus esset animatus, sive non. Adhæserunt quoque leges civiles, quæ gravioribus suppliciis procurantes abortum damnandos decreverunt *Leg. si quis aliquid §. Abortionis ff. de pœnis, & leg. Si Mulierem ff. ad leg. Cornel. de Sicariis.*

Verùm Canonum rigorem quodammodo temperare visus est Innocentius III. in *Cap. Sicut ex litterarum 1. de homicid.*, dum statuit, quod si sequutus fuisset abortus fœtus animati, tùnc delinquens irregularis evaderet, & gravibus pœnis afficeretur, mitius vero ageretur, si fœtus non fuisset animatus. Sed deinde Sixtus V. in Constitutione, quæ incipit *Effrenatam* 4. Kalendas Novembris 1588. nulla admissa inter fœtum animatum, & non animatum distinctione, ita indefinitè sancivit = *Eos verò, qui Clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, Dignitatibus, & beneficiis Ecclesiasticis ipso facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus &c.* = Istius tamen Constitutionis rigorem moderatus postea fuit Gregorius XIV. alia Constitutione incipien. *Sedes Apostolica* edita prid. Kalendas Januar. 1591. ubi §. 3. pœnas contra procurantes abortum ad terminos juris, & Sacrorum Canonum, ac Concilii Tridentini dispositionem reduxit.

Inter causas abortus potissimùm a Physicis recensetur timor, cum

cum Mulieres timidæ, & meticulosæ procliviores sint ad abortum *Muricon. tom.1. cap 26. de abortu, & ejus origine, Henri. de l'entre in lib., cui titulus Ars obstetricandi cap. 33.* Ponderandum itaque est, an timor a Sacerdote Vincentio Rosariæ incussus causare, vel saltem properare potuerit abortum, in quo totum causæ momentum pendet. Perpendendum insuper an fœtus esset animatus, vel non, qua quidem super re non una est Philosophorum sententia, ut apud *Gregor. Lopez in leg.8. tit.8. par.7 gloss. 2., Gothofred. ad leg.3. § fin. ff. de suis, & legitim. hæred., Zach. quæst. Medico-legal. tit.2. quæst.9.*, & alibi. Communior tamen, & recepta opinio est, quæ statuit post 40. dies in masculis, & in fœminis post dies 80. animam intrare in fœtum conceptum *Farinac. in oper.crimin. quæst.122. par.1. num.143. Martin. Azpilcuet. ad tit.10. de homicid. conf.46. nnm.2., Carand. de part. cap.1. §.2. num.35.*

Quoad tempus, quo Rosaria abortum edidit, ipsa deposuit = *Io ero gravida di due mesi, ed ero entrata nel terzo mese, secondo il conto, che mi ho fatto, e me ne accorgevo, e lo tenevo per certo* = cohæret etiam quamvis dubitativè, Obstetricis depositio = *non ne posso fare giudizio certo del tempo della gravidanza, e dell'età dell'aborto, ma solo posso credere, come credo per l'esperienza, che ne ho, di essere tale aborto di due mesi in circa* = & aliitres Testes de auditu id ipsum confirmant.

Quando autem dubium est, an fœtus esset animatus, vel non, nonnulli existimarunt, procurantes abortum irregulares nequaquam censeri *Gonzalez lib. 5. decretal. in comment. ad cap. significasti de homicidio num.6. prope fin. Barbos. de potest. Episcop. alleg.51. num.141.*, & alii.

De irregularitate etiam in dubio viden. resolutiones S. Congregationis in *Caputaquen. irregularitatis* 24. *Martii* 1725., *in Guattimalana irregularitatis* 14. *Maii* 1729., & præcisè in casu abortus in *Beneventana irregularitatis* 18. *Novembris* 1769.

Episcopus testatur de satisfactione Partis, & Fisci, & Oratorem *dignum venia, ac petitæ absolutionis gratia* existimat. Quare EE. VV. sapientiæ, & æquitati dijudicandum relinquitur.

I. *An constet de irregularitate, in casu &c.*
Et quatenus Affirmativè.
II. *An sit locus dispensationi, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

ACHE-

Sess. 24. cap. 3. & 5. de Reform. Matrim.

ACHERUNTINA DISPENSATIONIS. Constitutus in extremo mortis discrimine Joannes Josephus Serio, matrimonium cum Anna Catharina del Pomo juxta ritum Ecclesiæ contraxit, deindeque occubuit, absque eo quod illud consummaverit. Cogitante proinde Sabino Serio Uxorem Fratris sui desponsare, postquam familiariter cum ea conversatus fuerat, dispensationem ab impedimento, quod vocant *publicæ honestatis* expostulavit, sed die 16. Junii anni præteriti rejectus judicio Sacræ hujus Congregationis, quod Eminentissimus Prodatarius requisierat, eamdem modò tum Sabinus, tum Anna Catharina renovant instantiam, innixam præsidio nonnullarum tunc omissarum circumstantiarum, aliorumque factorum, quæ deinde accidisse affirmant.

Itaque præter ea, quæ animadversa fuerunt in præcedenti istius Causæ folio, quod opportunè nunc resumere EE. PP. rogantur, reticitam fuisse dicunt carnalem copulam, quæ inter eos intercessit, sub spe obtinendæ dispensationis ab impedimento publicæ honestatis, quam spem effectu haud carituram pollicebantur Epistolæ ad Sabinum missæ. Id insuper accedere, quod post notitiam denegatæ a Sacra Congregatione dispensationis, pandita per Annam Catharinam ejus cum Sabino illicita consuetudine Parentibus, ac Fratribus; hi furore, & ira abrepti mortem ipsi, & Sabino minantur, nisi speratum sequatur Conjugium: Ex quo factum, ut ille ad evadendam necem, profugus cum Gervasio Fratre patrios lares deserere fuerit adactus.

His itaque præmissis repetunt, Matrimonium cum Joanne Josepho prædefuncto Sabini Fratre ratum tantummodò fuisse, & non consummatum; prout deprehenditur tum ex tempore, quo initum fuit, nempè tunc cum lethali morbo correptus, & Sacramentis Ecclesiæ munitus jam jam esset moriturus, tum etiam ex testimonio Archiepiscopi, aliorumque Testium, nec non Annæ Catharinæ, quæ id ipsium jurejurando confirmavit. Inferunt idcircò adesse tantummodò impedimentum publicæ honestatis, non autem affinitatis, quæ nonnisi quam ex Matrimonii consummatione contrahitur *D. Thom. 4. distinct. 41. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1.*, *Reinfest. ad jus canon. lib. 4. §. 2. de affinit. num. 39. Rot. coram Arguel. decis. 8. num. 19.* Nec nisi impropriè latoquè modo vocari impedimentum affinitatis, quod ex Matrimonio tantum rato oritur *Sanchez de Matrim. lib. 7. de impedim. Matrim. disceptat. 64. num. 24., & 25., Corrad. in prax. dispens. lib. 8. cap. 7. num. 13. & seq.* Et hanc fuisse Sac. hujus Congregationis sententiam apud eumdem *Corrad. num. 13.*

Advertunt autem, dispensationem a publicæ honestatis impedimento haud rarò concedi, quando aliqua gravis causa con-

concurrat, prout in præsenti casu esset copula inter Oratores, infamia ex ipsius copulæ suspicione, scandalum, & imminens ipsorum vitæ periculum *Corrad. loc.cit. num.21., Reinfest. in append. ad lib.4. de Dispensat. super impediment.§.3. De causis num.49., De Justis de dispensat. Matrimon. lib.3. cap.6. num.22., & cap.8. num.7.*

Nec obesse putant Sacræ hujus Congregationis decreta, quibus dispensatio denegata fuit in *Leodien. Dispensationis* 10. *Maii* 1755., *in Pinnen. Dispensationis* 29. *Maii* 1756., *& in altera Leodien. Dispensationis* 22. *Maii* 1762.. Etenim in primo casu sustinent actum fuisse de dispensatione petita a Muliere, ut duceret alterum sui Viri fratrem, quod exorbitantius erat; Maximè quia dubium de sequuta consummatione oriebatur. In secundò verò defuisse dicunt concludentem probationem non sequutæ consummationis, præsertim ex defectu juramenti Viri. Ac in tertio, probationes consummati Matrimonii allatas fuisse contendunt. His itaque sepositis rationem potius habendam esse existimant resolutionis Sac. hujus Congregationis editæ in causa *Gadicen. Dispensationis* 12. *Junii*, *& 25. Septemb.* 1762.; in qua licet ageretur de duriori casu, nec suspicio consummationis omnino deesset, nihilominus impertita fuit dispensatio ab impedimento publicæ honestatis, atque etiam *ad cautelam* ab impedimento affinitatis.

In præterito istius Causæ folio relata fuit Doctorum opinio, an ex Matrimonio rato, & non consummato impedimentum affinitatis, vel publicæ honestatis contrahatur; ac perpensæ fuerunt circumstantiæ, quibus dispensatio ab hujusmodi impedimento concedi consueverit. Ad ea proindè habenda relatio est, atque id unum modo expendendum supereſt, an scilicet exclusa prorsus videatur quælibet carnalis copulæ suspicio non quidem post matrimonium, sed antequam illud contraheretur. Qua super re animadvertendum est, quatuor ex Testibus in formali examine affirmasse, matrimonium cum Anna Catharina in mortis articulo initum fuisse *per reintegrarla nella fama*, insuper *per rimetter detta Anna nella primiera sua stima*, ulterius *per non farla restar lesa nella stima*, ac demum *per risarcire la stima a detta Anna*.

Aliundè verò constat, gravissimas adesse causas, ob quas dispensatio ab impedimento publicæ honestatis, atque etiam ad cautelam ab impedimento Affinitatis concedi consuevit, ut in citata *Gadicen. anni* 1762. Adest scilicet copula notoria, nec non perpetua infamia Annæ Catharinæ illata, ac imminens vitæ periculum, quemadmodum apertè asserunt duodecim Testes, atque ipse met Archiepiscopus, qui suam relationem ita concludit= *In tale circostanza di un affare reso publico, la copula notoria, l'infamia della Donna, le minacce, ed evidenti pericoli della vita di esso Subino*, &

d'Au-

d'Anna, l'accensione degl'animi dei Congiunti della Donna alterati, ed offesi, e la qualità della gente prona al Sangue anche per cause non rilevanti mi hanno posto nell'obligazione come Rettore di quelle Anime alla mia Cura commesse, e per potersi togliere li scandali, e gl'inconvenienti inevitabili, umiliare il tutto all'EE. VV. Rme non solo con questa mia riverente rappresentanza, ma anche con unire l'originale Processo compilato, affinchè passando per sotto gl'occhi Sacrissimi di codesta Sac. Congregazione, e dal medesima ravvisand, la serie de fatti occorsi in quel prospetto, che essi sono, à tutto il di più, che viene deposto, e certificato, possano con l'alto loro sapere, e coll'autorità di codesta Sede Apostolica porgere il rimedio a mali imminenti degl'Oratori, degnandosi di quella grazia della Dispensa, che stimeranno opportuna.

In his ergo circumstantiis quid prudentia, & æquitas suggerat, dijudicabunt Emi PP. dum quæritur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

Sess. 24. cap. 4. de Reform.

SPOLETANA REDUCTIONIS. In Supremis testamentariis tabulis anno 1635. exaratis, Michael Angelus Cesi suis hæredibus, & successoribus mandavit, ut anno quolibet *il giorno della festa di S. Maria Maddalena, e di S. Lorenzo debbano fare due quarte di pane per dispensarlo alli poveri in detti giorni*: Ac præterea præcepit *che dell'usufrutto delli beni, ed eredità esistenti in Roma, ed in Monte Leone debbano cavare, e levare prima scudi 50. ogn'anno in infinito, quali si diano a due Preti, o Frati da eleggersi, e nominarsi dall'infrascritti miei Eredi, e Successori... con peso di dire la Messa ogni giorno una settimana per uno, qual Messa si debba dire alla mia Chiesa dell'Angelo Custode, e che l'infrascritti miei Eredi, e Successori debbano dar lume, vino, e ciò, che farà necessario per dire la Messa per l'ornamento dell'Altare &c.* Cumque filiis careret, super tota hæreditate fideicommissum instituit, ad quod in primis vocavit superstitem adhuc Genitorem Bartholomæum, eique substituit filios, & descendentes masculos ex masculis in infinitum.

Bartholomæus primus hæres prætermisso legali Inventario, alienatisque pluribus hæreditariis bonis in Urbe existentibus, bona propria cum bonis Michaelis Angeli filii commixtà reliquit. Hinc factum est, ut ejusdem Michaelis Angeli bona impar ita evaserint ferendo oneri scut. 50., quæ in celebrationem Missæ quotidianæ erogari debuissent; atque idcircò Carolus, Joannes Angelus, & Joannes Laurentius Cesi supplicem Sac. huic Congregationi porrexe-

runt libellum pro earumdem Missarum seductione, de qua modo agendum est.

Contendunt primo loco, legatum non *demonstrativè*, sed *taxativè* fuisse relictum, ac propterea hæredes cogi non posse ad supplendum stipendium pro eo constitutum, si fundus perierit, aut fuerit imminutus *Amostaz. de cauſ. piis lib. 2. cap. 6. num. 13.*, & 18., *Gratian. disceptat. foren. cap. 256. num. 1.*, *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. cap. ult. lib. 13. num. 30.*, & 32.. Nec dubitari posse probant, quin legatum taxativum tantummodò fuerit, cum Testator dotem, & fundum legati primo loco præmiserit; deindeque perrexerit ad constituendos reditus pro Missarum eleemosina Sacerdotibus tribuenda; postea verò illarum numerum præfinierit, locumque designaverit, in quo Sacrificia celebrari deberent; ac demum jus nominandi suis Posteris reliquerit.

Certumque esse dicunt, unum ex fundis a Testatore legatis, quod Romæ extabat, omninò periisse, cum id desumatur ex mandatis Procuræ a majoribus de Familia Cesi datis ad alienandum Loca Montium, aliaque bona in Urbe existentia, quæ quidem sufficientem constituunt probationem, quoties deest inventarium, & agitur de facto antiquo, quod conjecturis etiam probari potest *Mascard. de probat. concl. 1229. num 4.*. Præsertim quia id ipsum confirmat relatio Episcopi, qui post accuratum examen actum superextantis quantitatis bonorum, ingenuè affirmat, *perpaucæ supereſſe bona conſtantia ſummam ſcut. 3000. circiter*.

Nec obesse ajunt, quod existant adhuc bona in Oppido Montis Leonis pro fundo Legati a Testatore relicta. Animadvertunt enim, dotem piæ fundationis æquè fuisse constitutam in bonis Montis Leonis, aliisque in Urbe existentibus, ut apparet ex particula copulativa &, ibi = *Ordino*, *che dell'uſufrutto delli miei beni eſiſtenti in Roma*, & *in Monte Leone*, quæ quidem particula communionem, & promiscuitatem importat *Rot. decis. 188. num. 6. part. 6. Recen.*. Adduntque etiam, bona in Oppido Montis Leonis sita, vix ad alimoniam aliquorum ex hæredibus sufficere.

Qua quidem super re observant, quod quando agitur de exequendis piis dispositionibus, & de subministrandis alimentis hæredi paupertate laboranti, huic danda prælatio sit *Authen. de trient., & ſemiſſ. in princip.*, *Ruin. conſ. 127. n. 7.*, *Peregrin. de fideicom. art. 42. num. 86. in fin.* Maximè ob præsumptam Testatoris voluntatem, qui fideicommissum instituendo propagationem omnem sobolis, & agnationis conservationem primariò optavit; ex quo fit, jus nullum ita esse privilegiatum, ut alimentis hæredi fideicommissario tribuendis cedere debeat *Lotter. de re benef. quæſt. 32. n. 15.*

Post hæc ducto calculo omnium expensarum, quæ necessariæ sunt pro exequendis legatis tum distributionis panis bis

in anno pauperibus elargienda, tam celebrationis Missæ quotidianæ, ac manutentionis Altaris, nec non Sacrarum Supellectilium, & insius Ecclesiæ, sustinent hujusmodi expensas sum nam scut. 100. excedere. Ex alia verò parte bona in Oppido Montis Leonis sita, omnique frugifera arbore denudata vix pertingere valorem scutorum 3000., nullumque alium reddere fructum, quam frumentum, quod non singulis annis, sed biennio tantum ex fertilioribus prædiis, vel quatriennio colligitur.

A Communitate Montis Leonis juridice admonita, cui deficientibus in implemento legatorum hæredibus commissa fuerat Missarum celebratio, nihil hactenus deductum est, immò fertur a qualibet contradictione abstinuisse, ut rectissimo EE. VV. judicio rem totam definiendam remitteret.

Inquirendum primò in hac causa videtur, an bona pro fundo Legati *taxative* relicta fuerint, vel *demonstrative*, cum in primo casu si fundus perierit, vel fuerit imminutus, reductio concedatur, juxta praxim Sac. Congregationis, de qua testatur Benedictus XIV. *de Synod. Diœcs. lib.* 13. *cap. ult. num.* 32.. Deindeque observandum, an quæ supersunt bona, paria sint oneri ferendo; Et an pro implemento Legati ea tantum bona teneantur, quæ in Oppido Montis Leonis sita sunt, vel alia etiam alibi existant. Defectus Legalis Inventarii, & commixtio bonorum fideicommissariorum cum bonis Bartholomæi Cesi Senioris id deprehendi posse non permittit; quare conjecturis tantummodò, & præsumptionibus dijudicandum, de quibus tamen ignoratur, an sufficientem hac in re probationem præbere possint.

Nec etiam prætereunda inspectio, an ulla facta ab Oratoribus sit bonorum fideicommissariorum distractio, ita ut suspicari pollit, eorum culpa Legati fundum fuisse imminutum,

Episcopus certum esse dicit, Michaelem Angelum Cesi Patrem Caroli unius ex Oratoribus repudiasse hæreditatem Bartholomæi ejusdem Caroli Avi, eo quia plura bona fideicommissaria fuerant ab ipso dissipata. Certum quoque affirmat, nullam a prædicto Carolo factam fuisse distractionem bonorum, fideicommisso subiectorum; Quidquid verò alii egerint, omninò se ignorare fatetur, cum Joannes Angelus in Urbe moretur, & Joannes Laurentius in Civitate Narniæ. Hunc tamen refert duobus ab hinc annis alienasse domum pretio, ut fertur scut. 80. cum onere illud deponendi in reintegrationem fideicommissi, quin tamen constet hujusmodi reintegrationem fuisse sequutam.

Denique hoc modo concludit = *Rebus sic stantibus non habeo ubi figere pedes ad eruendam veritatem in facto, ac propterea in hac rerum obscuritate difficile admodum est meam aperire Sententiam,*

tiam. Censerem nihilominus, quod non obstante dissensu Priorum d. Communitatis, qui non omninò rationabilis videtur, quatenus verum esset, etium Joannem Angelum, & Joannem Laurentium repudiasse hæreditatem eorum Auctorum, qui prædicta bona fideicommissaria alienarunt, petitæ reductioni pro medietate tantùm Missarum a Testatore præscriptarum indulgeri posse, & moveor tantùm ratione præsumptæ voluntatis Testatoris, qui si cognoscceret absque aliqua culpa modernorum hæredum vires hæreditarias esse diminutas, verosimiliter tam grave onus ipsis non imponeret. Præcipuè verò cum Carolus Cesi Orator in gravi sit constitutus rei familiaris angustia, injuncta tamen eis expressa obligatione proportionabiliter augendi numerum Missarum in casu recuperationis bonorum alienatorum.

Dijudicent ergo Emi PP.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum Missarum in casu &c.

Negativè.

LUCANA JUBILATIONIS. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Majoris Civitatis Lucæ sex tantum Canonicis constituitur, quorum munus est vespertinas horas omnibus diebus festis, pluresque per annum, præsertim sollemnioribus diebus, Missas canere, & nonnulla Anniversaria explere. Huic Ecclesiæ per annos quadraginta laudabiliter inserviit Canonicus Joannes Matthæus Lombardi, qui in præmium Laboris, & diuturni servitii jubilationem expostulat. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Capitulum non dissentit, & convenit etiam Archiepiscopus, qui tamen post relatum exiguum Capitularium numerum, ac moderatum Ecclesiæ servitium, advertit, alterum ex Canonicis senectute confectum, & adversa valetudine laborantem ad Ecclesiam accedere, sacrasque functiones peragere non posse; hinc animadvertendum proponit, quatuor tantum Canonicos si jubilatio Oratori concedatur superfuturos, qui Ecclesiæ servitio vacare possint, *ex quibus Emi PP. pro singulari, qua pollent sapientia dijudicare, ac decernere facilius poterunt, an Oratoris precibus, prout Canonici ipsi cupiunt, & ego pariter cæteroquin sentio, annuendum sit.*

Nova non est in Ecclesia disciplina, qua Canonicis, aliisque Sacris ministeriis addicti, si per annos 40. continuò, & laudabiliter inservierint, vacatione donentur, absque eo quod quidquam de fructibus suorum beneficiorum amittant: Idque cautum fuit, ne Milites Christi deterioris fierent conditionis Militum sæcularium Principum, quibus

post emerita servitia requies concedebatur *Leg. 9. Cod. quand. Provinc.*, & *leg. 6. de vacat.*, & *excus. mun.*, atque Ecclesiastici in sacris muneribus obeundis alacriores, ac magis solertes redderentur *Fagnan. in Cap. Licet de Præbend. num.* 116.

Licet autem quadragenarium servitium cum qualitate continui probetur, & Jubilationis indulto remunerari consueverit, nihilominus hujusmodi Indulto nemo frui posse videtur, quoties Ecclesiæ decus, & Divinus cultus detrimentum patiatur. Nam Gregorius IX. in *Cap. cum ad hoc de Cleric. non resident.* Patriarchæ Antiocheno his verbis scripsit = *Sanè innotuit, quod Ecclesia Antiochena multis ex servitoribus ejus absentibus est ferè destituta Ministris: Undè mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis, & Prædecessorum tuorum licentia, absentes Canonicos, & Assistos revoces ad residendum in Ecclesia supradicta; Etsi non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint ipsi Ecclesiæ facias congruè deservire, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficiis super fuerit, convertendo*, Et Sac. Congregatio requisita super generalibus nonnullis dubiis jubilationem concernentibus, ad IV. dubium ita conceptum = *An non obstante jubilationis indulto, Jubilatus cogi possit ad inserviendum, si divinus cultus detrimentum patiatur* = die 17. Decembris 1718. respondit = *Affirmativè* =

Tota itaque inspectio pendet a qualitate Ecclesiæ, Locorum, aliarumque circumstantiarum, proindèque in præsenti casu habenda ratio est de statu Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri, quæ sex tantum constat Canonicis, & eorum alter ob corporis infirmitatem nequit inservire. Hinc videndum, an concessa jubilatione Canonico Lombardi, quatuor, qui supererunt Canonici, sufficiant ad Sacras functiones, debito cum decore, & absque Divini cultus detrimento peragendas,

Sacra Congregatio die 17. *Aprilis 1666.* Jubilationem denegavit cuidam Canonico Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Castelli, qui per annos quadraginta inservierat, eo quia a Capitulo opponebatur, tum quod vigore Capitularium Constitutionum nullus nisi infirmus, vel justa de causa absens a servitio Chori eximi poterat; tum etiam quod Divinus cultus imminuebatur, licet in præfata Ecclesia adessent Præpositus, nec non duodecim Canonici, & duo Beneficiati, qui Sacris peragendis functionibus pares non censebantur, ut ex *lib. 25. decret. pag.* 107.

Verum in *Ripana Jubilationis* 29. *Novembris* 1710. precibus annuit Canonici Cruciani Concetti, jubilationem petentis, quamvis Ecclesia novem Canonicos comprehenso Præposito numeraret, & opponeretur, quod demptis Ministris Altari inservientibus, atque altero Canonico Organ-

num

num pulsante, nec non Præposito, qui Confessiones excipere tenebatur, tres tantum Canonici Choro possent commodè interesse.

Hisce autem opportunè prænotatis EE. PP. decernent.

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta instructionem.

AUXIMANA TRANSLATIONIS MISSARUM. Ex reditibus Familiæ Campana erectum in Civitate Auximi fuit Collegium pro erudienda Juventute in bonis moribus, & liberalibus disciplinis, quod ab ipso Institutorum nomine appellatum fuit *Collegio Campana*. Assignatum hac de causa fuit ejusdem Familiæ Palatium, intra cujus septa aderat Oratorium, in quo Juvenes convenirent, ut Sacro quotidiè interessent, aliaque pietatis, ac Religionis Officia persolverent. Postquam huic Collegio Seminarium Episcopale unitum fuerat, cl. mem. Cardinalis Spada olim Episcopus Auximanus ad idem Oratorium transtulit nonnulla Missarum onera inhærentia beneficiis Seminario applicatis, quæque certis Ecclesiis addicta fuerant; atque idcircò spirituale solatium Missæ quotidianæ Alumnis non deerat. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Cum deinde tamen alterum in Civitate Cinguli erectum fuerit Episcopale Seminarium, ad quod cl. mem. Cardinalis Gallo quoddam transtulit beneficium a Seminario Auximano avulsum, cui onus inerat celebrationis centum quatuor Missarum, onusque hujusmodi ad Seminarium Cingulanum translatum fuerit, factum hinc est, ut Oratorio Seminarii Auximi defecerit celebratio Missæ quotidianæ. Id autem ægrè ferentes ipsius Deputati, supplices expostularunt facultatem celebrandi in eodem Oratorio Missas centum, quæ ex dispositione Friderici Campana annuatim offerri debent in Ecclesia Confraternitatis Mortis, quæ titulo B. M. Virginis de Platea nuncupatur. An autem hujusmodi facultas impertiri debeat, a sapienti EE. VV. judicio modò pendet.

Ut id assequantur, inquiunt Collegii Deputati, rem esse de translatione Missarum ab Ecclesia, conspicuo Sacrorum numero ditata. Nihil proindè de illius decore, ac cultu, Populique commodo detrahi: Rem insuper esse de Missis, quæ ex rescripto Sac. hujus Congregationis anni 1731. a Sacerdotibus Collegii privativè celebrari debent. Hinc annuendum censent petitioni, ex qua, & Collegii Alumni maximam perciperent utilitatem, nullumque jus amitteret Confraternitas, cujus idcirco dissensus in pretio non est habendus.

habendus ad *Text. in leg.* 2. *§. Item Varus de Aq. pluv. Arcen.*, *Rot. apud Pignattel. post consult.* 12. *tom.* 10. *n.* 17.

Accedere præterea præsumptam Testatoris voluntatem, qui si sciviſſet Palatium suæ Familiæ Collegio fore assignandum, procul dubio Juventutis commodo, atque utilitati eidem fuiſſe consulturum præsumi debet; Et hanc præsumptionem, faciliorem viam sternere ad translationem concedendam *Pignattel. consult.* 80. *num.* 5. *tom.* 9., *Ursaya discept. Eccles. tom.* 1. *part.* 1. *discept.* 5. *num.* 22.. Maximè quia Testator non Ecclesiam Sodalitatis respexit, ob peculiarem erga illam devotionem, sed Animæ suæ suffragium præ oculis habuit, quo quidem suffragio non destituitur, etiamsì in Oratorio Collegii Missæ celebrentur.

Demum addit, similia Apostolica Indulta in durioribus etiam circumstantiis eidem Collegio quandoque fuiſſe concessa. Anno nimirum 1719. onera Missarum inhærentia beneficiis Collegio applicatis, ad ipsum Oratorium fuiſſe translata, etiamsi in aliis Ecclesiis essent adimplenda. Anno verò 1748., rescripto sa. mem. Benedicti XIV. concessam fuiſſe facultatem pro tempore rusticationis iisdem oneribus satisfaciendi in rurali, & Parochiali Ecclesia S. Stephani. Advertunt itaque, Summos Pontifices in hujusmodi concedendis Indultis non alia motos fuiſſe ratione, quam Spirituali Juventutis commodo, ac solatio consulendi, proindeque eadem nunc concurrente causa, idem quoque in præsenti casu ferendum esse judicium.

A Sodalibus Confraternitatis Mortis nullus adhuc libellus datus est. Episcopus bis auditus in utraque sua relatione Oratorum votis censet annuendum. In prima siquidem ait = *Cum igitur eorum Ecclesia* (nempè Sodalium) *nihil ex hoc detrimenti capiat, nullaque difficultas ex ipsius Legati fundatione oriatur. . . id ego Oratorum precibus, nisi aliud EE. VV. videatur, indulgendum puto* = In secunda verò asserit, usque a mense Februarii Sodalibus præfixum fuiſſe terminum ad jura sua deducendum. Refert eorum Ecclesiam Missarum numero abundare, proindeque ex concessione petitæ translationis nullum eidem detrimentum fore obventurum. Deindè addit = *Huc accedit, Collegium ipsum, quod a Campana Familia nomen habet, utpotè ipsius facultatibus erectum, & in cujus Oratorio Missas hujusmodi celebrari petitum fuit, Sacra hujusmodi ex ejusdem Familiæ institutione in Ecclesia Societatis explere hactenus curaviſſe: Ut propterea de Fundatoris mente in Collegii favorem ex postea secutis propensa minimè dubitandum videatur.*

Quamvis Missarum translationem non ita facile Sacra Congregatio fuerit impertita, ne Defunctorum voluntates, & mandata subverterentur, nihilominus juxta rerum, Locorumque circumstantias illam quandoque non denegavit.

vit. In casu, de quo agitur, ponderandum occurrit, quod tradit *Ursaya discept. Eccles. tom. 3. part. 1. discept. 3. num. 53., & seq.* innixus doctrinæ sa. mem. Benedicti XIV. in discursu pro veritate jussu Sac. hujus Congregationis hac super re exarato. Ait enim = *Missas simpliciter relictas in una Ecclesia, præcisa particulari devotione erga aliquem Sanctum vel speciali inclinatione, ut illæ in determinata Cappella, vel Altari celebrentur . . . posse celebrari in alia, ea viva ratione, quia per celebrationem Missæ in quacumque Ecclesia sequutæ, pio Benefactori solvitur totum id, quod ei debetur* = Præterea in *decis. 1149. num. 11. coram Seraph.* hæc habentur = *In onere principaliter habitus fuit respectus ad remedium Animæ, quod remedium non magis ex una, quam ex alia Ecclesia provenit.*

Ponderandum idcircò, quæ fuerit Testatoris voluntas, & quibus verbis illam patefecerit: Insuperque observandum an in circumstantiis præsentis casus prona præsumi valeat erga Collegium Familiæ suæ facultatibus erectum: Ac denique habenda præ oculis est utilitas, quæ ex Juventutis institutione provenit. Hæc omnia sapienti EE. VV. judicio subiiciuntur, ut definiant.

An sit locus translationi Missarum in casu &c.

Affirmativè.

NARNIEN. JURIUM PAROCHIALIUM. In funere *Joannis Baptistæ Montini* Anno elapso defuncti in Parochia S. Mariæ Impensulis Civitatis Narniæ, & in Ecclesia Cathedrali cum interventu Capituli in sepulchro majorum tumulati, quæstio exorta est, an in associatione Cadaveris præcedentia competeret Parocho defuncti, vel potius Vice Parocho Cathedralis: Ac præterea an eidem Parocho defuncti tradenda esset medietas candelarum, quæ in Altaribus occasione funeris fuerunt accensæ. Ad utramque quæstionem citius tollendam dictus Parochus defuncti, aliique duo ejusdem Civitatis Parochi preces SSmo Domino Nostro obtulerunt, quæ cum ad Sacram Congregationem ablegatę fuerint, idcircò EE. VV. judicio modo subiiciuntur. *Sess. 25. cap. 13. de Reform.*

Ad I. Parochi allatis Testium depositionibus probant, immemorabilem semper viguisse consuetudinem, ut præcedentia, interveniente etiam Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, Parocho defuncti debeatur: hanc vero consuetudinem sive interpretativam, sive præscriptivam religiosè esse servandam; Hinc extraneum esse antiquissimum decretum Sac. Congr. Rituum Anni 1631., tum quia non derogat

gat immemorabili consuetudini, tum quia posteriori contraria consuetudine abrogatum, tum demum quia præsens controversia tantummodo nunc agitur cum Vice Parocho Cathedralis, non vero cum Parocho, de quo decretum loquitur.

Ad II. proferunt notissimam Constitutionem Benedicti XIII., in qua expresse sancitur, ut in Italia Parochis defunctorum tradatur portio Canonica omnium intorticiorum, & Candelarum, quæ in Ecclesia sepelliente circa cadaver, & etiam in Altaribus accenduntur. Id ipsum quoque expresse dispositum fuisse dicunt in Statuto Cleri Romani *cap.* 4. *§.* 2.. Nec obesse contrarium usum, qui solum ex tollerantia, & urbanitate præsumitur processisse, vel saltem penitus improbatus, & abrogatus remansit ex dicta Benedictina Constitutione, quæ clausula sublata, & decreto irritanti est munita.

A Capitulo nondum libellum habuimus.

Episcopus post relatum controversiarum statum sic concludit. *Quod enim pertinet ad præcedentiam in associatione funeris, mihi omnino servanda videntur decreta alias edita a Sac. Congregatione Rituum illam tribuentia Vice Parocho Cathedralis licet non Canonico, quoties tamen incedit cum Capitulo, cum quo unum corpus constituit. Idque eo magis in casu servandum tum quia Parochi Oratores nullatenus habent in propriis Ecclesiis jus tumulandi, tum quia liquido non constat de contraria immemorabili consuetudine, quæ a Capitulo impugnatur. Quoad vero quartam funeralem recedendum non esse arbitrarer ab immemorabili consuetudine, quæ revera adest tam in Ecclesia Cathedrali, quam in aliis quibuscumque Ecclesiis tumulantibus hujus Civitatis, tradendi, nempe pro funerali portione medietatem intorticiorum, & candelarum, quæ circa cadavera accenduntur, non autem de aliis, quæ acceduntur in altaribus pro Missarum celebratione.*

De Præcedentia in associatione Cadaverum inter Parochum defuncti, & Capitula, etiam Collegiata, Sacra Rituum Congregatio in una *Ostien. diei* 18. *April.* 1607. definivit *quando contingit associare Funus alicujus defuncti ad aliquam Parochialem Ecclesiam, in quam simul Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ cum Parochis aliarum Ecclesiarum d. Loci conveniunt, præcedentiam dandam esse Archipreshytero, & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ etiam supra proprium Parochum, cui tamen jus faciendi officium in propria Ecclesia reservetur.* In *Prænestina Cavarum* 18. *Aug.* 1618. pariter censuit *præcedentiam semper, & ubique competere Archipreshytero, & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ supra proprium Parochum, & in asportandis funeribus defunctorum propriæ Parochiæ, jus tamen faciendi officium in propria Ecclesia ipsi Parocho reservetur.* Atque id ipsum censuit eadem Sac. Congregatio *die* 34. *Maii* 1643. *in associatione Funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi præcedentiam Capitulo*

Col-

Collegiatæ supra Parochum etiam proprium defuncti, sine tamen præjudicio in reliquis jurium, & præeminentiarum eidem Parocho de jure, vel consuetudine competentium.

Itaque portiori jure procedit, dum intervenit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, cujus Beneficiatis, ac Parochis præcedentiam supra alios Parochos competere declaravit Sac. Congr. Rituum in *Taurinen.* 2. *Octobris* 1683., imo etiam Curatis amovibilibus ad nutum ejusdem Cathedralis juxta decretum *Sac. Congr. Concilii in Comen.* 27. *Martii* 1706., atque eorum substitutis, & Vicariis *Sac. Congr. Rit.* 20. *Jan.* 1691., *Monacell. Tom.* 4. *Suppl. ad III. num.* 106.

Secus tamen si agatur vel de aspergendo cadavere, antequam e domo elevetur, vel de inchoanda Antiphona *si iniquitates*, ut declaravit Sac. Congr. Rit. in *Eugubina* 5. *Julii* 1614., *in Aversana* 15. *Sept.* 1640., & Sac. Congr. Concil. *in Faventina Præeminentiarum* 7. *Junii* 1760., *& in Avenionen. jurium Parochialium* 22. *Martii* 1766.

Cum autem Decreta Sac. Congregationis Rituum præservent immemorabilem, vel legitimam contrariam consuetudinem, *Barbos. de Offic.*, *& potest. Paroch. cap.* 3. *de Præced. num.* 7., *& Rot. cor. Lancett. dec.* 549. *num.* 8. Id inquirendum est in præsenti casu, an ex adductis testibus satis evincatur legitima, & immemorabilis consuetudo favore Parochi defuncti præcedendi Vice-Parochis Ecclesiæ Cathedralis.

De emolumento Quartæ funeralis Parocho defuncti tradendo ab Ecclesiis tumulantibus, statuit Benedictus XIII. in *Constitutione* 57. incip. *Romanus Pontifex*, ut illi *persolvatur*, *& cum effecta tradatur quarta pars omnium intorticiorum*, *& Candelarum*, *quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver*, *vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur*. *Hæcque omnia locum habeant*, *& exacte in posterum observentur*, *quotiescumque Defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur*, *vel exponatur*, *sive quia in Ecclesia tumulante*, *vel exponente beneficium obtinuerit*, *sive quia ibidem sepulchrum habuerit gentilitium*, *sive tandem quia in ea sepulchrum elegerit*.

Illud tamen addidit, *ubi vero consuetudines legitimè probatæ*, *conventiones*, *concordiæ*, *vel statuta vigerent*, *quæ præfatis Parochis magis faverent*, *illisque pinguiorem prædicta Quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent*, *ea in iis*, *in quibus vigent*, *locis inconcusse ab omnibus servari motu*, *scientia*, *& potestatis plenitudine paribus sancimus*, *præcipimus*, *& jubemus*.

Juxta antiquissimam consuetudinem in Urbe vigentem canonica portio consistit in medietate totius ceræ, ut ex Statuto *Cler. Rom. cap.* 4. *§.* 2., & etiam illius ceræ, quæ in Altaribus accenditur, ut ex addition. ad d. Statut. ibi = *Medietas totius ceræ*, *quæ in ipso funere accenditur sive circa feretrum sive ante*, *sive retro deferatur*, *sive intra Ecclesiam*

etiam in Altaribus in honorem alicujus Sancti, sive extra eam in honorem defuncti, sive accendatur adhoc, ut Regulares, & Confratres, aliique Processionem funebrem associantes tempore nocturno viam videre possint, sive alio quocumque prætextu, Ecclesiæ Parochiali debeatur, quoties defunctus extra illam tumulatur in Sepulchro majorum, vel Beneficii, vel ex propria electione ex vetustissima Urbis consuetudine.

Porro in Civitate Narnien. consuetudo viget, ut canonica portio sit medietas totius cereæ, secluſa tamen cera, quæ in Altaribus accenditur. Ponderandum hinc an Parochi eamdem consuetudinem in favorabilibus acceptare, & in odiosis reijcere valeant. EE. Patres, qua ornantur juris sacri peritia, dignentur deffinire.

I. *An in associatione Cadaverum, quæ in Civitate Narniæ deferuntur ad propriam Parochialem Ecclesiam, sive ad aliam vocato Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, semper, & quandocumque competat præcedentia Parocho defuncti.*

II. *An medietas totius cereæ etiam illius, quæ in Altaribus accenditur, debeatur propriæ Ecclesiæ Parochiali, licet sepulturam non habenti, quoties defunctus extra illam tumulatur ex propria electione, vel alibi in sepulchro majorum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 13. Julii 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX omnibus, quæ propoſitæ fuerunt, Cauſis in poſtrema Congregatione habita die 8. præteriti menſis Junii, una tantùm indeciſa remanſit. Ea igitur nunc EE. PP. oculis ſubjicitur, aliæque octo in hodierna Congregatione reſolvendæ adjiciuntur.

NARNIEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

I. *An in aſſociatione Cadaverum, qui in Civitate Narniæ deferuntur ad propriam Parochialem Eccleſiam, ſive ad aliam vocato Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ſemper, & quandocumque competat præcedentia Parocho defuncti.* *Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.*

II. *An medietas totius Ceræ etiam illius, quæ in Altaribus accenditur, debeatur propriæ Eccleſiæ Parochiali, licet ſepulturam non habenti, quoties defunctus extra illum tumulatur ex propria electione, vel alibi in ſepulchro Majorum, in caſu &c.*

Ad I. Dilata, & coadjuventur probationes ſuper conſuetudine. Ad II. Deberi medietatem Cæræ, exceptis Cæreis Altaris.

SABINEN. PARTICIPATIONIS. Collegiatæ Eccleſiæ Collis Veteris Canonicatum addidit Magdalena Aſpaſia Philippi jubens, ut novus Canonicus præter celebrationem trium Miſſarum qualibet hebdomada, eadem teneretur obligatione, qua cæteri gravantur Canonici in iis, quæ ad reſidentiam pertineant, & Chori ſervitium. Pro dote novi Canonicatus ſcuta 500. legavit, in reliquis autem bonis hæredem ex aſſe eamdem inſtituit Collegiatam, videlicet, *il Rev. Signor Arciprete, e li RR. Signori Canonici,* *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

compresovi anche il nuovo Canonico da erigersi, come sopra, quali tutti, tanto il Signor Arciprete, quanto li Signori Canonici debbano avere la loro parte egualmente, & pro æquali portione delli frutti da cavarsi da detta sua eredità.

Quamvis de hujusce Canonicatus erectione nullum extet monumentum, de ea tamen non dubitatur; Nam ex actis Sacræ Visitationis anni 1634. habetur, Soterum Tardetti *fuisse receptum a dictis Canonicis inter alios Canonicos, potirique, & frui distributionibus, aliisque emolumentis;* ac præterea anno 1639. orta controversia inter Archipresbyterum, & Canonicos super proventibus eidem Tardetto tribuendis, Episcopus Suffraganeus Visitator *auditis Partibus in contradictorio judicio, declaravit, d. D. Soterum potiri, frui, & gaudere dictis emolumentis, & distributionibus ad instar aliorum Canonicorum.*

Posteriori autem tempore id innotescit, Sacerdotem Protasium Constantini de eodem Canonicatu provisum, supplicem Sacræ Congregationi porrexisse libellum, quo ob redituum decrementum, non solum reductionem onerum Missarum, sed omnimodam quoque a servitio Chori exemptionem ex eo præcipuè postulavit, quod nec de communi Capituli Massa, nec de aliis manualibus, seu perpetuis emolumentis participaret, quia de gremio Capituli non erat. Sacra autem Congregatio die 6. Augusti 1695. Cardinali Episcopo commisit, ut *veris existentibus narratis, & vocatis si qui fuerint vocandi, deleto servitio Chori, præfatum onus Missarum moderetur, atque reducat.* Ignoratur tamen, an ullum pro executione latum fuerit decretum, de quo monumentum non reperitur.

Defuncto eodem Canonico Protasio anno 1731., vacavit Canonicatus ad annum usque 1765., mense verò Junii anni 1768. Eminentissimus Episcopus illum contulit Clerico Antonio Clavelli, qui in possessionem immissus, singula obire cæpit canonicalia officia: At renuentibus postea Canonicis illum ad participationem distributionum, & emolumentorum Capitularium admittere, querelas hac de re ipse detulit Sacræ huic Congregationi, propositoque dubio = *An Possessor Canonicatus nuncupat. Philippi participare valeat de legatis, distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis, de quibus participant alii Canonici, in casu &c.* = die 2. Maji an. ni præteriti rescriptum fuit = *Affirmativè, dummodo resideat, & inserviat in omnibus ad formam aliorum Canonicorum, & conferat tertiam partem pro distributionibus* = Ope autem Litterarum Compulsorialium depromptis a Clavellio ex libris Capitularibus, novis nonnullis juribus, quibus ab onere conferendi tertiam partem pro distributionibus eximendum se esse confidit, novam audientiam impetravit, cujus beneficio nunc iterum Causa reproponitur.

Pri-

Primò itaque ipſe contendit, ſibi utpotè veri nominis Canonico, & de gremio Capituli, jus competere percipiendi omnia emolumenta, quæ aliis Canonicis obveniunt, idque tum ex Fundatricis voluntate, tum ex ſubſequuta Capituli acceptatione, & conſenſu, tum etiam ex obſervantia deprehendi. Ad voluntatem Teſtatricis quod attinet, conſtare dicit, ipſam Canonicatus erectionem demandaſſe cum onere reſidendi ad inſtar aliorum Canonicorum, perficiendique cætera omnia, quæ a reliquis Canonicis expleri ſolent, ſimulque juſſiſſe, ut ad perceptionem fructuum ſuæ hæreditatis novus etiam Canonicus admitteretur, ibi= *compreſo anche il nuovo Canonico da erigerſi come ſopra* = Hinc infert, Fundatricem inducere voluiſſe antiquos inter, & novum Canonicum *jus conſortiale* quoad omnia. Maximè quia ſola aſſignatio Præbendæ, quæ vix ſcuta 25. reddere poterat, ſatis non fuiſſet tot ſubeundis oneribus novo Canonico impoſitis; nec præſumi poteſt, meliorem efficere voluiſſe aliorum Canonicorum conditionem *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 1. tit. 14. num. 35.*, *Pignatell. conſult. 38. num. 6. tom. 6.*, *Piton. diſcet. 99. num. 91.*

Quod verò ſpectat Capituli conſenſum, & ſubſequutam acceptationem, advertit, non aliter novum Canonicum admiſſum præſumi, quam juxta Fundatricis voluntatem, niſi contrarium demonſtretur *Ceccoper. lucubr. canon. lib. 1. num. 180.*, *Pignattell. conſultat. Canon. 91. num. 4. tom. 6.*, *Panimoll. deciſ. 198. num. 7.* Præcipuè quia repugnaret, Capitulum in favorabilibus tantum Teſtatricis diſpoſitionem acceptaſſe, eamque quoad onera reſpuiſſe *Leg. 2. Cod. commun. de Legat.*, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 8. tit. 1. num. 1.*, *Peregrin. de Fideicomm. artic. 1. num. 46.* . Nec ullo modo obſtare Præbendæ diverſitatem novo Canonico aſſignatæ, cum ea non circa univerſalitatem, & genus jurium Canonicalium, ſed ſolum quoad particularia, & ſpeciem Proventuum verſetur *Rot. deciſ. 154. num. 7. & ſeq. coram Merlin.*, *deciſ. 1609. num. 5. & ſeq. coram Coccin.*, *& in Firmana Præcedentiæ* 20. *Junii* 1732. §. *Quantum verò coram Aldrovando*. Multoque minus obeſſe, quod Canonicorum numerus taxativè fuerit deſignatus, cum hic augeri pro libito poſſit *Fagnan. in cap. Dilecto num. 25. de Præben.*, *Rot. in citat. Firmana* §. *Potiſſimum*.

Addit, liberam novi Canonici acceptationem a Capitulo factam comprobari ex Paſtoralibus Viſitationibus annorum 1634., & 1639., in quarum poſtrema Epiſcopus Viſitator auditis Partibus declaravit, Canonicum Tardetti admiſſum fuiſſe cum conceſſione vocis activæ, & paſſivæ, ad omnium emolumentorum, & diſtributionum participationem. Nec dubitari poſſe, ait, de iſtorum decretorum veritate, cum ea per Notarium Cancellariæ Epiſcopalis

eruta

eruta fuerint è Protocollo pergamena collegato, in quo alia quoque Visitationum decreta recensentur, quamvis pleraque subscriptione careant; Idque satis esse ad rem antiquissimam probandam, donec oppositum demonstretur *Rot. decis.* 287. *num.* 5. *part.* 3. *Recent.*

Pergit deindè ad observantiam, quam desumit tum ex memoratis Episcopi decretis, tum etiam ex admissione ad Stallum in Choro, & ad vocem in Capitulo, tum quoque ab exercitio munerum Decani, Camerarii, & Exactoris, quæ aliis Canonicis communia sunt, tum etiam ex interventu ad Capitularia Comitia, & admissione ad jus suffragii, licet ageretur de mercede, & electione Sacristæ, Camerarii, Punctatoris, & Secretarii,

Perperamque obici rescriptum S. Congregationis anni 1696., quo Canonicus Constantini fuit a servitio Chori exemptus Advertit enim, rescriptum subreptionis vitio laborasse, illudque Capitulum statim oppugnasse. Observat præterea, conditionalibus verbis fuisse conceptum, scilicet, *veris existentibus narratis*, nec ob probationum defectum Exequutoris decretum prodiisse, quod in actis Curiæ Episcopalis non reperitur, prout reperiri debuisset, *Rot. decis.* 81. *num.* 1. *coram Duran.*, *& decis.* 584. *num.* 6. *coram Buratt.* Hujusmodi verò decretum, deficiente præsertim Patronorum citatione, argui non posse censet, ex quo Canonicus Constantini non resederit, nec particeps fuerit distributionum, cum absentia referenda sit ad arbitrium, & liberam ejusdem Constantini voluntatem, qui in Urbe apud Fratrem permanebat.

Concludit itaque, Possessori Canonicatus *Filippi* omnia tribuenda esse emolumenta, & distributiones, de quibus alii Canonici participant, cum hæc sint stipendia personalia, quæ Canonici Divinis Officiis interessentes lucrari debent *Barbos. de Canon. cap.* 21. *num.* 4.. Nec locum in præsenti casu habere posse discrimen inter legata, & emolumenta Capitularia relicta vel ante, vel post novi Canonici aggregationem, quoties hic libère, & absque ulla jurium reservatione fuit admissus.

Post hæc sermonem aggrediens de onere a Sacra Congregatione injuncto conferendi *tertiam partem pro distribut onibus*, hoc sustinet adimpleri non posse, tum quia dilapsa penitus sunt, ac distracta suæ Præbendæ bona, tum quia adimpleri tantummodò posset, quatenus distributiones deficerent, quæ tamen in præsenti casu non deficiunt, cum eæ a Canonicatus Fundatrice relictæ fuerint, dum fundum Capitulo legavit pro rata distributionum, quarum participem esse voluit novum Canonicum *æqualmente*, *& pro æquali parte*.

Nondum a Capitulo nova adducta sunt jura. Hinc Emi PP. re-

rogantur folium resumere in præterita Causæ propositione distributum *die* 28. *Aprilis* 1770., in quo nonnulla adnotata invenient, quæ ad dubii resolutionem conferre poterunt. Cum tamen agendum præcipuè sit de clausula rescripto adjecta = *dummodo conferat tertiam partem pro distributionibus* =; ideo opportunum erit referre Concilii Tridentini decretum *sess.* 21. *cap.* 3. *de Reform.*, ubi legitur = *Statuit Sancta Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum quorumcumque proventuum . . . . separari debere, & in distributiones quotidianas converti* = Et sicuti sermo est de iis Ecclesiis, in quibus vel nullæ, vel adeo tenues sunt distributiones, ut verosimiliter negligantur, ita ubi sufficientes constitutæ sint distributiones, tertiam hanc fructuum partem in eam causam erogandam detrahi non posse, monet *Piasec. in prax. Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 7., *Zerol. in prax. Episcop part.* 2. *verb. Distributiones quotidian.*, *Aloys. Ricci in prax. rer for. Eccles. resol. par.* 1. *num.* 2., & alii.

Idque etiam eruitur ex declaratione Sacræ hujus Congregationis apud *Garz. de benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 465., ubi discrimen inferens inter *relat. cap.* 3. *sess.* 21., & *cap.* 3. *sess.* 22. Concilii Tridentini, in quo similiter de tertia fructuum parte assignanda sic ait = *Hoc decreto sess.* 21. *cap.* 3 *agitur de Canonicis tibus, & portionibus, & fit de necessitate hæc detractio, quando sunt nullæ distributiones, vel ita tenues, quæ distribuuntur interessentibus tantum. Sed in sess.* 22. *cap.* 3. *deducitur hæc tertia pars ex Dignitatibus etiam non ex necessitate, sed in odium non residentium, & pars absentium non præsentibus, sed alicui pio loco est applicanda*.

His itaque præmissis inquirendum est, an in præsenti casu adsit necessitas, quæ collationi tertiæ partis pro distributionibus locum esse suadeat. Habenda præ oculis est dispositio Aspasiæ Philippi, quæ hæredem ex asse instituit Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Collis Veteris, ut suæ hæreditatis reditus distribuerentur in singulos Canonicos, *compresoci anche il nuovo Canonico da erigersi egualmente, & pro æquali portione*. Ponderandum ulterius, an præter distributiones ex fructibus hujusce hæreditatis provenientes, aliæ etiam Canonicis obveniant quotidianæ distributiones ex tertia parte Præbendarum reliquorum Canonicorum, quæ interessentibus accrescant, prout a Concilio Tridentino *citat. sess.* 21. *cap.* 3. *de Reform.* præscribitur. Quatenus enim hujusmodi distributiones adessent, inquirere oporteret, an æquum sit, ut de his quoque particeps fiat possessor Canonicatus *Filippi*, etiamsi suam tertiam partem pro iisdem distributionibus minimè contulerit.

Post

Post hæc, quæ Emi PP. pro sua doctrina perpendent, definire dignabuntur

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Quoad emolumenta superventa post aggregationem novi Canonici in decisis. Quoad collationem tertiæ partis pro distributionibus recedendum a decisis. Quoad emolumenta existentia ante aggregationem iterum proponatur.

vid. tit. cap. 6. de Reform.

CASALEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. Medietatem Latifundii nuncupat. *Camporelli* speciali hypothecæ pro aliquorum piorum Legatorum satisfactione subjecit Antonius Valletta, qui inter cætera Legata relicta in Testamento anni 1630., onus injunxit Missæ quotidianæ in rurali ejusdem Latifundii Ecclesia adimplendum, ita tamen, ut quatuor tantum in hebdomada Missæ in sui, suorumque Animæ expiationem essent applicandæ, aliis verò diebus libera Sacrificii applicatio Capellano celebraturo relinqueretur. Huic autem Capellano annua scuta 30. persolvi mandavit, eique commodum habitationis eodem in loco præstari voluit. Previdit verò Testator casum, quo nulli ex memorata Latifundii medietate retraherentur fructus, eoque eveniente ab omni Legatorum onere possessorem absolvit; quod si aliqui tantum fructus perciperentur, tunc pro rata dumtaxat Legata adimpleri præcepit.

Latifundium Camporelli cum onere satisfaciendi Legata eidem inhærentia, per contractum emptionis translatum deinde fuit in Marchionem Franciscum Mossium, qui *per se, & suos hæredes, ac Successores assumpsit, & assumit in se onus, & obligationem celebrari faciendi dictam Missam quotidianam perpetuam ejus expensis, cum manutentione dictæ Ecclesiæ*, & ex causa hujusce oneris Latifundii æstimatio imminuta fuit in scutis 900., quæ minus justo pretio Mossius persolvit. Constat autem, Legatum celebrationis Missæ quotidianæ fuisse adamussim ad hæc usque tempora satisfactum, aucto etiam Capellani stipendio ferè ad duplum summæ a Testatore præfinitæ; Sed prævidens Marchio Octavius Mossius, impossibile in posterum fore, ut illud in deugnata rurali Ecclesia adimpleatur, humiliter supplicat, ut celebratio Missarum ad aliam Ecclesiam transferatur, qua de re dubium in calce transcriptum EE. VV. resolvendum proponit.

In-

Inquit enim, Teſtatorem haud habuiſſe reſpectum ad Populi commodum, & utilitatem, neque in rurali Eccleſia *Camporelli* illius cadaver fuiſſe tumulatum; hinc infert, cum Miſſæ non reducantur, nil prorſus deperire, ſi in una potius, vel in altera Eccleſia celebrentur, cum id neque teſtamentariæ diſpoſitioni repugnet, neque in ullius vergat præjudicium; atque idcircò facile concedi poſſe exiſtimat, ut in Eccleſia ſibi benevisa Miſſas celebrari curet, *Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 1. tit. 14. num. 32.*, & Sacra Congregatio in *Vicen. Translationis Oneris Miſſarum prima Martii 1766.*

Nec obeſſe, quod Teſtator locum celebrationis, nempe ruralem Eccleſiam *Camporelli* deſignaverit, cum id non præſtiterit verbis adeo abſolutis, & taxativis, ut translationem prohibere intellexerit, etiamſi gravis aliqua cauſa, aut ratio ſuaderet, ut Miſſarum celebratio alio ſit transferenda. In præſenti verò caſu gravem cauſam non deeſſe, cum aeris inſalubritas ex magna Oryzarum copia proveniens, adeo difficilem celebrationem reddiderit, ut Sacerdotes, neque aucta ad duplum ſtipendii ſumma, ad eam Eccleſiam Miſſam quotidiè celebraturi accedere, multòque minus in domo pro habitatione deſtinata permanere velint. Deterriti quippè ſunt morborum frequentia, quibus Capellani ibidem commorantes afficiebantur, de qua Medicus Regionis, & quamplurimi Teſtes deponunt. Hinc periculum adeſſe, ne quotidianum Sacrum deficiat, ac proinde permittendam eſſe translationem, ut ejus voluntas exactius impleatur, *Card. de Luc. de Legat. diſcur. 22 n. 11.*, *Rot. coram Coccin. deciſ. 1522. num. 5.*, *& cor. Molin. deciſ. 419. num. 14. tom. 2.*

Epiſcopus de more requiſitus, precibus veritatem præſeferentibus non diſſentit; nonnullas tamen exponit difficultates, quas ſapientiſſimo EE. VV. judicio ſubjicit. Dubitat enim, an obligatio inveniendi Sacerdotem, qui pro quotidiana Miſſæ celebratione in prædio Camporelli reſideat, tanta ſit, ut Orator teneatur augere ſtipendium ad ſummam quantumvis magnam, donec inveniatur Sacerdos, qui ea contentus ſit. Rationem dubitandi deſumit ab hypotheca, qua Teſtator pro adimplemento piorum Legatorum medietatem Latifundii Camporelli ſubjecit, cujus cauſa hæredes, eodemque loco Latifundii poſſeſſorem, teneri poſſe putat ad augendum Sacerdotis ſtipendium, quouſque conſtiterit, fructus dictæ medietatis ſubeundis oneribus non ſufficere. Advertit, onus ab Emptore aſſumptum, fuiſſe æſtimatum in ſcut. 900, quæ ipſe minus juſto pretio perſolvit, & ex hoc capitali retrahi vix fructus in ſumma ſcutorum 48., ſtipendii verò augumentum, quod ab Oratore perſolvitur, notabiliter excedere fructus ex eo capitali profecturos.

Addit, locum celebrationis non ita fuisse a Testatore designatum, ut vetita omnino translatio videatur, ex qua nulli inferretur præjudicium, cum diebus præsertim ferialibus nonnisi per accidens quis ad Ecclesiam accedat, & aeris insalubritas, nec non Sacerdotum, & Inservientium defectus oneris implementum ferè impossibile reddiderit. His igitur perpensis, ita concludit = *Ad summum retineri posset obligatio Missæ festivæ in Loco per Testatorem designato, iis tamen diebus, quibus juxta Synodales Constitutiones non est prohibitum celebrare in Locis Campestribus.*

Duo hac in re animadversione digna occurrunt: Ac primum quidem, Testatorem pro implemento Legatorum hypothecæ vinculo subjecisse Latifundii medietatem, contra a Missarum celebratione vel in totum, vel in parte hæredes liberasse, si illud vel nullos, vel oneri non pares redderet fructus; hinc enim dubitandi occasio consurgit, an dictæ medietatis reditus omnes in satisfactionem unius tantùm Legati celebrationis Missarum erogari debeant, ut, si fieri posset, Sacerdotes inveniantur, qui in rurali Ecclesia celebrent. Alterum verò est, quod Orator ex contractu prædium acquisivit, onus celebrationis Missæ in Loco assumpsit, & causa hujusce oneris, prædii æstimationem persolvit immiuutam scutis 900.. Quare tantum oneris in se assumpsisse videtur Orator, quantum fructibus dictæ summæ responderet, qui quidem fructus in ratione 4. pro centenario, annua scuta 36. non excedunt. Quoniam verò non solum summam scutorum 30. a Testatore præfinitam, sed in duplum Orator auxit Capellano stipendium, eique ligna etiam submini strare solet, hinc certum est, majus etiam ferre onus, quam in emptione fuerit æstimatum.

Sacra Congregatio licet cautè admodum in hisce translationibus concedendis processerit, easque multoties rejecerit, ut in *Æsina Legatorum* 21. *Augusti* 1700., *Ariminen. Commutationis Missæ* 14. *Martii* 1711., *Mediolanen., seù Ferentina Cappellaniæ* 23. *Februarii* 1715., *Panormitana translationis oneris Missarum* 26. *Septembris* 1739., *Taurinen. celebrationis Missæ quotidianæ* 20. *Maii* 1752., & alibi, nihilominus temporaneam, vel etiam perpetuam translationem justis de causis concessit, quando tamen Testatorum Cadavera tumulata non fuissent in Ecclesia, ubi Missæ celebrari debuissent, ut patet ab exemplis relatis in Folio Causæ, cui titulus *Comen. Translationis Missarum* 15. *Septembris*, & 14. *Novembris* 1764.. Ecclesiam, in qua Missæ celebrari debuissent, his verbis Testator designavit = *Gravavit, & gravat dictum Franciscum Bernardinum, & Successores &c. ad celebrari faciendum Missam unam singulo die, singulis annis per totum anni cursum in perpetuum in Ecclesia propria*

pria ipsius Testatoris sub titulo S. Caroli erecta ad Capsinam, & Missaritium dicti Camporelli &c.

Viderint igitur Eminentissimi PP., an difficultas inveniendi Capellanum, & periculum, ne Testatoris mens in totum, vel in parte fraudetur, Missarum translationem suadeant ab Ecclesia, in qua ejusdem Testatoris cadaver non est tumulatum. Quæritur enim

An, & quibus diebus sit locus translationi oneris Missarum, in casu &c.

Dilata, & exhibeatur integrum Testamentum.

COMEN. BENEFICII. Facta anno 1769. nominatione Clerici Defendentis Molo ad Beneficium Communitatis Bellinzonæ, cum clausula tamen = *purchè sia in tenore della fondazione, e Breve Pontificio* = orta disceptatio est de istius nominationis viribus. Inquirere proinde oportuit de Beneficii origine, qualitate, & natura. Semel, atque iterum ea de re actum est in Sac. Congregatione. Die namque 11. *Martii* 1770. duo proposita sunt Dubia: I. *An ad Beneficium Communitatis Bellinzonæ, de quo agitur, sit præsentandus Sacerdos actu, seu potius conferri possit simplici Clerico, in casu &c.* II. *An sustineatur electio facta in personam Clerici Defendentis Molo, itaut danda sit eidem institutio, in casu &c.* Et responsum fuit ad I. *Præsentandum esse Sacerdotem actu idoneum, & in ejus defectum eum, qui intra annum promoveri possit ad Sacerdotium, & iis omnibus deficientibus etiam simplicem Clericum.* Ad II. *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.* Atque hæc resolutio in nova dubiorum discussione confirmata in omnibus fuit *die* 18. *Augusti ejusdem anni;* Edito responso *In decisis, & amplius;* Resumere præstat folia distributa *diebus* 10. *Martii, & 28. Julii*, in quibus Causæ status fusius exponitur. Novis tamen ex parte Defendentis Molo adductis juribus, novæ audientiæ beneficium fuit illi concessum, quare novum modo repetitur examen, duobus auctis dubiis in calce transcriptis. *Sess. 23. cap. 14. de Reformat.*

Ante omnia tamen in facto prænotare præstat, nondum adhuc editam fuisse Instructionem a Sac. Congregatione demandatam super dubio respiciente electionem Clerici Molo, cum Procurator Communitatis die 19. Septembris superioris anni, convocato quindecim Consiliariorum consilio, exposuit vigore rescripti Sacræ hujus Congregationis, deveniendum esse ad præsentationem Sacerdotis actu idonei; Itemque perlegit protestationem ab eodem Molo

emissam hisce verbis = *Che non si passi ad altra elezzione, finche la Sagra Congregazione non abbia dato il suo finale decreto, e massime sul secondo dubbio proposto, se debba sussistere l'elezzione in me fatta, non essendo stato sù tal dubbio fin' ora deciso.* Hinc scissis in diversa suffragiis, unus ex Consiliariis Antonius Chicherius declaravit = *Che si riporta sempre alla mente dell'Illustrissima, e potentissima Superiorità, utrum sta seguita la decisione, o nò, e quando questa venghi riconosciuta dall'Illustrissima Superiorità, e potentissima, nomina in nuovo Scolastico il M. Rev. Signor Dottor utriusque Juris Sacerdote Antonio Borgo Caratti.* Huic autem sex alii adhæserunt; Ex reliquis verò octo Consiliariis, nonnulli consulendos prius censuerunt Supremos Principes, seu Superioritatem, alii expectandum authenticum Sac. Congregationis rescriptum, præsertim quoad secundum dubium.

Ab his itaque Consiliariis, qui electionem non reprobabant Sacerdotis Antonii Borgo Caratti, putavit ipse se fuisse ad Beneficium legitimè præsentatum: qua de re institutionem ab Ordinario expostulavit, eamque obtinuit cum clausula *si, & in quantum*. Post impetratam vero a Defendente Molo novam audientiam, mense Decembris anni elapsi Sacro Presbyteratus Ordine fuit insignitus, convocatoque iterum die 28. Februarii currentis anni Communitatis Consilio, perlectus fuit illius supplex Libellus, quo apud Consiliarios querebatur, fuisse Communitatis nomine suam electionem impugnatam, eosque precabatur, ut ab ea impugnanda recederent, addens, se confidere, ipsos eam ratam esse habituros. Ex undecim autem Consiliariis, qui Comitiis intererant, sex electionem ejusdem Molo confirmarunt, quidam verò electionem Sacerdotis Borgo Caratti ratam habuerunt, alii tandem a suffragio ferendo abstinuerunt.

Hæc in facto prænotanda erant pro necessaria dubiorum, quæ postremo loco addita sunt, resolutione. Nunc itaque ad Collitigantium jura accedendo; Animadvertit in primis Sacerdos Molo, Partem adversam abuti non solum nomine, sed mandato etiam Procuræ Communitatis Bellinzonæ, cum ex judiciali decem Consiliariorum depositione juramento firmata constet, illorum mentem nunquam fuisse, ut electio ipsius Molo impugnaretur, nec mandatum Procuræ dedisse, ut contra ipsum Causa ageretur, multoque minus, ut lis fieret sumptibus Communitatis. Hinc infert, Adversarios mala fide procedere, nec eorum gestis consentaneum esse Communitatis Consilium.

Post hanc animadversionem ait ad I. dubium Sacerdos Molo, ex littera fundationis Beneficii, de quo agitur, idoneum æque censeri ad illud assequendum tam Sacerdotem actu, quam eum, qui intra annum potest promove-

ri si

ri; Ea enim inquit = *Coadiutor quoque sit Sacerdos, vel intra anni curriculum ad illam Dignitatem promovendus = utramque* igitur Sacerdotum speciem esse æqualem; idque patere ex dictione alternativa *vel*, quæ æqualitatem denotat in alternatis. *Rot. in Recent. decis. 135. num. 20. part. 9., decis. 153. num. 25. part. 11., & decis. 180. num. 2. part. 15.*, efficitque, ut electione cujuslibet ex alternatis, impleta dicatur Fundatoris dispositio. *Cap. In alternativis de reg. jur. in 6., Piton. de controv. Patron. alleg. 75. num. 25., Rot. in Romana Beneficii S. Catharinæ 12. Martii 1759. § final. coram Reverendissimo Olivatio.* Eamque dictionem tunc solum prælationem imponere posse, quando agitur de personis, inter quas militat ratio ordinatæ charitatis, *Bartol. in Leg. Cum Pater §. Ante peto ff. de Legat., Peregrin. de fideicom. artic. 18. num. 42., Rot. coram Molines decis. 56. num. 25.*, atque in hunc sensum intelligendas esse contendit auctoritates in oppositum allegatas.

Eamdem qualitatem juxta litteram fundationis admittendam quoque putat favore illius, qui aliquo Ecclesiastico Ordine sit decoratus, quia aliquin non dixisset Fundator: *Si verò non erit Sacerdos, sit saltem in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutus*, sed potius: *Si verò non sit promovendus intra annum, sit saltem in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutus.* Infert proinde, nullum prælationis jus fuisse a Fundatore tributum vel Sacerdoti, vel promovendo intra annum, vel Clerico, sed omnes pares effecisse. Nec refragari dictionem *saltem*, adjecta in nominatione illius, qui in aliquo Ecclesiastico Ordine esset constitutus, cum hæc particula non indigitet notam Ordinis, aut casum subsidiarium: Præsertim quia apposita videtur in correspectivitatem solius Sacerdotis; non verò promovendi intra annum, & idcircò ad exclusionem Laici esse tantùm referendam.

Idemque deprehendi asserit ex causa finali erectionis Præbendæ, quæ non alia fuit, quam ut rectæ Puerorum educationi consultum foret. Ad eam verò nihil conferre Presbyteratum, aut proximitatem ad illum, sed etiam Clericum sufficere, si cæteris dotibus prælitus sit ad id requisitis; & ideo nec hujusmodi qualitates in instituendis Magistris Grammaticæ, vel Seminariorum requisiviisse Concilium Tridentinum, *sess. 23. cap. 18. de Reformat.* Neque obstare actualem Sacerdotis qualitatem Præbendæ magistrali adnexam, cum id factum fuisse asserat tum ad preces Communitatis, tum ad satisfacienda onera Missarum inhærentia Beneficiis, quibus Præbenda Magistralis constituta fuerat, quæ de Præbenda Coadjutorali non verificantur.

Observat præterea, simplicem Clericum anno 1738. in Scholasticum electum fuisse, etsi plures Sacerdotes huic muneri exercendo idonei non deessent. Hunc autem statum, etsi uni-

unicum, Clerico faventem, ad excludendam qualitatem Sacerdotalem sufficere *Rot. cor. Lancett. decis.* 829. *num.* 12., *& coram Crescentio decis.* 76. *num.* 32.. Ac demum advertit, Præbendam hanc Coadjutorialem habitam fuisse tanquam nudum stipendium Coadjutoris, sed a Consilio Communitatis Bellinzonæ bona Præbendæ fuisse administrata.

Ad II. verò ait, quod dum agitur de explicanda dispositione Fundatoris, quæ dubia sit, ea semper sumenda interpretatio est, quæ Patronorum præsentationi faveat *Piton. disceptat. Eccles.* 14., *& de controv. Patron. alleg.* 30. *num.* 19., *Rot. coram Molines decis.* 600. *num.* 10.. Hac itaque ratione suam nominationem tuetur Molus, præsertim quia sequuta fuit prius quam prælatio inter qualificatos a fundatione requisita declararetur. Nec obesse, quod electionis tempore Sacerdotali qualitate careret, cum in fundatione nulla præsentationis mentio habeatur, ideoque sufficiat, si ea qualitas superveniat re integra, hoc est ante institutionem *Rot. coram Molin. decis.* 1124. *num.* 14., *Rot. in Tusculana Canonicatus* 29. *Martii* 1756. §. 11., *& seq. coram Stadion*. Hujusmodi verò qualitatem re integra superaccessisse sustinet propter invaliditatem electionis Sacerdotis Borgo Caratti.

Hanc autem electionem, de qua in III. dubio quæritur, invalidam fuisse ex pluribus dignosci: Ac primò quidem, quia facta extiterit post legitimam sui selectionem, quæ subsistere poterat, etiamsi Clericus esset; Deinde, quia expleta fuerit dum lis adhuc in Sacra Congregatione indecisa penderet ob rescriptum ad secundum dubium = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem* =, quod in nova Causæ propositione fuit confirmatum, & hanc nullitatem magis gravem, & inexcusabilem fieri ob spretum protestationis Consilio Communitatis exhibitæ *Rot. coram Lancett. decis.* 874. *num.* 1. *& seq.*. Ulterius, quia electio fuerit conditionalis, *quando questa* (ideſt dubii resolutio) *venga riconosciuta dall' Illustrissima Superiorità*. Præterea quia major suffragiorum numerus non accesserit, cum octo ex quindecim suffragiis concurrere debuissent. Perperamque despectum fuisse suffragium octo Consiliariorum, qui electioni non consenserunt, quia despici non debuisset, quoties suam sententiam patefecerant.

Pergens hinc ad IV. dubium, contendit, ratam esse novam sui electionem, seu potius prioris electionis ratihabitionem. Neque opponi posse dispositionem *Cap.* 1. *& 2. Ut lite pendente*, quibus innovationes durante lite prohibentur, cum lis acta non fuerit a Communitate, sed ab exiguo contradicentium numero, qui Communitatis nomine, & mandato abusi sunt. Licuisse proindè Communitati, seù majori Consiliariorum parti, qui liti assensum non præ-

sti-

ſtitere, jus præſentati per ratihabitionem antecedentis nominationis confirmare *Rot. coram Molines dec. 691. num. 20.*, ſibique etiam licere ea uti ratihabitione, cum in re beneficiaria plures tituli etiam incompatibiles poſſint cumulari, *Rot. coram eodem decif. 492. num. 16.*, *& decif. 1229. num. 47.*

Nec attendendas exceptiones vel quod non omnes Conſiliarii fuerint præcedenter invitati, vel quod non omnes interfuerint, vel quod denunciata prius non fuerit res pertractanda. Falſam enim dicit primam exceptionem, cum ex Collateralis teſtimonio conſtet, omnes fuiſſe invitatos. Ad ſecundam, ſufficere ait, Conſilium fuiſſe legitimè indictum, nec de abſentibus habendam eſſe rationem *Rot. decif. 29. num. 1.*, *& decif. 46. num. 24. & ſeqq. coram San. Mem. Clemente XIII.*. Quo verò ad tertiam, reſpondet, Capitulum, vel Communitatem de jure non teneri rerum tractandarum denunciationem præmittere, nec probari poſſe, contrariam in Communitate Bellinzonæ conſuetudinem vigere.

Qui verò pro Sacerdote Borgo Coratti Cauſam agunt ad I. dubium innituntur tum repetitæ Sacræ hujus Congregationis declarationi, tum inveriſimilitudini, quod ad Beneficium præſertim Magiſtrale, & pro erudienda in pietate, & litteris juventute deſtinato, ſimplices Clerici contra Sacrorum Canonum præſcriptum fuerint Sacerdoti comparati *Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 31. num. 138.*, *Gonzalez ad Regul. 8. Cancel. gloſſ. 8. num. 104.*, *Clericat. diſcur. 71. de benef. num. 1. & ſeq.*, tum etiam litteræ fundationis requirentis prælativam, ac neceſſariam præſentationem Sacerdotis actu idonei, deindeque ejus, qui intra annum poſſet promoveri, ac demum ejus, qui in aliquo ſaltem Eccleſiaſtico Ordine ſit conſtitutus: Idque agnoviſſe Epiſcopum Comenſem, & Apoſtolicum Nuntium apud Helvetios, atque a Sacra Congregatione ſemel, atque iterum fuiſſe definitum. Idem quoque apertè erui contendunt ex particula *ſaltem*, quæ ſubſidii caſum tantummodò indigitat *Caſtren. conſ. 79.*, *Barboſ. dict. 355. num. 1.*, & ex particula *vel*, quæ vocationem dumtaxat disjunctivam importat, exigitque, ut ſcripturæ ordo ſervetur *Leg. 4. Cod. de verb. ſignif.*, *Natta conſ. 470. num. 8.*, *Card. de Luc. de fideic. diſcur. 44. num. 3.*, *& de Jurepatron. diſcur. 88. num. 2.*

Ex eadem fundationis littera palam etiam fieri dicunt, onus celebrationis Miſſarum, aliaque munera perſonaliter indicta fuiſſe utrique Ludimagiſtro tam primam, quam alteram Præbendam poſſidenti, eoſque in omnibus pares fuiſſe conſtitutos, nec niſi in defectu Sacerdotum facultatem Clerico datam fuiſſe oneri Miſſarum per alium adimplendi. Eamdem Sacerdotis qualitatem evinci putant ex cauſa fina-

finali, propter quam utraque Præbenda fuit instituta, erudiendi scilicet juventutem, quod quidem munus nonnisi Sacerdotalem zelum, & operam exposcit. Provocant insuper ad observantiam, ex qua deprehendi sustinent, Sacerdotes actu semper fuisse præsentatos, uno, vel altero excepto interinæ deputationis exemplo. Ac tandem argumentum repetunt desumptum ex Apostolicis litteris sa.m. Clementis XI., quibus cautum fuit, ut Communitas Bellinzonæ *Sacerdotem, ut antea præsentare posset.*

Hinc ad II. contendunt, sustineri nequaquam posse nominationem Clerici Molo, tum quia conditionalis fuit, & dubitativa, quatenus nempe fundationi consona esset, & quatenus capax existeret, qua non verificata conditione, deficit Patroni consensus, qui suppleri non potest, nec debet, ne vis illi inferatur *Garz. de Benef. part. 7. cap. primo num. 28. & seq., Barbos. de potest. Episcop. allegat. 72. num. 78.*, tum etiam quia adversatur Brevi Clementis XI., & legi fundationis Sacerdotalem qualitatem requirentibus tempore præsentationis, quoties hæc qualitas adjecta est verbo *nominandi*, & *præsentandi*, *Paris. conf. 50. num. 12. & sequen. lib. 4.*, *Vebus. in prax. benef. tit. requisit. ad collat. num. 33.*

Ex his inferunt ad III., ratam habendam esse præsentationem Sacerdotis Borgo Caratti, quam legi fundationis, & Sacræ hujus Congregationis menti, ac totius Communitatis suffragiis consonam esse sustinent. Præsentationem hanc legitime factam tuentur, tum quoad formam, cum præmissa fuerit omnium Consiliariorum interpellatio, & novæ ineundæ electionis denunciatio, quæ relata postea fuit in actis Consilii, ac Curiæ Episcopali insinuata, & a Vicario Generali admissa: tum etiam quoad substantiam, cum Consiliarij omnes consenserint circa necessitatem peragendæ electionis, & circa personam Sacerdotis Borgo Caratti, licet quoad tempus, & methodum dissenserint.

Nihilque obstare addunt, quod novæ hujusce electionis tempore prioris electionis nullitas nondum declarata fuisset, quia hanc declarationem implicitè contineri affirmant in rescripto Sacræ Congregationis ad primum dubium. Posthabendam verò esse conditionem à Consiliariis adjectam, quia hæc non substantiam, sed effectum dumtaxat electionis respicit, nec defectus voluntatis in Electoribus argui ex ea potest, sed solum ignorantia eorum, quæ prius gesta fuerant. Maximè, quia solemnitates requisitæ a *cap. Quia propter de elect.* servari tantummodo debent in Electionibus, quæ ab Ecclesiasticis fiunt, non autem in Electionibus Communitatis Laicorum *Rot. coram Falconer. decis. 30. num. 3. de Jurepatr.*: Nec obesse pendentiam litis, cum per rescriptum Sacræ Congregationis, qua definitum fuit *præsentandum*

dum esse Sacerdotem actu idoneum, irrita remanserit electio Clerici, & redintegratio litis post novam electionem officere nullo modo potuit præcedenti electioni a Communitate vigore sui juris factæ *Conrad. in prax. benef. lib. 3. cap. 7. num. 1., Piton. de controv. Patron. allegat. 22. sub num. 43., Ros. decis. 99. num. 17. par. 17. Recent.*

Ad novam verò nominationem quod attinet, de qua in IV. dubio quæritur, eam pluribus redarguunt vitiis, & irregularitatibus, & præsertim eam factam ajunt a quibusdam perpaucis Consiliariis Sacerdoti Molo Consanguineis, qui moti fuerunt ratione tantum suscepti Ordinis *per essere ora Sacerdote*, ac etiam quia expleta fuit sub conditione, *quando però l'elezzione d'oggi possa valere*.

Præstat in hac Causa iterum diligenter perpendere verba fundationis Præbendæ Coadjutorialis, quæ ità se habent = *Coadjutor quoque supradictus sit Sacerdos, vel intra anni curriculum ad illam dignitatem promovendus: Si verò non erit Sacerdos, sit saltem in aliquo Ordine Ecclesiastico constitutus* = De dictionibus *vel*, & *saltem* ponderandum, an ordinem, & prælationem necessariò servandam, vel potius æqualitatem indigitent, itaut tam Sacerdos, quam promovendus infra annum ad Presbyteratum, immo & simplex Clericus æquè præsentari valeat. Ad id eruendum confert etiam respicere tum causam finalem erectionis Præbendæ, tum quoque observantiam.

Habendum insuper præ oculis est rescriptum Sacræ Congregationis ad II. dubium, quo agebatur, de electione Defendentis Molo, & ad quod responsum fuit = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem* = Videndum itaque quid hujusmodi rescriptum operari valeat, & an litis pendentiam verè inducat, ut indè inferatur, an ritè ad novam electionem deveniri potuerit.

Denique quod spectat vitia, & irregularitates ab utraque Parte opositas, operæ prætium erit acta percurrere singularum resolutionum, quæ a Communitatis Consilio captæ sunt a die 22. Augusti 1769. ad diem 28. Februarii currentis anni, de quibus latè inter Causæ monumenta. Cætera videnda, in foliis Congregationum superioris anni, deindedeque dijudicandum.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 31. Martii, & 18. Augusti 1770., in casu &c.*

II. *An sustineatur electio facta in personam Clerici Defendentis Molo, ita ut danda sit eidem institutio, in casu &c.*

III. *An sustineatur altera electio facta in personam Sacerdotis Antonii de Burgo Caratti, itaut danda sit eidem institutio, in casu &c.*

IV. *An sustineatur electio postremo loco facta in personam Sacerdotis Defendentis Molo, itaut danda sit eidem institutio, in casu &c.*

Ad I. Præsentandum esse actu Sacerdotem, vel in fra annum promovendum, & iis deficientibus præsentari posse etiam Clericum in aliquo Ordine Ecclesiastico constitutum, & ita standum esse in decisis, & amplius. Ad II. Negative, & amplius. Ad III. Negativè, & amplius. Ad IV. Negativè.

Sess. 23. cap. 18. de Refor.

ROMANA, SEU TUDERTINA. De admissione *Clerici Angeli Ceva* ad vacantem locum in Collegio instituto sub nomine Nicetæ Lasfi, & alteri Collegio Nationis Umbriæ unito, disceptatum est in *Congregatione diei* 17. *Junii* 1769., & propositio *An Clericus Angelus Ceva sit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Lasfi*, prodiit responsum *Affirmative*. Viden. *folium diei* 28. *Januarii ejusdem Anni*, in quo tota facti series, ac rationum momenta hinc inde adducta late habentur.

Sed novæ Audientiæ beneficium elargitum Marchioni Sacripantes, ad quem jus eligendi juvenes spectat, impedimento fuit, ne *Clericus Angelus* locum in Collegio assequeretur. Interim vero cum ipse Canonicatum obtinuerit in Ecclesia Collegiata Terræ Aquasparthæ, omnem proinde spem abjecit dictum locum consequendi. Qua de re *Clericus Joseph Ceva* germanus ejus frater, tamquam unicus ex Colle Valentiæ idoneus, Collegii locum exoptans, obtenta prius ab Episcopo Tudertino nominatione, & approbatione, modo postulat ad vacantem locum admitti. Contradicit Marchio Sacripantes, & cum eo Communitas Civitatis Narniæ substituta; Quare tum de vi præteritæ resolutionis, tum de admissione *Clerici Josephi* nunc est quærendum.

Ad I. *Clericus Joseph* repetit, Familiam Ceva usque ab anno 1702. Domicilium transtulisse in Castrum Collis Valentiæ, ibique ab eo tempore *Angelum* Avum ædificasse domum, ipsumque Avum donec supervixit, Carolumque Patrem jugiter moratos fuisse, & morari cum uxore, filiis, & famulatu: in statu animarum Parochiæ dicti Castri quotannis fuisse descriptos, ibique Parochiale Præceptum impleviisse, & Sacramentales decimas, aliaque omnia onera tam realia, quam personalia semper exsoluisse: probari hæc omnia ex testimonio plurium Parochorum, Testium, & Consiliariorum Communitatis: hinc concludit, jure ab hac Sacra Congregatione demandatam fuisse *Clerici Angeli* fratris admissionem ad vacantem locum Collegii Nicetæ Lasfi, ad quod Fundator vocavit adolescentes Castri Collis Valentiæ.

Hinc quoque ad II. concludit, sibi ut unico ex Castro Collis Valentiæ comparenti, & idoneo, locum vacantem modo dandum esse. Probat enim, se æque Castri Collis Valentiæ civem

civem e Te, & jam ab Episcopo probatum, & idoneum repertum fuisse. Spernendas proinde esse exceptiones antea etiam contra fratrem deductas vel ex nativitate in Civitate Tudertina tam sui, quam Caroli Patris, vel ex domicilio in eadem Civitate, & allectione inter Cives ejusdem Civitatis. Respondet enim, accidentalem fuisse nativitatem in Civitate Tuderti habendi gratia comodiorem Medicorum, obstetricum, & medelarum copiam, ipsumque praeterea Testatorem non originem respexisse, sed simplicem civilitatem dicti Castri quomodocumque quaesitam. Domicilium vero Patris in d. Civitate habitum fuisse causa studii filiorum, ac pro aliorum commodiori usu, absque ulla tamen desertione primaevi domicilii in d. Castro, ac proinde illius adscriptionem inter Tudertinos Cives sibi non obesse, cum frequens sit, ut domicilium habentes in Castris ad gradus civicos alicujus Civitatis admittantur.

Inane vero esse diffugium ad repartimentum taxae macinatus, in qua familia Ceva comprehensa fuit, uti degens in Civitate Tuderti. Nam advertit, Unum esse taxae repartimentum pro tota Civitate, & Territorio juxta numerum animarum, familiae, & bonorum. At familiam Ceva fuisse etiam taxatam pro bonis in Territorio Castri Valentiae fitis. Falso autem excipi familiam Ceva in libro status animarum dicti Castri non esse descriptam; quum contrarium evincatur ex ejusdem libris: descriptionem autem in statu animarum Parochiae Civitatis non excludere domicilium semper retentum in Castro Collis Valentiae, in quo domum apertam semper habuit, & in cujus Territorio omnia sua bona possidet. Demum addit, a die erectionis Collegii usque nunc vix duos juvenes e dicto Castro admissos fuisse: aequitati ideo maxime convenire, ut sibi domiciliario tandem locus fiat in exclusionem Diaecesanorum Narnensium a Testatore non contemplatorum.

Ad III. inquit, usque ab anno 1762. unicum e dicto Castro *Clericum Angelum* fratrem petiisse ad vacantem locum admitti: modo autem se unice dictum locum petere absque concursu alterius juvenis ejusdem Castri. Extraneos proinde a casu esse terminos electionis, buxoli, & extractionis, quae nonnisi in concursu plurium locum habere possunt. Perperam idcirco nunc in vim resolutionum Sacrae Congregationis *Anni* 1714. de vitio attentatorum redargui suam electionem, & approbationem ab Episcopo Tudertino obtentam. Caeterum advertit, illas editas fuisse in judicio acto cum Episcopo Narniensi, non citato, vel interpellato Episcopo Tudertino, ac proinde hunc nullomodo afficere posse, nec actionem attentatorum praebere.

Contra *Marchio Sacripantes* ad I. inquit, *Clericum Angelum* nec originis, nec domicilii ratione civem esse Castri Collis Valentiae. Non quidem ratione originis propriae, cum ipse

ortum duxerit in Civitate Tudertina; non etiam originem Paternæ, cum Carolus Pater quoque in d. Civitate natus fuerit, ibi domicilium habuerit, & inter cives adscriptus, ibi mortem obierit: non demum ratione originis avitæ, cum avus civis fuerit Nucerinus, ibique natus, postea domicilium transtulerit ad Civitatem Tudertinam, & hic ad extremum usque Vitæ spiritum suos dies transegerit.

Neque etiam ratione domicilii, cum ejusdem avus, & Pater semper, quo usque vixerunt, Tuderti domum apertam habuerint, perpetuo habitaverint, in ea Civitate Civilia obierint munera, inter cives fuerint adlecti, & in albo animarum Parochiæ S. Praxedis ejusdem Civitatis descripti, in eadem Parochiali Ecclesia tumulati fuerint. Negat familiam Ceva fuisse unquam descriptam in statu Animarum Castri Collis Valentiæ, additque, eam semper habitam fuisse unam ex familiis ejusdem civitatis, ipsumque Clericum Angelum suam familiam secutum continuo in Civitate Tudertina comorasse, ibique domicilium habuisse. Hinc arguit, habitationem quandoquè habitam in Castro Collis Valentiæ vel ratione artis agrariæ, vel exerciti muneris exactoris, vel causa demum rusticationis, spernendam prorsus esse, tamquam ineptam ad verum domicilium contrahendum *Rot. in Pampilonen. Admissionis* 14. *Janu.* 1752. §. 7. *cor. Canilliac.*

De falsitate proinde, vel errore notæ contrarios Testes: negat, præstitas fuisse decimas sacramentales Parocho Collis Valentiæ, sed tantum reales ratione bonorum in illius Territorio possessorum. Advertit quoque, officium exactoris publicorum proventuum dicti Castri non utique esse munus civicum, sed concedi meliori oblatori sive civi, sive forensi, & Consiliarii munus in hisce humillimis Castris nullam filiis, ac descendentibus civicam qualitatem afferre *Rota in Ariminen. Beneficii* 26. *Febr.* 1755. §. 6., & 7. *cor. Vicecomite*.

Addit demum, sibi jus esse tamquam descendenti ab Aurelio Vituzzi, unice eligendi, nominandique Juvenes dicti Castri, ut declaravit *Sacra Congr. Anno* 1714. *Clericum vero Angelum* ab Episcopo dumtaxat Tudertino nominatum, & approbatum nullomodo admittendum esse; maxime quia nullus in præsenti locus vacat in Collegio, ipseque *Clericus Angelus* Canonicatum modo possidet in Terra Aquaspartæ, qui onus habet residentiæ.

Hinc ad II. arguit, æque rejiciendum esse *Clericum Josephum* germanum fratrem ejusdem *Clerici Angeli*, cum nec ipse civis sit Castri Collis Valentiæ ratione vel originis, vel domicilii, nullamque nominationem a persona legitima obtinuerit. Qua de re ad III. attentatorum labe infectam dicit illius nominationem factam ab Episcopo Tudertino contra expressam declarationem Sacræ Congregationis editam

Anno

Anno 1714., quæ Marchioni Sacripantes tribuit *notificationem vacationum, receptionem requisitorum, & selectionem omnium habentium requisita*, & Episcopo tantum concessit *imbussolationem, & extractionem*.

Communitas Narniæ postulat pariter recessum a decisis quoad 1. Dubium, ex quo *Clericus Angelus* nec civis, nec municeps sit ratione sive originis, sive domicilii d. Castri Collis Valentię, eademque repetit, quæ fuse superius nomine *Marchionis Sacripantes* relata sunt.

In Fundatione Collegii cautum est, ut novem admittantur Alumni, *tre de quali hanno da essere della Città di Foligno non nobili da cavarsi a sorte da Monsignor Vescovo di detta Città, altri tre dovranno esser quelli, che discenderanno da Valentino Santerini da Colvalenza Diocesi di Todi Avo Paterno di mia Madre, e non essendovi di tal discendenza, si dovranno eleggere altri tre giovani dell'istesso luogo da imbussolarsi, ed estrarsi da Monsignor Vescovo di Todi pro tempore, e non essendovi in quel luogo persone Capaci, voglio che siano altri tre giovani non nobili della Città di Narni, dove è nata detta mia Madre da imbussolarsi, ed estraersi da Monsignor Vescovo pro tempore di Narni, ed altri tre della stessa condizione parimenti di Narni da imbussolarsi, ed estraersi come sopra*, comissa cura electionis juvenum Fulginatensium Josepho Jacobelli, ejusque descendentibus; aliorum vero Collis Valentiæ, & Narniensium Aurelio Vituzzi, ejusque descendentibus Masculis, inter quos modo recensetur *Marchio Sacripantes*.

Exorta anno 1714. quæstione inter Episcopum Narniensem, & descendentes Aurelii Vituzzi circa electionem, & nominationem juvenum, duo dubia proposita fuerunt, *I. An electio, seu nominatio Alumnorum ponendorum in urna, & extrahendorum ad formam Testamenti Joannis Caroli Lassi pertineat ad Episcopum, seu potius ad descendentes Aurelii Vituzzi. II. qui actus spectent ad Episcopum, & respective ad descendentes prædictos in casu &c.*, & Sacra Congregatio respondit *Ad I., & II. Ad descendentes spectare notificationem vacationum, receptionem requisitorum, & selectionem omnium habentium requisita, ut omnes imbussolentur. Ad Episcopum vero spectare imbussolationem, & extractionem, posse tamen recognoscere, an imbuxolandi habeant omnia requisita a Testatore præscripta*.

EE. PP. ex uberius utrinque adducendis, qua pollent sapientia definire dignentur.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An Clericus Joseph Ceva sit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Lassi in casu &c.*

III. *An constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

FA-

Sess. 22. cap. 8. de Reform.

FANEN. SUBSIDII DOTALIS. Ludovicus Salvi de Loco Urceani hæredem testamento scripsit Sebastianum Fratrem, eique sine filiis decedenti substituit Communitatem ejusdem Loci, cum onere, *che delli frutti di essa Eredità debba ogn'anno in perpetuo maritare tante Zitelle povere della detta Terra con il Suffidio dotale di scudi* 25. (quæ tamen summa, usque ad scuta 50. opportunis facultatibus deinde adaucta narratur). Potestatem verò fecit Sodalitio SSmi Sacramenti ejusdem Terræ eligendi quamplures Puellas, quarum deindè nomina in Urnam conjecta cum consensu, vel interessentia Vicarii Generalis forte extrahi mandavit; Voluitque, ut proximiores remotioribus preferrentur, *e dopo le Parenti, ed attinenti le Zitelle povere di detta Terra abitanti nel Borgo in giù, ed in difetto d'ell'uni, e dell'altre si ammettano quelle del Borgo di sopra, e della Terra stessa.*

Defuncto sine filiis Sebastiano Salvi, factus est locus substitutioni favore Communitatis Urceani; quæ ab Anno 1724. hæreditatis possessionem acquisivit, & onera ad formam testamentariæ Ludovici dispositionis cæpit adimplere. Anno autem 1727. bo. me. Episcopus Dolfi, qui Fanensem Ecclesiam tunc regebat, nonnullas circa modum faciendæ Puellaram extractionis edidit ordinationes, atque inter cætera statuit, ut rejicerentur Puellæ, quæ annum saltem duodecimum non attigissent, vel vigesimum quintum jam excessissent. Decursu autem temporis cum Oppidi ædificia fuerint adaucta, ejusque forma immutata remanserit, abusus irrepsere circa Puellarum delectum *del Borgo di sopra, e del Borgo di sotto*; quare occasione Sacræ Visitationis habitæ anno 1769. hodiernus Episcopus præfinivit, *che il Borgo di sotto, o sia parte del Borgo di giù, le di cui abitanti dovranno nella nomina preferirsi a norma della disposizione testamentaria, debba in avvenire sempre intendersi dal Cantone della Piazza frà le Case della Ven. Compagnia del SSmo Sagramento in oggi ammensate al Capitolo, e le Case del fù Girolamo Gregorini da una parte, e frà le Case Giorgi, e Barbanti dall'altra parte, e proseguendo fino alla Madonna detta di Castel Vecchio*; approbavitque præterea decretum Episcopi Dolfi quoad ætatem Puellarum, illudque exequi præcepit.

Adversus hujusmodi ordinationes Puellarum nomine reclamavit Magistratus Urceani, precesque obtulit SSmo, a quo Sac. huic Congregationi fuerunt remissæ. Impugnat primo loco decretum Episcopi Dolfi, cujus exequutionem decrevit hodiernus Episcopus, tum quia alienum illud dicit a mente Testatoris, qui nullam in Puellis subsidium dotale assequuturis ætatem præfinivit, tum quia experientia compertum est, Mulieres, quo ætate provectiores sunt, eo magis dote indigere, ut nuptias sibi valeant facilius conciliare. Impugnat etiam confinium divisionem *trà il Borgo di sotto, ed il Borgo di sopra*, eo quia ob veram mutationem a tem-

a tempore obitus Teſtatoris ſequutam nulli certi limites poſſint aſſignari. Addit, quod ex hac finium deſignatione nimium læderentur Puellæ ſuperioris Suburbii, utpote quæ ſub ſpe aſſequendi ſubſidium dotale, paternam domum relinquunt, & aliam in inferiori ſuburbio conducunt. Hinc poſtulat, ut qualibet ſublata annorum præfinitione, prælatiſque Puellis aliquo conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo Teſtatori coniunctis, reliquæ omnes ſorti indiſcriminatim committantur.

Epiſcopus de more auditus hæc habet = *Una mihi potuit diſſentio ſuper inferioris ſuburbani limitibus, quam in S. Viſitatione illic obita auditis Oppidanis aliquot Locorum peritis, ac notione pollentibus diremi, Teſtatoris voluntate præoculis habita, quam probè noveram mihi convellendi poteſtatem non eſſe; quod ſi ſenſus meos pandere liceat, optimum facto putarem, poſt Puellarum delectum Teſtatori, vel conſanguinitate, vel affinitate coniunctarum, Puellas cæteras omnes, ſive in Suburbanis, ſive in Oppido ſedo degentes inſimul in Urnam conijcere, quoniam a Teſtatoris ejuſdem obitu inter unum, & alterum ſuburbanum limites ponere ſanè perdifficile eſt, quod ſi res ipſa componatur, Puellæ ad conducendas Domos in Suburbio inferiori gravibus ſub penſionibus non cogerentur, ut reliquis in eo non degentibus præferrentur*= Fatetur deindè Prædeceſſoris ſui lege, quam ipſe ſub generali decretorum omnium confirmatione tacitè approbaſſe dicit, a dotalis ſubſidii aſſequutione excludi Puellas, quæ ad duodecim annum nondum pervenerint, vel vigeſimum quintum exceſſerint, putat tamen, *donec non ſint deſperatæ nuptiæ nullam ex Puellis a tali ſubſidio jure repellendam, quas Teſtator non abhorruit, quæque dotis compendio Junioribus indigent eo magis, quo ætatis præſidio florentis ſunt deſtitutæ*: Undè votum ſuum aperiens ita concludit = *Quare duplicis Urnæ remedio puto rei conſultum, quarum prior nomina Puellarum Teſtatori coniunctarum contineat, altera earum, quæ tum in Oppido, tum in Suburbanis vel ortæ ſunt, vel domicilium jure contraxerint, ætatis diſcrimine ſublato.*

Ultimarum voluntatum interpres, ac vindex Sac. Congregatio, nonniſi ex juſta, rationabilique de cauſa commutationibus adhæſit; Atque etiam quando Teſtatoris menti non ſine gravi difficultate, eo præciſe, quo ipſe diſpoſuit, modo poteſt adimpleri, ut in *Interamnen. commutationis voluntatis* 8. *Maii* 1756. Difficultas, tamen non debet eſſe phyſica, ſed ſufficit etiam moralis *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 83. *num.* 3. Ponderandum idcircò, an immutatis poſt obitum Ludovici Salvi in Oppido Urceani Suburbii inferioris, & ſuperioris finibus, omnes indiſtinctè Puellæ ad ſubſidii dotalis aſſequutionem admitti debeant, ita ut ab ejus diſpoſitione ſit in hac parte recedendum. Ponderandum præterea an exequutioni mandandum ſit decretum Epiſcopi Dolſi, qui certam in Puellis ætatem præfinivit, de qua tamen nihil

hil Testator edixit. Experientia compertum est, & naturalis ratio suadet, Puellas, quo ætate sunt provectiores, eo magis dotali subsidio indigere ut ait *Card. de Luc. de Dot. disc.144. n.25., Rot. cor. Lancett. dec.8. n.7. tom.1.*

Hisce autem perpensis EE. PP. decernent.

I. *An decretum ho. me. Episcopi Dolsi sit exequendum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSño pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Test.22. cap. 6. de Reform.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ. Angelus Carderi Lepriniani Civis post constructam in Ecclesia Confratrum B. Mariæ Angelorum illius Loci Capellam *Divo Josepho* dicatam, anno *1696.* in postremis tabulis dictam Ecclesiam exasse hæredem instituit, adjecto onere celebrationis in dicto Sacello S. Josephi unius Missæ singulis diebus Dominicis, & Festis, nec non in Festo S. Josephi, & exequiarum in die anniversario sui obitus, ita tamen ut *in detta Capella, e in detta robba da me lasciata non vi abbia mai che fare ne Visitatore Apostolico, ne Dataria, ne Vescovi, ne Ordinarj, ne altre persone Ecclesiastiche, o secolari ma quello debba stare per mantenimento di detta Capella, e beneficio di d. Chiesa.*

Legem vero Sodalitio dedit, ut pro dictarum Missarum celebratione semper præferri deberent Sacerdotes nlii Augustini Carderi *con pagargli due giulii per Messa, e questo gli debba servire anco per titolo di Capellania, e non essendovi detti Preti figli del detto Agostino, succeda in suo luogo il Prete a lui più prossimo, ma che sia di Casa Carderi, dichiarando di non far celebrare ad altri le dette Messe mentre vi saranno Preti di detta linea, e questo debba durare per spazio di 100. Anni*, quibus lapsis jus Sodalitio dedit benevisum Sacerdotem cum congrua eleemosyna eligendi.

Ad hoc legatum pium, seu Laicalem Capellaniam Anno 1759. electionem a Confratribus obtinuit *Clericus Carolus Carderi* tamquam passive vocatus, & causa studiorum Anno 1763. etiam a Sum. Pontifice impetravit, ut, impletis per alium oneribus cum manuali eleemosina, reliquum sibi applicaret. De hac autem electione tunc vehementer conquestus fuit *Joseph Carderi* nomine Dominici Filii veri agnati, & proximioris penes Sacram Congregationem, & Josephi conquestionibus suas adjunxit etiam Sodalitium, sed post panditum ab Ordinario votum, cum dictus *Joseph* liti cesserit, ab eo tempore usque in præsens *Carolus* Capellaniam obtinuit.

Mo-

Modo autem Sodalitium ad dictam Capellaniam elegit *Nicolaum* alterum dicti *Josephi Carderi* filium, simulque petit, initam electionem a Sac. Congregatione confirmari, & approbari. Vocatis proinde omnibus interesse habentibus, & præsertim *Carolo Carderi*, quærendum modo est, an eadem Capellania, seu Legatum pium adjudicandum sit *Nicolao*, vel potius *Carolo* jam possessori.

Inquit *Nicolaus*, se Testatori ex fratre abneptem esse, & de vera familia Carderi, & cæteris proximiorem. Contra vero *Carolum* esse ex altera familia Carderi in nihilo Testatori conjuncta: ex clara proinde Testatoris lege se præferendum esse, & sibi Capellaniam esse adjudicandam. Hinc de aperta nullitate, & vitio obreptionis notat nominationem *Caroli* obtentam Anno 1759., nec non subsecutam Sum Pontificis gratiam, tum quia tumultuarie perpauci Confratres consanguinei absque legitima convocatione tunc eum elegerint, tum quia nominatio, & gratia subrepta fuerit ex falsa expressa causa, quod *Carolus* esset de familia Testatoris, & proximior vocatus.

Nec obesse, quod *Carolus* cognomen Carderi præseferat, vel jam sit Capellaniæ possessor. Advertit enim, Testatorem non respexisse ad simplex cognomen, sed vocasse *il più prossimo Parente di Casa Carderi*, unde eos omnes excluisse, qui licet cognomine Carderi designentur, Testatori tamen conjuncti non sunt. Possessionem vero undique nullam, & fraudulentam esse, & extortam sub falsa narratione, quod esset passive vocatus, ac proinde penitus spernendam, & rejiciendam *cap. final. de Restit. Spoliat. in 6.*

Ambigendum vero non esse de sui ipsius idoneitate ad Capellaniam obtinendam, etsi tantum Clericus sit, & Sacerdotali Charactere non insignitus. Nomine quippe *Sacerdotum* etiam simplices Clericos, ut habituales Sacerdotes, venire, ipsumque Testatorem nullibi onus dedisse celebrandi per se ipsum, nec vetasse, quominus Sacra per alium implerentur, atque ob id etiam simplices Clericos esse capaces eam assequendi. Spernendam demum esse renunciationem a *Josepho* Patre factam nomine Dominici sui Fratris, quia dolo, & fraude extorta fuerit, additque præterea, sibi passive vocato, & jure proprio venienti in nihilo præjudicare posse, præsertim quia in d. renunciatione non fuit comprehensus, nec nominatus.

Clericus *Carolus Carderi*, licet diu expectatus, nondum jura sua deduxit.

Ordinarius Terræ Lepriniani post singula monumenta mature perpensa, sic concludit = *Ad evidentiam usque constare videtur, Nicolaum supplicantem esse vere vocatum a fundatore Capellaniæ, ac rite, rectèque nominatum. Clericum vero Carolum Carderi ab illius familia prorsus extraneum, atque ideo eumdem Carolum falsis narrationibus nulliter, & subreptionis vitio*

extorsisse a Fratribus nominationem, ab EE. VV. rescriptum ei tribuens facultatem percipiendi medietatem eleemosinæ, & ab A. C. met Sententiam super executione ipsius rescripti. Unde puto eum injuste, & illicite continuare in possessione percipiendi dictam eleemosinam, eo magis quia rescriptum, & sententiam obtinuit sub conditione ascendendi ad Sac. Ordinem Presbyteratus, cujus suscipiendi nullam demonstrat voluntatem, quoniam licet in 36. Juæ ætatis anno constitutus, nondum Subdiaconatus ordinem susceperit.

Aperte Testator legem dixit, ut deficientibus Presbyteris descendentibus ab Augustino Carderi, *succeda in suo luogo il Prete a lui più prossimo, ma che sia di Casa Carderi, dichiarando di non far celebrare ad altri le dette Messe, mentre vi saranno Preti di detta linea.* Ex clara itaque, & expressa Testatoris voluntate Sacerdoti ex linea Carderi, & proximiori prælatio danda est in exclusionem extranei, & remotioris pro dictorum Sacrorum implemento.

Sane usque ab anno 1759. Clericus *Carolus* Capellaniam obtinet, at cum constet, ipsum extraneum esse, & non passive vocatum, id præ cæteris inquirendum, an modo adveniente *Nicolao* passive vocato, ille sit repellendus, ac removendus. Quæstio est non de Beneficio, vel Capellania perpetua, sed tantum de onere Sacrorum Confraternitati dato, quæ pro libito, non extantibus passive vocatis, potest beneviſum Sacerdotem pro illorum implemento eligere, hunc que quandocumque pro suo arbitrio removere, prout passim evenit in omnibus, qui onus habent implendi Sacra. At Testator expresse vetuit *di non far celebrare ad altri le dette Messe, mentre vi saranno Preti di detta linea.*

Advertendum demum, an simplex Clericalis qualitas satis sit in descendentibus ex linea Carderi ad prælationem a Tequendam. Testator vocavit *Il Prete a lui più prossimo di Casa Carderi*: Dubium autem non est, nomine *Presbyteri* in Beneficiis, & Capellaniis præsertim Laicalibus, venire etiam simplices Clericos *Rot. in Imolen. jurispatronatus super pertinentia 3. Martii 1738. §. 17. cor. De Vais*, maxime dum onus celebrandi per se ipsum injunctum non est *Rot. decis. 285. per tot. coram Merlin., & coram Falconer. de Jurep. decis. 7. per tot.*

Verum Testator ex asse hæredem instituit Ven. Ecclesiam B. Mariæ Angelorum cum onere Sacra implendi. In horum autem implemento, aucta Eleemosina ad julios duos, prælationem dedit *al Prete a lui più prossimo di Casa Carderi, dichiarando di non far celebrare ad altri le dette Messe, mentre vi saranno Preti di detta linea.* Prælatio itaque data fuit Presbytero proximiori pro dictorum Sacrorum implemento, & tota Cappellania unice residet in eleemosina dictorum Sacrorum aucta ad duos julios favore Sacerdotum proximiorum. Ponderandum hinc, an ex voluntate Testatoris

toris soli actuales Presbyteri ex dicta familia præferendi sint, qui valeant onus Sacrorum implere, vel etiam simplices Clerici.

EE. Patres eximia, qua ornantur doctrina, & juris Sacri peritia, dignentur definire.

An, & cui sit adjudicanda Capellania in casu &c.

URBEVETANA CANONICATUS. Canonicatum supranumerarium in Ecclesia Collegiata SS. Georgii, & Christinæ Terræ Vulsinii fundavit *Anno* 1710. Ludovicus Maccioni, illiusque Patronatum reliquit Capitulo ejusdem Collegiatæ, *dal quale dovrà nominarsi sempre un Sacerdote se vi sia da provedere, ed in mancanza di questo un Chierico, tanto l'uno, come l'altro di Bolseno, e che attualmente servano la Chiesa, che se si fossero alienati dal servizio della medesima per due mesi avanti la vacanza, non siano in modo alcuno capaci per detto Canonicato. Quando poi fossero più Sacerdoti, o Chierici colle qualità sopradette, debbano imbussolarsi, ma debba provedersi prima il Sacerdote, e poi il Chierico.* *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Contra vero in casu, in quo *fosse un solo de Sacerdoti, o Chierico*, jussit *mandarsi a partito, ed essendo vinto per due terzi a Voti segreti, s'abbia per approvato, incaricando in ciò la coscienza de Signori Elettori avere avanti gli occhj solo quelle persone, che saranno capaci, ed esemplari, tralasciata ogni raccomandazione, e posposto ogni affetto a proprj parenti, acciò possino riuscire profittevoli al servizio di Dio, e della Chiesa.*

Vacato hoc Canonicatu per obitum Francisci Antonii Ripa *mense Augusti Anni præteriti* S. Sedi reservato, *Sacerdos Jacobus Marinacci* Diecesanus Montis Falisci, & actu Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Martæ, post obtentam a Capitulo Collegiatæ Vulsinii ejus nominationem, illum a S. Sede sibi conferri curavit *die* 13. *Novemb. proximè elapsi*. Cum autem nec integram fundationis legem, nec qualitates a Fundatore præscriptas expressisset, aliam proinde supplicationem ex post porrexit pro derogatione fundationis. Interim vero cum *Clericus Ansanus Fredlani* in Terra Vulsinii natus supplicationem & ipse dedisset pro eodem Canonicatu assequendo una cum derogatione bimestris servitii in fundatione præscripti, placuit *Emo Pro-Datario* votum Sac. Congregationis exquirere. Quæritur itaque modo, quæ supplicatio sit signanda.

Inquit *Clericus Anſanus*, Teſtatorem vocaſſe Sacerdotes, & in hujus defectu Clericum dicta Terra Vulſinii: Deficiente propterea ejuſdem Terræ Sacerdote ſibi prælationem eſſe dandam. Conſtare quippe, ipſum natum eſſe in dicta Terra Vulſinii, Tonſura jam eſſe initiatum, & a *menſe Septembris proximè elapſi* Eccleſiæ Collegiatæ ſervitio inſervire. Hinc repellendum *Sacerdotem Jacobum Marinacci* in Diœceſi Montis Faliſci natum; ejuſdemque Sacerdotalem qualitatem in nihilo habendam eſſe, cum Fundator Sacerdotibus dumtaxat dictæ Terræ Vulſinii prælationem dare intellexerit.

Nec momenti eſſe nominationem ejuſdem Sacerdotis a Capitulo factam, quia cum S. Sedi reſervata eſſet collatio ob vacationem in menſe reſervato, ea nominatio prorſus nulla, & irrita fuit. Tantoque minus obeſſe collationem a S. Sede impetratam, cum hæc aperto ſubreptionis vitio ſit infecta, ob non expreſſam integram Fundationis legem, neque narratas volitas a Fundatore qualitates. Et revera ipſum *Sacerdotem Jacobum* novam ſupplicationem dediſſe pro derogatione Fundationis, de qua modo eſt quæſtio. Perperam demum excipi in utraque ſupplicatione peti derogationem legibus Fundationis: Advertit enim ſe unice egere derogatione ſervitii Eccleſiæ, contra autem favore *Sacerdotis Jacobi* derogandum eſſe tam d. ſervitio Eccleſiæ, quam qualitati originariæ dictæ Terre Vulſinii a Fundatore primario requiſitæ.

Addit demum, ſe maxime pauperem eſſe, & excepto ſimplici Beneficio vix annui reditus ſcutorum trium, nihil poſſidere, ita ut paupertatis cauſa ad Sacros Ordines promoveri nequeat: Contra vero *Sacerdotem Jacobum* jam Sacerdotali charactere inſignitum eſſe, & proviſum Canonicatu in Eccleſia Collegiata Terræ Martæ. Omnem proinde æquitatem ſuadere, ut ſibi pauperi, & aliunde non proviſo prælatio detur in concurſu *Sacerdotis Jacobi* jam ſufficienter de bonis Eccleſiæ proviſi *cap. is cui de Præb. in 6.*, *Rot. coram Dunozet. Jun. deciſ. 933. n. 1.*, *& coram Anſald. dec. 85. n. 37.*

Sacerdos *Jacobus Marinacci*, licet pluries monitus, nondum jura ſua deduxit.

Epiſcopus votum aperit favore *Sacerdotis Jacobi Marinacci*, quia cum neuter Oratorum ſit qualificatus ad formam fundationis, derogandum potius cenſet favore Sacerdotis, quam ſimplicis Clerici; Maxime quia Eccleſia Collegiata eget copia Confeſſariorum pro ingenti populo Vulſinii animarum mille, & tercentum.

Fundator voluit eligi Sacerdotem, ſin minus Clericum, addita lege *tanto l'uno come l'altro di Bolſeno, e che attualmente ſervano la Chieſa*. Ex clara proinde fundationis lege ii tantum Sacerdotes, & Clerici vocantur, qui ſunt e dicta Terra Vulſinii, & addicti ſervitio Eccleſiæ Collegiatæ. Cumque

que idem Fundator etiam simplicem Clericum vocaverit, nullibique onus audiendi confessiones injunxerit, ideo simplex qualificatus Clericus semper præferendus est Sacerdoti extraneo, & non qualificato, etsi is capax sit ad Sacras Confessiones excipiendas.

Perpendendum ideo, an *Sacerdos Jacobus*, vel tantum *Clericus Ansanus* sit qualificatus. Ille natus est in Diœcesi Montis Falisci, nullibique addictus erat servitio Ecclesiæ Collegiatæ. Iste vero natus est in Terra Vulsinii, & quamvis vacationis tempore Ecclesiæ Collegiatæ servitio haud esset addictus, longe tamen ante collationem a *Sacerdote Jacobo* obtentam, jam dictę Ecclesiæ inservire cæperat. Testator non quidem Bimestre servitium Ecclesiæ Collegiatæ in Sacerdotibus, ac Clericis quæsivit, ut idonei reputarentur ad Canonicatum assequendum, sed tantum eos excluſit, qui per bimestre a servitio Ecclesiæ desiissent. Ponderandum ideo, an ad idoneitatem acquirendam necessarium sit bimestre servitium, vel potius satis sit, Sacerdotem, vel Clericum actu dictæ Ecclesiæ inservire tempore vacationis, antequam sequuta sit collatio.

Emi PP. maturo, quo solent, judicio dignentur votum aperire.

An, & quæ supplicatio sit signanda in casu &c.

NEOCASTREN. MISSÆ PRO POPULO. Quamvis Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis Missam pro Populo quotidie applicare consueverint, nihilominus post evulgatam anno 1744. Constitutionem sa. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, a quotidiana Sacrificii applicatione, juxta Sententiam Episcopi Neocastrensis cessarunt, illamque ad dies tantum Dominicos, & Festos coercere existimarunt. Cum autem plures sint Parochi unicuique Ecclesiæ inservientes, & dubitatum esset, an unico in qualibet Ecclesia oblato Sacrificio, oneri applicationis Missæ pro Populo foret satisfactum, Sacra Congregatio, cujus judicium fuerat requisitum, die 16. Junii præteriti anni 1770. inquiri etiam in separato dubio mandavit, an idem onus quotidie, seu Festis tantum diebus esset a Parochis adimplendum. Qua de re in Congre-

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

gregatione diei 26. elapsi mensis Januarii, duo proposita sunt dubia I. *An Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur singuli applicare Missam pro Populo, seu potius possint unam tantum Missam in unaquaque Ecclesia per turnum applicare in casu &c.* II. *An eamdem Missam teneantur applicare quotidie, vel tantum Dominicis & festis diebus in casu &c.*. Et ad primum responsum fuit = *Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam*. Quo verò ad II. Dilata resolutione, demandatum fuit, ut scriberetur *juxta instructionem*, quæ fuit, ut inquireretur, an constaret, & quibus fundamentis inniteretur consuetudo applicandi quotidie in unaquaque ex Parochiis Missam pro Populo; ac præterea an aliqua adesset dispositio, seu specialis ratio, cui quotidiana Missæ applicatio referri congruè posset.

Ut iniunctum sibi munus diligentius exequeretur Vicarius Apostolicus, sumptum transmisit actorum, quæ ex Pastoralibus utriusque Ecclesiæ Visitationibus deprompta sunt, quæque opportunum erit accurate hoc loco recensere. Ex eo autem habetur quod in Visitatione anni 1624. interrogatus unus ex Capellanis S. Mariæ Catholicæ = *An Missa, quæ celebratur quotidie in dicto Altari Majori, celebretur in satisfactionem onerum forsan in dicto Altari iniunctorum* = respondit = *Nullum onus ipsum scire, sed semper celebravit, & vidit celebrari eo modo, & forma, quibus celebrarunt sui Antecessores* = Deindèque interrogati quatuor Capellani S. Nicolai de Latinis *de oneribus Missarum iniunctis dictæ Ecclesiæ* responderunt, *Adesse onus celebrandi in Altari majori singulis diebus, & per hebdomadam Missam celebrant* = ac postea recenset Visitator onera in hæc verba = *Onera dictis Curatis imposita, sunt hæc, celebrare Missam unam qualibet die ab ipsis Capellanis per vices, & hebdomadam per turnum* = In Visitatione verò anni 1639. de Ecclesia S. Mariæ Catholicæ legitur = *Visitavit Altare majus, & in eo est onus quotidianæ Missæ a Curatis celebrandæ per turnum* = & de Ecclesia S. Nicolai = *Visitavit Altare majus, & in eo est onus quotidianæ Missæ per quatuor Curatos persolvendæ per girum* = quod ipsum quoque legitur in aliis tribus Visitationibus annorum 1640., 1651., & 1655.. In alia autem Visitatione Ecclesiæ S. Mariæ habita de anno 1681. hæc recensentur = *Sunt in dicto Altari majori infrascripta onera Missarum videlicet: Missa quotidiana ex obligatione Curæ, quæ celebratur per eosdem Capellanos Curatos per girum* = & anno 1707. in Ecclesia S. Nicolai describitur *onus Missæ quotidianæ, quæ celebratur per RR. Curatos*: Anno autem 1733. de oneribus Ecclesiæ S. Mariæ fit mentio in hæc verba = *Celebratur Missa in Altari majori pro Populo quotidie per R. Archipresbyterum D. Michaelem l'Arreo, & Rev. Parochum Curatum Thomam Fabiano*.

Denique referuntur decreta Visitationum duarum Ecclesiarum Parochialium, quæ fuerunt suppressæ, & Parochialibus S. Ma-

S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis unitæ: Una est Ecclesia S. Mariæ in Berlina, de qua Visitatio anni 1624. ita differit = *Capellanus prædictus, ut Capellanus Monialium ex conventione habet onus celebrandi Missas tres qualibet hebdomada, videlicet die Jovis, Veneris, & Sabbathi. Festivis verò diebus de præcepto, & Dominicis per totum annum, uti Parochus, & si inciderit festum diebus supra conventis celebrat, & expletur per alium* = & Visitatio anni 1639. ita loquitur = *Capellanus Curatus prædictæ Parochialis Ecclesiæ est R. D. Petrus Franciscus Giacco, qui habet onus celebrandi in Altari Majori in Dominicis, & Festis de Præcepto pro suis Parochianis* = Alteri verò Parochiali Ecclesiæ sumptuosæ, & Divo Nicolao de Platea dicatæ, onus inerat *celebrandi singulis Dominicis, aliisque festivis diebus per annum occurrentibus*, ut ex Visitatione anni 1624. ; Atque ex alia Visitatione Anni 1639. hæc resultant = *Visitavit Altare majus, quod est munitum omnibus necessariis, ex quo Curatus celebrat ex onere in Dominicis, & Festis ; aliis verò diebus celebrat ex devotione, & sic etiam celebrant alii destinati servitio prædictæ Ecclesiæ* = Hæc sunt, quæ ex actis Visitationum a Vicario Apostolico transmissis resultant.

Super hisce autem actis idem Vicarius Apostolicus ita ratiocinatur = *Verum, ni fallor, nimis vagæ, & equivocæ mihi videntur conjecturæ, quæ ex prædictis documentis erutæ, d. Celebrationem ad obligationem Missæ pro Populo applicandæ, referre possent ; sive quia onus d. Missæ quotidianæ perpetuò adscribitur majori utriusque Ecclesiæ Altari, cum tamen sit indubium, Parochos in vim proprii muneris, obstrictos licet esse ad Sacrificium pro suis ovibus offerendum, hanc nihilominus obligationem, veluti personæ inhærentem, loco, & Altari circumscriptam minimè esse : Sive fortius quia idem onus quotidianæ Missæ usque ad annum 1681. pro utraque Ecclesia nulli peculiari obligationi, vel dispositioni tribuitur ; nec nisi a dicto anno quoad Ecclesiam S. Mariæ Catholicæ, & ab anno 1707. quoad Ecclesiam S. Nicolai de Latinis in obligationem Curæ refundiatur : In re autem, quæ Parochos non pinguibus, ut alias retuli, donatos reditibus, nimis gravat ad consuetudinem immemorabilem constabiliendam, nihil valent incertæ, & ambiguæ, sed concludentissimæ potius, univocæque conjecturæ communi Doctorum opinione sunt necessariæ.*

Addit, quod etsi consuetudo satis probata foret, nihilominus non esset attendenda post Constitutionem fa.mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, qua *sublata diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate*, declaravit, *satis esse posse, dum ii, qui animarum Curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum festis diebus de præcepto ;* Præsertim quia Parochi in sui exonerationem proferunt judicium Episcopi, qui immediatè post dictam Constitutionem declaravit, *ipsos*

sos ad applicationem Missæ pro Populo non quotidie, sed in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto tantùm per girum teneri.

Fusius hac de causa actum est in foliis dierum *16. Junii* 1770., & *26. Januarii* præsentis anni, quæ, si placet, poterunt opportunè resumi. Quæ ad rem, de qua modò agitur, pertinent, habentur ex actis Visitationum, & a nova Vicarii Apostolici relatione, quæ paulo accuratius transcripta sunt, ut iis perspectis Emi PP. definiant.

An Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur Missam applicare quotidie, vel tantum Dominicis, & festis diebus in casu &c.

Die Sabbathi 3. Augusti 1771. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ISTæ sunt, quæ EE. PP. judicio decidendæ subjiciuntur Causæ, quarum merita, & statum tum ex folio præcedentis Congregationis, tum ex hodierno, quod circumfertur, folio deprehendent.

ROMANA, SEU TUDERTINA.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.* *Sess. 23. cap. 18 de Reform.*
II. *An Clericus Joseph Ceva sit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Lassi, in casu &c.*
III. *An constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda, in casu &c.*

Ad I., II., & III. Dilata, & coadjuventur probationes.

FANEN. SUBSIDII DOTALIS.

I. *An decretum bon. mem. Episcopi Dolsi sit exequendum, in casu &c.* *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*
II. *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis, in casu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Negative.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ.

An, & cui sit adjudicanda Capellania, in casu &c. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Dilata.

Sess. 23. cap. 12. de Reform.

URBEVETANA CANONICATUS.

An, & quæ Supplicatio sit signanda, in casu &c.

Signandam esse Supplicationem Clerici Frediani.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

NEOCASTREN. MISSÆ PRO POPULO.

An Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur Missam applicare quotidie, vel tantum Dominicis, & Festis diebus, in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess. 24. cap. 17. de Reform.

SIGNINA BENEFICII. Beneficium erectum in rurali Ecclesia diruti Castri Plumbinariæ unum est ex illis numero pluribus, quæ ad extinguendas lites super horum collatione exagitatas inter Episcopum Signinum, ac Baronem Feudi Vallis Montanæ san. mem. Urbanus VIII. primum suppressit, ac deinde per literas Apostolicas die 18. Martii 1638. ex integro erexit cum juribus universis. & *cum iisdem servitiis, & oneribus antea cuilibet eorum incumbentibus*, collato in eumdem Baronem illorum Jurepatronatu. Idemque Beneficium illud est, de cujus oneribus san. mem. Innocentius X. ad preces Principis Camilli Pamphilii Patroni declaravit = *Omnes, & singulas Missas, quarum celebratio in Ecclesia, seù Capella prædicta ad illius pro tempore Rectorem, seù illam obtinentem ex fundatione, & alias quomodolibet incumbit, per se ipsum personaliter in eadem Ecclesia, se Capella celebrare, & obligatus existat, aliquin obligationi celebrandi Missas hujusmodi nequaquam satisfacere censeatur.*

Ex hac indeterminata onerum expressione existimavit Affectuarius Plumbinariæ cogi posse Capellanum ad Missæ celebrationem singulis diebus festis, atque idcircò res ad forum judiciale anno 1707. deducta fuit, sed litis exitus ignoratur. Constat tamen aliquas pro parte Beneficiati exhibitas fuisse attestationes circa observantiam, quæ inter monumenta Causæ recensentur, illudque etiam certum est, quod in literis Apostolicis collationis Beneficii anno 1661. expeditis, expressum legitur onus Capellano inhærens celebrandi per se ipsum, in hæc verba = *Et quam pro tempore obtinenti nonnullas Missas per se ipsum in eadem Ecclesia, seù Capella celebrandi onus incumbit* = Sed nullum vel de fundatione, vel de Beneficii dotatione, aut de Mis-

sa-

farum numero, aut de diebus, quibus ea celebrari debuissent repertum fuit documentum.

Hujusmodi Beneficium collatum fuit Sacerdoti Sebastiano Bertarelli, dum studiorum causa in Urbe moraretur, qui a Sacra Congregatione anno 1768. obtinuit facultatem *ad biennium* Missarum oneri per alium adimplendi, *dummodò Missæ celebrentur diebus præscriptis, & consuetis*. Cum verò dictus Sacerdos Bertarelli provisus postea fuerit de Parochiali Ecclesia S. Stephani Terræ Vallis Montanæ, deindeque translatus ad Archipresbyteratum Collegiatæ Ecclesiæ ejusdem Terræ, incertus proinde de incompatibilitate Archipresbyteratus cum beneficio, nonnulla declarari postulat, quoad onera eidem Beneficio inhærentia, exhibetque dubia in calce transcripta, de quibus EE. VV. judicium expectat.

Inquit ad I. nihil certi asseri posse, vel de quantitate Missarum, vel de tempore, quo illæ celebrari debeant; deficiente autem fundatione, omnem pro beneficii libertate militare præsumptionem *A.Leon. de off.Capel.quæst.1.sect.4. num.95.*, *Rot.decis.321. num.42.par.9. tom.2.Recent.*. Neque huic regulæ refragari literas Apostolicas Summorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X., & Alexandri VII., in quibus Missarum celebratio recensetur, quia cum se referant ad onera ex fundatione Beneficio inhærentia, conditionaliter tantùm sunt intelligendæ, quatenus, scilicet, onus aliquod eidem Beneficio inhærere constiterit, non tamen ullum onus in iis præscriptum, aut additum censeri *gloss. fin. in Leg. Si is, ad quem ff.de acquir. hæred.*, *Ramon. conf.303. quad 7. num.6.*, *Rot. decis. 15. num.5. coram Duran.*

Quod si ex Apostolicis Literis onus aliquod Beneficio inhærens desumi vellet, hoc tamen nonnisi genericè fieri posse sustinet. Onus autem qualecumque genericum, & indefinitum, deletum remansisse ex negativa observantia, quæ per quadragenarium tempus protracta sufficit ad Beneficii statum, & indolem immutandam *Cap. Cum de benef.5. de Præbend.in 6.*, *Garz. de Benef. par.6.cap.10. num.37.*. Asserit tres Capellanos, aliquibus tantùm Dominicis, Festisque diebus, & quidem etiam per alium, Missas in Ecclesia Plumbinariæ celebrasse; insuperque occasione collationis Beneficii factæ anno 1707. favore Persii Ferrante, suspensam fuisse dicit Bullarum expeditionem, eo quia Episcopus instabat, ut adjiceretur conditio celebrandi singulis diebus Festis; sed re maturè perpensa absque ulla conditione postea fuisse expeditas: Atque hinc desumit vim maximam observantiæ, eamque in contradictorio judicio probatam affirmat *Roc. disp.jur. select. cap.167. num.3.*, *Rot. decis. 367. num.7. coram Caprar.*

Addit, nec Episcopos, nec Rev. Fabricæ Commissarios in-

ſtetiſſe unquam pro oneris implemento, quod nec in Tabella, nec in Libris fuit unquam deſcriptum. Advertit præterea tria Beneficia, inter quæ illud, de quo agitur, fuiſſe a fan. mem. Urbano VIII. ſuppreſſa, deindeque primævæ erectioni reſtituta, ac de omnibus idem ferendum eſſe judicium: Cum autem alia duo Beneficia nulli Miſſarum oneri ſubjecta ſint, nullum quoque onus huic Plumbinariæ beneficio impoſitum præſumi; maxime ob tenuem illius reditum, qui vix ad ſcuta 43. pertingit.

Hiſce autem præmiſſis, ait ad II. inanem eſſe quæſtionem, utrum Beneficii poſſeſſor onera per ſe ipſum adimplere teneatur. Cæterum quatenus etiam aliquod Beneficio onus inhæreret, contendit, illud per alium poſſe ſatisfieri; Abſque eo quod oppoſitum ſuadeant Apoſtolicæ Literæ Innocentii X., & Alexandri VII., cum ſubſequuta obſervantia ad annos centum, & ultra protracta quodlibet onus ſuſtulerit: Ea enim eſt vis centenariæ, ut præſumptionem inducat novi Pontificii reſcripti præcedentis deſtructivi *Merlin. deciſ. 593. num. 26. & ſeq.*, *Rot. deciſ. 268. n. 18. & 19. par. 12. Recent.*

Ad III. denique aſſerit, diſpenſationem ſaltem ſibi eſſe concedendam etiam ob redituum tenuitatem, cum obuli triginta pro unaquaque Miſſa Sacerdoti celebraturo perſolvi debeant, nec Orator per ſe ipſum poſſit onera adimplere, cum ratione Archipresbyteratus, quem poſſidet cum Cura Animarum, Miſſam pro Populo applicare, ſtatutiſque horis Choro intereſſe teneatur, itaut impoſſibile ei ſit ad Eccleſiam Plumbinariæ accedere, quæ tribus milliariis a Terrà Vallis Montanæ diſtat. Profert denique propria merita, neceſſitatem incumbendi Curæ Animarum, ad quam communi omnium voto, ac plauſu electum ſe dicit, memorat judicium Epiſcopi, quibus omnibus perpenſis diſpenſationem pro retentione Canonicatus conceſſam fuiſſe dicit in *Leodien. Indulti 4. Julii 1739.* Hanc autem diſpenſationem eo magis in præſenti caſu aſſequi poſſe confidit, quia nec de Miſſarum onere, nec de tempore, aut loco celebrationis conſtat, immò Capellaniæ indoles, longique temporis obſervantia utrumque excludunt.

Epiſcopus hæc habet = *In his autem dubiis, facti circumſtantiis, & ne aliqua poſſit oriri incompatibilitatis ratio ejuſdem Beneficii cum Cura Animarum, ſi quomodò eidem Beneficio celebrationis onus inhæreret in aliquibus diebus Feſtis, recurſum habet idem Orator, ut facultas celebrandi per alium indulgeatur, quam permittendam cenſerem, dummodo prout hactenus ab ipſo factum eſt, in omnibus Dominicis, & feſtis celebratio habeatur; pro quo potiſſimum obtinendo effectu ad obligationem particularem in actis hujus meæ Curiæ adigendum eſſe per EE. VV. exiſtimarem. Sic enim provideretur prætereuntium, & Cultorum*

Te-

Tenuitæ commoditati audiendi Sacrum omnibus diebus Dominicis, & Festis, sic majori Ecclesiæ honori, sic denique in provisionibus futuris ejusdem Beneficii aliqua daretur norma eorum celebrationis, quæ adhuc in obscuro persistiunt quad numerum, & tempus, quod profectò in causa fuit, ut elapsis temporibus de adimplemento quæstio semper exorta fuerit, sed nunquam absoluta.

Patronus etiam consentit, ut per alium Sacerdotem Missarum celebrationi impleatur, attenta morum probitate, qua pollet Orator Bertarelli, *dummodò tamen pro futuris vacationibus non transeat in exemplum, quoad substitutionem tantum, non vero quoad inducendam certitudinem Missarum in omnibus diebus Festis.*

Quamvis ob deficientiam erectionis Capellaniæ, de istius oneribus apertè cognosci, ac certò judicari non possit; nihilominus Apostolicæ Literæ san. mem. Innocentii X. existimare compellunt, aliqua Missarum onera eidem revera ex fundationis lege inhærere. Præsumptionem enim inducunt, notam tum fuisse fundationem Summo Pontifici, eamque certa onera Missarum a Capellano adimplenda perscribere; ad celebrationem verò, quæcumque ea sit, per se ipsum Capellanum teneri.

Id ergò tantummodo inquirendum supereſt, quot scilicet Missas, quibusque diebus, in rurali Ecclesia Plumbinariæ Capellanus celebrare teneatur. Conjecturis hic locus esse videtur, atque aliquali provisioni, quæ justitiæ, æquitatique conjuncta sit, qualis decet, & ab EE. PP. præ oculis haberi solet. Censetur autem, Fundatorem se conformasse universali consuetudini, qua in Ecclesiis ruralibus ob Agricolarum commodum, diebus Dominicis, & Festis Sacrum celebrari consuevit, quando de contraria voluntate non constet *Constantin. Vot. decis. 35. num 13. tom.1.* Reditus verò Capellaniæ, a quo Missarum numerus commensurari debet, normam aliquam præbere potest pro illarum quantitate præfinienda. De observantia demum EE.PP. dijudicent, an ea pacifica fuerit, & rationabilis, seu potius Capellanorum arbitrio, & negligentia inducta, & an interpretationem, vel præscriptionem inducere potuerit.

Quoniam vero in tertio dubio de dispensatione fit mentio, hinc quatenus Missarum onus per se ipsum a Capellano adimpleri debere definiatur, non immeritò de ea sermo erit instituendus. Beneficiorum pluralitatem improbari tanquam Sacris Canonibus inimicam ait *Fagnan. in Cap. Quia in tantum de Præben. num.2.* innixus dispositioni *Cap. De multa, Cap. Presbyteros 16. quæst.1., Cap. Sanctorum 70.*, ac multas enumerat causas, ob quas plurium Beneficiorum retentio vetita fuerit; & latè *Ferrar. in Biblioth. verb. Beneficium artic.6. num.1. & seq., Concil. Trident. sess.7. cap.4.*, & *sess.24.*

& sess. 24. cap. 17. de Reform., ex quo decreto arguit *Fagnan. in Cap. Cum jamdudum de Præben. num. 32.* plurium etiam simplicium Beneficiorum retentionem absque Apostolica dispensatione esse interdictam.

Incompatibilitas exurgit ex retentione Beneficii cum Cura Animarum, ratione oneris, & residentiæ, quæ licet sit discontinua, nihilominus tunc solum alterius Beneficii compatibilitatem admittit, quando utriusque Beneficii onera possunt ab eodem Beneficiato diversis temporibus adimpleri, ut, pluribus allatis DD. sententiis, ait *Rigant. ad Regul. I. Cancellar. §. 8. num. 15.*, *Rota in Mediolanen. Canonicatus 2. Julii 1716. §. Accedente coram Scotto*, *S. Congregatio in Narnien. 2. Decembris 1708. ad IV. Dubium*, *& in Neapolitana Capellaniarum 14. Aprilis 1735.* proposito dubio I. = *An Capellani, de quibus agitur, possint obtinere Beneficia Curata, vel Æconomias Ecclesiarum Parochialium, aut incumbentias excipiendi Confessiones Monialium, vel alia onera cum celebratione Missarum incompatibilia acceptare, satisfaciendo per Substitutos oneri prædictarum Missarum* = Responsum fuit = *Ad I. Negativè, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione Missarum per se ipsos.* Hinc ponderandum, an Capellania, quam possidet Orator, personalem celebrationem requirat, & incompatibilitatem inducat: quo casu duplici videtur ideò Orator dispensatione indigere, una scilicet, qua facultas ei tribuatur duo incompatibilia Beneficia retinendi, altera verò, qua Missarum oneri per alium satisfacere eidem permittatur.

Circumspecta Summorum Pontificum providentia dispensare super incompatibilium retentione non solet, nisi concurrentibus causis relatis a *Rigant. in Comment. ad Reg. I. Cancell. §. 8. num. 40.*, *& a Ferrar. in Biblioth. verb. Beneficium artic. 6 num. 41.*, scilicet concurrente necessitate Ecclesiæ, magna illius utilitate, & evidenti meritorum prærogativa. Causæ hujusmodi desumuntur ex *Cap. Tali 17. caus. 1. quæst. 1.*, ubi recensentur in hæc verba = *Nisi fortè eos, aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet* = Viden. *Fagnan. in Cap. Quia in tantum de Præben. num. 10.*

Omnibus igitur assueta maturitate perpensis, dignentur EE. PP. definire

I. *An, & in qua quantitate, & quibus diebus celebrari debeant Missæ in Ecclesia Rurali Plumbinariæ, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

II. *An celebratio Missarum fieri debeat a Rectore per se ipsum, seu potius expleri valeat per alium, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè ad primam partem, & negative ad secundam

III. *An*

III. *An sit locus dispensationi, in casu &c.*

Ad I. Celebrandas esse Missas singulis diebus Dominicis, & Festis de præcepto. Ad II. Celebrationem expleri debere a Rectore per se ipsum. Ad III. Affirmativè.

VELITERNA PERMUTATIONIS. In Testamento, quod anno 1717. condidit Eques Cæsar Toruzzi, instituta Hærede usufructuaria Catharina Ulissæ Uxore, proprietatem reliquit Capellæ S. Antonii Patavini erectæ in Parochiali Ecclesia S. Mariæ de Trivio Civitatis Velitern æ, ea lege, ut detractis ab annuo reditu omnibus expensis pro prædiorum manutentione necessariis, quidquid supereset, in celebrationem Missarum erogaretur. Ne autem pia hæc voluntas futuris temporibus commutationis aleam subiret, neque hæreditatis bona detrimentum paterentur, prohibuit *qualsivoglia vendita, alienazione, distrazione, o permuta de terreni lavorativi, o di diretto Dominio di Vigne, cioè Terreno di Vigne, Prati, e Vigna privata, ed altre cose, compresovi il Palazzo, con tutto il mio avere, spettanti alla mia Eredità, perchè questa è la mia intenzione, e perchè così voglio*, & paulo inferius addidit = *Non voglio, che il Superiore, o Camerlengo, che saranno in qualsivoglia tempo di detta mia Capella possino in qualsivoglia modo, e sotto qualsivoglia pretesto, etiam con Breve Apostolico vendere, o incanonare, o permutare etiam con utile grandissimo, ed evidente della sudetta mia Capella, la detta mia Vigna . . . . . , e tal proibizione s'intenda sempre, ed in perpetuo durante il Mondo, ed in infinito fatta, e repetita, e cada anche sopra tutti gl'altri miei Beni stabili di qualunque sorte posti, e situati in qualunque luogo*. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Inter cætera hæreditatis bona reperitur Domus a Testatore, dum viveret, inhabitata, quæ cum adnexo Horto locata est pro annuo censu scutorum quatuor supra quadraginta. Hanc Domum seorsim ab Horto acquirere cupiunt Julius, & alii Fratres Coluzzi, exhibentque cessionem annui census scutorum 18. 76., quem a Communitate Velitern a pretio scutorum *695.* emerunt; nec non octo loca Montium annui reditus scutorum 24., quibus addita pensione Horti, constituitur summa scutorum 44. 76. Quod si census assignatio minus tuta videatur, exhibent tot loca Montium, quæ fructibus Census respondeant. Quemadmodum verò obstat Testatoris præceptum, idcirco pro commutatione illius voluntatis preces obtulerunt.

Hanc autem commutationem, ut facilius assequantur, nihil obstare dicunt Constitutionem Pauli II. in Extravaganti

ganti *Ambitiosæ* inter communes *de rebus Ecclesiæ non alienandis*; nam ab ea passim recedi affirmant, quando alienatio in evidentem vergit Ecclesiæ utilitatem *Cap. 1. de reb. Eccles. non alienan.*, *Dec. consil. 142. num. 1. volum. 2.*. Maximè si res sit de commutatione, quæ impropriè tantum alienationis nomine intelligatur, nec ulla fiat injuria aut Apostolicis Constitutionibus, aut Testatoris voluntati, cum nihil interfit num ab uno potius, quam ab altero fundo idem emolumentum Ecclesia percipiat. Utilitatem verò piæ causæ desumunt tum ex reditus augumento in annuis obùlis 76., tum etiam ex qualitate bonorum, quæ in permutatione exhibentur, cùm magis tuti sint census, & loca Montium, quam quidquid retrahi potest aut ex pretio, aut ex pensionibus Domus, quæ vel decremento, vel amissionis periculo sunt obnoxiæ.

Neque obesse putant præceptum Testatoris de non alienando etiam *con Breve Apostolico*. Advertunt enim, illud ad Vineam tantum fuisse directum, nec trahi posse ad Domum, quæ nonnisi quam sub generali omnium bonorum prohibitione comprehenditur. Hujusmodi verò prohibitionem in consilium resolvi, nec tanti ponderis esse, ut Pontificis animum a concessione petitæ facultatis retrahere valeat, quando præsertim contractus noscitur Ecclesiæ profuturus.

Administratores Capellæ vehementer instant, ut ineundi contractus facultas concedatur, tum quia Domus dislocationibus est obnoxia, tum quia difficile admoduni est a pauperibus illius conductoribus pensiones exigere, tum etiam quia plurimum pro sarcitionibus impendi debet, cum ab anno 1746. ad annum 1769. conspicua summa scut. 273. 42½ fuerit in eam causam erogata.

Emus Episcopus in sua relatione, quæ inter Causæ monumenta recensetur, postquàm facti seriem, nonnullasque rationes exposuit, rem totam sapienti EE. VV. judicio subiicit.

Bonorum Ecclesiæ alienationes etiam lato modo sumptas, pluribus Conciliorum decretis, ac Summorum Pontificum Constitutionibus vetitas esse dignoscitur. Eas nihilominus ex justa, & rationabili causa Romanus Pontifex permittere consuevit *Cap. 1. de reb. Eccles. non alienan.*, *Clement. unica eod. tit.* Quod si hominis prohibitio superaccesserit, tunc alienandi facultas difficilius solet impertiri *Amostaz. de cons. pii lib. 1. cap. 14. num. 12. & 18.*, *Piton. de controv. Patron. allegat. 30. num. 5.*, *Rot. dec. 114. num. 30.*, *& 51. part. 9. recen.* quia decedentium voluntas nonnisi rarò; & quando magna Ecclesiæ utilitas, vel necessitas urgeat, debet immutari *Fagnan. in Cap. Dudum de elect. n. 28.*, *Fargn. de Jurepatr. part. 2. cons. 21. caus. 5. num. 10.*. Quamcumque tamen hominis prohibitionem spernendam existimat

mat *Passerin. de Stat. homin. tom.* 1. *quæst.* 181. *num.* 509., si nulla honesta, & laudabili causa nitatur, ne Ecclesiæ deterioris sit conditionis, quam hæredes extranei, quibus a prohibitione recedere ea deficiente permittitur *Leg. Pater* 36. *§. Julius Agrippa ff. de legat.* 3.

Ponderandum igitur, an præsentis contractus utilitas tanta sit, ut causam præbeat commutandi dispositionem Equitis Toruzzi. Videndum qui nam fuerit demendatæ prohibitionis finis, & an desumi valeat ex testamenti verbis, quibus declaravit *che cascando tutto, o parte del mio Palazzo, o parte, o tutte delle mie Case, ed anche cascando tutta, o parte della mia Cappella, si debba rifare con li frutti della mia Eredità, e questo s'intenda sempre, ed ogni volta succederanno detti casi, acciò detti stabili, ò risarcimenti di essi debbano stare intatti in perpetuo durante il Mondo, ed in infinito, ed in detti casi si diminuisca il numero delle Messe.*

Sacra Congregatio juxta varias rerum circumstantias alienationes quandoque denegavit ut in *Firmana venditionis horti* 2. *Augusti* 1749., aliquando verò fieri permisit, ut in *Theatina alienationis* 5. *Martii* 1735. *ad II. Dub.*, & in duriori casu in *Bononien. Beneplaciti* 28. *Martii* 1744., ubi prohibitioni Testatoris dissensus etiam accedebat hæredis substituti.

Vestrum nunc erit EE. PP. declarare.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Cæsaris Toruzzi, quoad alienationem Domus, de qua agitur in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

MINDONEN. DISPENSATIONIS. Matrimonio, quod contracturus erat Nob. Juvenis *Vincentius Maria de Luazez, & Somoza* cum nobili Puella *Raphaela de Presno & Parga*, duo obstabant canonica impedimenta, nempè consanguinitas in tertio, & quarto gradu, ac pupillaris Raphaelæ ætas, quæ duodecimum annum nondum compleverat. Actum proindè fuit de perficiendis Sponsalibus sub conditione Apostolicæ dispensationis; Hac deindè obtenta, cum interim ad legitimam ætatem Raphaela pervenisset, exeunte mense Martio anni 1769. Matrimonium in faciem Ecclesiæ contractum fuit per Procuratorem, dum Vincentius Palentiæ apud Episcopum Patruum degebat, Raphaela autem cum Matre sua commorabatur in Oppido Vivarii, quod in Diœcesi Mindonien. situm est, & quinquaginta circiter Leucis distat a Civitate Palentiæ. *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Refor. Matrim.*

Postea, ter Sponsus Vivarium accessit salutatum, visendamque Sponsam, mense nimirum Decembris 1769., eaque vice triduum ejus Domi moratus est; Secunda vice mense Februarii 1770. aliud biduum cum ea commoratus est, ac demum mense Aprilis ejusdem anni, quo tempore nec per

integrum quidem diem Vivarii mansit. Mindonium subinde reversus Vincentius, ac violenta febre correptus, diem obiit supremum mense Julii, quo Nuptiarum solemnitas fuerat indicta.

Ex hoc eventu Familiæ de Luazez conspicuos sumptus pro Matrimonio a defuncto Vincentio initos repetere posse putabat, sed restitutioni haud ita facilem se præbuit Familia de Presno. Hinc gravissimæ lites, jurgia, & inimicitiæ orituræ prævidebantur. Ad hæc avertenda mala placuit consilium de Matrimonio contrahendo inter eamdem *Raphaelam & Emanuelem de Luazez* defuncti Vincentii germanum Fratrem. Ambo itaque preces SSmo Domino Nostro porrexerunt pro dispensatione ab impedimento *publicæ honestatis*, iisque ad hanc Sac. Congregationem remissis, cum dudum pervenerit relatio Episcopi Mindonensis, & Processus ab eo confectus, de petita idcircò dispensatione agendum modò est.

Qui Oratoribus patrocinatur, totus est, ut suadeat, primum Matrimonium ratum tantummodò fuisse, non consummatum, nec aliud proindè obstare impedimentum, quam *publicæ*, ut vocant, *honestatis*. Id autem patere inquit ex actis, ex quibus constat, ob nimiam teneram, gracilemque structuram corporis Raphaelæ, ultro Conjuges de protrahenda coniugali cohabitatione consensisse. Constare insuper, defunctum Vincentium tribus tantum vicibus sub eodem Uxoris tecto mansisse, absque eo quod ullus inter eos mutuus Coniugalis amplexus intercesserit, cum Vir in separato lecto, dissitoque cubiculo noctu cubaverit, Uxor verò dormierit cum Famula, quæ ostium diligenter observaverat, nec nisi postridiè recludebat: Diurno autem tempore expositos semper fuisse oculis Comitantium, qui ab eorum latere nunquam discesserunt.

Addunt ab experimento die 9. Aprilis currentis anni peracto, compertam fuisse Raphaelæ Virginitatem ab honestis Matronis, quæ jurejurando affirmarunt, ne minimum quidem læsæ virginitatis indicium apparuisse: Et de hac Raphaelæ Virginitate publicam invaluisse famam, quæ adhuc perseverat.

Nec deesse justam concedendæ dispensationis causam, quam repetit ex litibus, & dissentionibus, quæ non solum inter utramque Familiam, sed etiam inter conjunctos, & adhærentes futuræ erunt, nisi optatum Conjugium sequatur. Ex stylo autem Datariæ dispensationem præcipuè concedi sustinet *ad sedandas lites, & ob inimicitias*.

Impedimentum *publicæ honestatis* definiri vulgò solet = *Propinquitas jure Ecclesiastico oriens ex Sponsalibus, aut ex Matrimonio rato*. Quamvis autem disputatum olim fuerit, an ex Matrimonio rato per verba de præsenti, sed non consummato, oriatur impedimentum *justitiæ publicæ honestatis*, vel potius *affinitatis*, nihilominus primo dictum impedimentum dum-

dumtaxat consurgere constat ex declarationibus Sac. Congregationis apud *Gallemart. in Concil. Trid. sess.24. cap.3. de Reform. Matrim. Rebell. deoblig. just. part.2. l.4. in append num.106., Guttier. de Matrim. cap.103. num. 24.* Hujusmod vero impedimentum *justitiæ publicæ honestatis* latius protenditur, quando provenit ex Matrimonio rato, & non consummato, quam si ex sponsalibus tantum oriatur, quæ si valida sint, tunc primum gradum non excedit, *Concil. Trident. d. sess.24.cap.3.de Reform.* .At quando oritur ex Matrimonio rato, sive hoc validum sit, sive non, [dummodo tamen non fuerit nullum ex defectu consensus) ad quartum usque gradum inclusivé protrahitur juxta *Constit. S. Pii V. incipien. ad Romanum*.

Primum itaque in præsenti casu inquiri debet, an Matrimonium Vincentium inter, & Raphaelam ratum tantummodò fuerit, itaut impedimentum solum *publicæ honestatis* induxerit; vel etiam consummatum, itaut aliud quoque superaccesserit *affinitatis* impedimentum, ex quo difficilior dispensatio reddatur. Hac de re pervoluenda sedulò sunt acta, atque attentè examinandæ Testium qualitas, locutiones, & dicta.

Ex Concilio Tridentino *d. sess.24. cap.5. de Reformat.* hæc habentur = *In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam*. Hinc perpendendum ulterius erit, an quæ afferuntur, causæ tanti sint, ut dispensationem concedendam suadeant. Hujusmodi dispensationes, qualibet tamen secluſa suspicione de Matrimonii consummatione, quandoque Sac. Congregatio concessit; illas verò semper denegavit, quoties aliquod de consummatione dubium, & prudens aliqua suspicio adesset, ut cæteris prætermissis, novissimè contigit in *Acheruntina dispensationis 16. Iunii* 1770., & 8. *Junii nuper elapsi*.

Episcopus Mindonen. in sua relatione Oratorum precibus favet tum quoad exclusionem consummationis Matrimonii, de qua ita sermonem concludit: *talche in quanto a questo particolare sembrami, che esser non vi possa il menomo dubbio*; quam etiam quoad justam dispensandi causam, desumptam ex litibus, dissentionibus, & inimicitiis probabiliter exorituris. An autem hæc justam dispensationi causam præbeant, dijudicent Emi PP., a quibus quæritur.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in primo publicæ honestatis ex Matrimonio rato, & non consummato in casu &c.

FAVENTINA TRASLATIONIS. Rurales Inter Ecclesias ampli Territorii Brixichellæ Faventinæ Diœcesis recensetur Parochialis sub invocatione S. Mariæ de Rontana sic nuncupata a finitimo Monte *Rontana*. Hæc amplos *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

ſuos limites protendit ultra Regionem nuncupatam *Angognano*, in qua ab antiquiſſimo tempore plures familiæ, & incolæ propriam domum habent, & continuo morantur. Tanta eſt hujus Regionis *Angognano* diſtantia a Parochia, ut illius incolæ ne audiant quidem ſignum Parochialis Eccleſiæ, quin imo tum propter impervium, & difficile iter, quam ob intermedium Montem *Rontana*, valde difficilis iis ſit ad Parochialem Eccleſiam acceſſus ad Sacra audienda, Sacramentaque percipienda. Qua de re jam uſque ab anno 1645. *Oliverius Padovani* incola ejuſdem Regionis Angognano publicum ibi extruxit Oratorium ſub titulo *S. Joannis Baptiſtæ*, ejuſque germanus Frater *Dominicus Vincentius* ſequenti anno 1646. publico inſtrumento Capellaniam erexit ad Altare dicti Oratorii cum onere ſex Miſſarum in qualibet hebdomada, relicto jurepatronatus favore familiæ Padovanæ.

Verum translato a Padovanis domicilio ad aliam Parochiam S. Hilarii in eodem Territorio Brixichellæ erectam, Sacerdos Raphael Padovani hodiernus Capellanus, variis expoſitis cauſis, gratiam a SSmo Domino Noſtro obtinuit ad quinquennium pro translatione dictarum Miſſarum ſex a prædicto Oratorio S. Joannis Baptiſtæ ad alterum Sacellum S. Joſephi erectum infra fines dictæ Parochialis Eccleſiæ S: Hilarii. Gratia hæc vix innotuit incolis *Angognano*, & Archipresbytero *Rontanæ*, ut ſtatim hi querelas detulerint ad SSmum Dominum Noſtrum, quæ cum ad S. Congregationem cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis ablegatæ fuerint; Nunc de juſtitia, & validitate quæritur ejuſdem translationis.

Inquiunt Incolæ Regionis *Angognano*, & cum eis Archipresbyter Eccleſiæ Parochialis *de Rontana*, ex clara Fundatoris lege Sacra in Oratorio S. Joannis Baptiſtæ agenda eſſe: Vetitam idcirco a jure eſſe eorum Sacrorum translationem ad aliud Oratorium S. Joſephi fere per quinque milliaria diſſitum *Clem. quia contingit de Relig. domib.* Potiſſimum quia in caſu res eſt de publico Oratorio ad communem Incolarum *Angognano* utilitatem extructo, nec non de Regione prædilecta, in qua Fundator domicilium habuerat, & demum quia grave irrogatur præjudicium dictis incolis non tam ob jus quæſitum per longum ſpatium annorum 150., ſed etiam ob nimiam diſtantiam, & impervium iter ad Eccleſiam Parochialem, ita ut nonniſi difficilime, maximoque cum incomodo etiam diebus feſtis ad eam poſſint accedere.

Hinc arguunt, translationem penitus eſſe irritandam. Eam aperte ſecumferre commutationem voluntatis Fundatoris, quæ numquam in tertii præjudicium indulgenda eſt, quæque ſaltem nonniſi neceſſaria, & juſta urgente cauſa largiri debet. Nullam translationis neceſſitatem adeſſe, cum Oratorium S. Joannis Baptiſtæ idoneum ſit, ac ſufficienter in-

instructum, & reditus Capellaniæ annua scuta 200. excedentes longe exhuberent ad onus ferendum sex Missarum singulis hebdomadis: Expositas vero causas non tam falsas esse, quam etiam ineptas ad translationis gratiam, cum merum comodum Capellani respiciant, quod penitus spernendum est, præsertim quando, prout in casu, Fundator onus celebrandi per se ipsum non injunxit, ita ut comode etiam per alium onera Sacrorum in designata Ecclesia implere valeat.

Perperam vero excipi, idem semper futurum suffragium sive in uno, sive in altero Oratorio Sacra peragantur, quia Fundator non simpliciter onus Missarum injunxit, sed etiam Oratorium S. Joannis Baptistæ designavit, nec Fundatoris voluntatem impleri, nisi in designato Oratorio Sacra peragantur. Nec momenti esse, quod hodiernus Capellanus quoque sit compatronus: Ait enim Patronum a Fundatoris voluntate non posse deflectere, sed imo eo magis eam sartam, tectamque tueri debere. Nil demum referre, quod res sit de translatione temporanea ad quinquennium tantum, quia sive ad tempus, sive in perpetuum translatio fiat, semper redeat in apertam commutationem voluntatis Fundatoris, & in præjudicium incolarum *Angognavo*, maxime quia nihil inde facilius foret, quam ulteriori prorogatione ad longius tempus Sacra transferre. Hinc concludunt, obtentam translationem esse revocandam, prorsusque irritandam *l. 7. Cod. de precib. Imper. offerr., & Rot. in Romana celebrationis Missarum 13. Junii 1732. §. Quamquam coram Calcagnino.*

Addunt quoque, obtentam translationem obreptionis, & subreptionis vitio infectam esse, cum nullibi narratum vel comodum, vel necessitas, vel jus quæsitum Incolis *Angognani* in tam longævo spatio Annorum 150. Reticiti etiam fuerint conspicui Capellaniæ reditus annua scuta 200. excedentes, ita ut abunde per alium possit Capellanus in designato Oratorio Sacra implere; Contra vero falso suggestum fuerit, reditus Capellaniæ valde tenues esse, & Oratorem in provecta ætate constitutum, & curam habere propriarum neptuum. Unde advertunt, gratiam hanc ob suggestas falsitates, & reticitam veritatem penitus irritam, & nullam esse *cap. cæterum 3. de Rescript. in 6.*

Raphael hodiernus Capellanus licet pluries monitus nondum jura sua deduxit.

Episcopus Faventinus votum pro translatione pandidit, quia *idem pro defunctis suffragium, Oratoris ingravescens ætas, incomoda itineris ad Oratorium de Angognano, quod hyemali tempore sine vitæ discrimine cuicumque conficere vix datum est, petitionem Translationis æquam probant.*

Quamvis Fundatores ob excellentiam Sacrificii totum, idemque suffragium obtineant sive in una, sive in altera Ecclesia Sacrificium Missæ impleatur, ubi tamen certa Ecclesia de-

desiignata fuit, non aliter ipsorum voluntas integrum assequitur effectum, nisi in designata Ecclesia injuncta Sacra peragantur. Sacra itaque in certa Ecclesia præscripta ad aliam diversam transferenda non sunt tum ne Fundatorum menti injuria fiat, tum ne cultus prædilectæ Ecclesiæ quoquomodo imminuatur *Novar. in Manual. cap. 25. num. 134., Cevall. quæst. 686. num. 6. & Rot. in Romana celebrationis Missarum 13. Junii 1732. §. ex ipsa coram Calcagnino.*

Translationes idcirco Sacrorum ab una ad aliam Ecclesiam contra voluntatem Fundatorum, cum apertam commutationem præseferant, non aliter permitti solent nisi justa, & necessaria causa concurrat *sess. 22. cap. 6. de Ref.* Causa autem justa non ea est, quæ aliquam rationem secumferat, sed quæ necessitatem suadet commutationis voluntatis, cujus in isto casu interpretatio potius dicitur, quam integra, & absoluta mutatio: *Piton. de controv. Patron. alleg. 50. num. 1., Pignatel. cons. 148. nu. 4. tom. 4., & Sac. Congr. in Perusina 12. Maii 1764. §. Commutationes.*

Sacra Congregatio caute in hisce translationibus concedendis processit. Eam quippe rejecit semper ob tertii præjudicium, vel non concurrente necessaria, & justa causa, ut in *Æsina legatorum 21. Aug. 1700., in Ariminen. commutationis 14. Martii 1711., in Mediolanen., seu Ferentina Capellaniæ 23. Febr. 1715., in Regien. 5. Aug. 1719., in Neapolitana Cappellaniarum 16. Junii 1731. in Romana Translationis oneris Missarum 23. Julii ejusdem anni, in Ariminen. Translationis Capellaniæ 20. Decemb. 1732., in Neapolitana commutationis voluntatis 7. Febr. 1733., in Panormitana Translationis oneris Missarum 26. Febr. 1739., & in Comen translationis Missarum 15. Sept. 1764.*

Fundator *Dominicus Vincentius* voluit Sacrorum celebrationem in Oratorio S. Joannis Baptistæ erecto in Regione *Angognano*, in qua ipse moram trahebat una cum sua familia. Videndum, an pro suorum comodo ibi sacra injunxerit, ne ad audiendum Sacrum extra locum per longinqua vagare deberent. Item an ex longeva celebratione in dicto Oratorio ex voluntate Fundatoris habita, jus quæsitum sit incolis translationem impediendi, ex qua maximum sibi damnum, & incomodum obvenit. Demum ponderandum, an obtenta gratia translationis obreptionis, vel subreptionis vitio infecta sit.

Emi PP., qua ornantur juris sacri peritia, dignentur definire.

An tranlatio ad quinquennium oneris celebrationis Missarum sex in qualibet hebdomada ab Oratorio S. Joannis Baptistæ in Angognano Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Rontana ad Oratorium Divi Josephi subsistineatur in casu &c.

Die

Die Sabbathi 31. Augusti 1771. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Dilata ad hodiernam Congregationem fuit propositio trium, quæ sequuntur, Causarum, & de quibus actum fuerat in Folio præcedentis Congregationis habitæ die 3. labentis mensis Augusti. Has igitur, aliasque sex nunc additas, pro eorum sapientia dignabuntur EE. PP. definire.

VELITERNA PERMUTATIONIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Cæsaris Toruzzi, quoad alienationem Domus, de qua agitur, in casu &c. *Sess. 24. cap. 13 de Reformat.*

Negativè.

MINDONEN. DISPENSATIONIS.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in primo publicæ honestatis ex Matrimonio rato, & non consummato, in casu &c. *Sess. 24. cap. 5. d Reform. Matrim*

Negativè.

FAVENTINA TRANSLATIONIS.

An translatio ad quinquennium oneris celebrationis Missarum sex in qualibet hebdomada ab Oratorio S. Joannis Baptistæ in Angonano Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Rontana ad Oratorium Divi Josephi sustineatur, in casu &c. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Negativè.

ALE-

Sess. 21. cap. 2. de Reform.

ALEXANDRINA SUSPENSIONIS. Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Alexandrina anno 1622. erexit Alexander Gamalerus, præcepitque = *che il Canonico che sarà pro tempore eletto, e deputato a detto Canonicato sia, ed essere debba Cittadino originario di detta Città, ed in età, che secondo il prescritto del Concilio Tridentino possa almeno esser iniziato dell'Ordine del Suddiaconato, e di buoni costumi, letteratura, e prudenza fornito, venga approvato dal Presentatore.* Jus verò præsentandi ad hujusmodi Canonicatum familiæ suæ reliquit.

Vacavit Canonicatus mense Januarii 1768. per obitum Ludovici Gamaleri, & ad illum Guillelmus Gamalero Patronus præsentavit Sacerdotem Alexandrum filium suum. Renuit Curia Episcopalis præsentationem admittere, quia contendit, Patronatum non ad familiam Gamalero pertinere, sed ad Collegium Societatis Jesu, in quod Alexander Senior Gamalero omnia bona sua universali donatione transtulerat. Religiosi Societatis Jesu jura sua hac de re Curiæ Episcopali cesserunt, actaque deinde lite, declaratum fuit *doversi li detti Gamalero mantenere &c. nel possesso; o sia quasi della nomina attiva del Canonicato, di cui si tratta.*

Hoc non obstante Curia Episcopalis institutionem Sacerdoti Alexandro denegavit, eumque præterea suspensum declaravit ob causas in suis litteris ad Sacram Congregationem expositas, nempè ob non adimpleta onera Missarum suo beneficio, & legato pio adnexa, ob insufficientiam Patrimonii, cujus titulo fuit ad Ordines promotus, & ob alienationem bonorum ejusdem Patrimonii. Hinc Sacerdos Alexander ad Apostolicam Sedem provocavit, suasque exhibuit Sacræ Congregationi preces, tria infrascripta dubia definienda proponens:

Ad I. animadvertit, suspensionem vel ab homine indici, vel inferri a jure, vel a jure incurri. In suspensionem autem a jure latam neminem incidere, nisi in casibus a jure expressis *Cap. 11. de Sentent. Excommun. in 6. gloss. penultim. in fin.*, *cap. fin. de jurepatron.*, suspensionem verò ab homine latam non contrahi, nisi ob crimen grave, & in suo genere completum, atque etiam ob dolosam contumaciam, seu inobedientiam monitis, latisque præceptis *Cap. Sacro §. Caveat*, *Cap. Venerabilibus §. Porro de Senten. Excommun. in 6.* Infert itaque, onus Curiæ Episcopali incumbere legitimam suspensionis causam probandi.

Observat præterea, suspensionem ab Episcopo indictam nullitatis vitio laborare, tum quia canonica monitio fuit prætermissa, tum etiam quia verbis tantum inflicta, contra dispositionem Sacrorum Canonum, sub pœna suspensionis per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & a Divinis Officiis præscribentium, ut sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti in scriptis proferatur *C. Sacro approbante*,

se, & *Cap. Cum medicinalis de Senten. Excommun. in 6.*, *Vivald. in Candell. Aur. tit. de suspens. num.* 80.

Negat, suspensionem ullam incurrere potuisse vigore Synodorum Alexandrinæ Diœcesis anni 1617., & 1652. eam pœnam infligentium contra omittentes Missarum celebrationem, tum quia ipse Synodorum dispositionem ignoravit, tum etiam quia ipsæmet Synodus in hac parte abierint in desuetudinem. Additque, non ex malitia, sed ex necessitate celebrationem omisisse aliquarum Missarum, præsertim dum Taurini degebat, & fuit ab Episcopo suspensus, quia immanibus gravatus expensis haud potuit illarum celebrationem in designatis Ecclesiis alteri Sacerdoti committere. Denique probat, absolutionem, & compositionem a R. Fabrica S. Petri jam obtinuisse.

Quoad insufficientiam tituli Patrimonii, quæ secundo loco objicitur, notat, nullam ex jure canonico pœnam indictam esse contra Ordinatum, sed tantummodo contra Ordinantem *Cap. Cum secundum de Præben. num.* 6., *Barbos. ad Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 2. *num.* 67., & *de offic.*, & *potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 20. *num.* 27., *Gallemart. ad citat. Cap. Concil. Trident.*, *Faguan. in dicto Cap. Cum secundum num.* 63., & hanc semper fuisse Satræ Congregationis sententiam, ut refert Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 21. *num.* 15., dummodo tamen Ordinatus dolo, fictoque titulo Ordinantem non deceperit. Nec aliter decerni in Instructione Benedictina pro Regionibus Sardiniæ Regi subjectis exarata, quippe quia contendit, suspensionem in ea indictam consentaneam esse regulis Canonicis, & Tridentinæ sanctioni, quibus non fuit derogatum.

Asserit, omnem abfuisse dolum, aut fictionem, cum non in abscondito, sed publicè, & palam suum titulum probaverit, servatisque omnibus de jure servandis, nempe productæ capitalium, & redituum notula, rogatis Testibus, expletis proclamationibus, affixisque edictis citatorialibus, admissa demum sufficientis tituli probatione a duobus Judicibus, quos præsumi, nequit perpetuam suspensionem in Benedictina instructione indictam incurrere voluisse. Monet etiam, ipsum in obsequiis tunc fuisse Canonici Gamalero Patrui, qui omnia ad sui libitum moderabatur, omniaque peregit, quæ suæ ordinationis titulum respiciebant.

Cæterum affirmat, Testes tunc adhibitos probasse annuum bonorum fructum congruæ ejus sustentationi parem, illumque admisisse tunc temporis Ordinarium, probatumque etiam fuisse a Successoribus, nec per annos 14. in controversiam fuisse deductum. Nec obesse, quod in assignando titulo nulla habita ratio fuerit de oneribus Missarum, cum hæc ex reditibus beneficii, seu Capellaniæ detrahi non debeant *Piton. disceptat.* 40. *num.* 8. & 9. *tom.* 1. Subdit etiam

etiam; Patrimonii constitutionem ideò fuisse demandatam, ne promotus mendicare cogatur *Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.*, sed hujusmodi periculum abfuisse, quia Canonicus Gamalero Patruus sese obstrinxit congrua alimenta submini strare, si Orator integros fructus percipere nequivisset, & hanc subsidiariam obligationem fuisse ab Ordinario admissam.

Ad alienationem Capitalium quod attinet, fatetur quidem, trium censuum sortes a debitoribus fuisse restitutas; sustinet tamen restitutionem non sibi factam fuisse, sed Patruo, qui rei familiaris curam gerebat, & sub cujus potestate omnes de familia vivebant, idque ex Instrumentis, & Apocis de recepto constare. Existimat proindè adigi nequaquam posse ad reddendam rationem de censibus extinctis *Rot. in Firmana Census super redditione rationis* 14. *Aprilis* 1753. §. 18. *cor. Amadeo*, sibique contra debitores actionem pro eorumdem censuum recuperatione competere.

Post hæc locum esse putat tum absolutioni, de qua agitur in II. Dubio, tum etiam institutioni ad Canonicatum, quæ in III. Dubio proponitur. Ait enim se præditum qualitatibus a Fundatore requisitis, nimirum, Civem esse Alexandrinum, in legitima ætate constitutum, eique non deesse sufficientem scientiam, cum jam ad Sacros Ordines fuerit promotus. Maximè quia non agitur de Canonicatu vel Theologali, aut Pœnitentiario, nec Fundator aliam optavit scientiam, quam quæ reperiri posset in Clerico ad suscipiendum Subdiaconatum idoneo. Præditum etiam se dicit testimonio Parochi, Magistratus Civitatis Alexandrinæ, & Capituli Cathedralis, nullumque contra se processum, nullam monitionem, inquisitionem nullam peractam fuisse.

Perperamque opponi, quod dum Taurini degeret aleis, & ludo se dederit, officinas publicas frequentaverit, choræis interfuerit, & larvatus, crispaque coma incesserit. Hæc enim omnia simplici assertione probari dicit, nullamque inducere potuisse suspensionis pœnam, nisi trina canonica monitione præmissa, vel saltem, si necessitas postulasset, una peremptoria monitio præcesserit, quæ trinæ monitioni æquivaleret, *Cap. Sacro* 48. *de Senten. Excommun.*, *Cap. Romana*, *Cap. Statutum de Sentent. Excommun. in 6.* Quoad ludum affert sui favore testimonium ejus, qui præest officinæ, in qua lusisse asseritur, pluraque notat adversus Testes contra se inductos, præsertim quia nec juramento depositionem confirmarunt, nec in dicto convenerunt, & denique in istorum omnium exclusionem favere sibi dicit testimonium Parochi, in cujus districtu habitavit, & cujus Ecclesiam sæpius adiit.

Promotor Fiscalis nil hactenus deduxit, quamvis diù monitus, & expectatus, & meo decreto causæ propositio pro

ho-

hodierna Congregatione destinata fuerit. Rationes, quibus innititur, desumi poterunt ex satis prolixa Episcopi relatione, cui Alexander Gamalero obviam ire conatus est.

Certa res est, omniumque Doctorum firmata consensione, Synodales Constitutiones, nisi revocatæ fuerint, in suo robore permanere, quamvis Episcopus, a quo æditæ sunt, è vita discesserit, *Barbos. de Offic.*, *& potest. Episcop. part.3. allegat.93. num.23.*, *Fagnan. in Cap. Nobis 1. num.5. & seq. de Sentent. Excommun.*. Aliis tamen modis eædem Constitutiones vim amittunt, præsertim quando Episcopus eorum observantiam non urget, dissimulat, tacet, neque in transgressores animadvertit *Suarez lib.4. de Legibus cap.18. num.10. & 12.*, *Felin. in cap. 1. de treg.*, *& pac.*, *Bott. in tract. de Synod. artic.2. num.63.*

Quamvis itaque in Synodis Alexandrinis annorum 1617., & 1652. suspensionis pœna indicta fuerit contra Beneficiatos, qui per se, vel per alios Missas beneficiis inhærentes celebrare neglexerint, dubitari nihilominus potest de Synodorum observantia quoad hujusmodi pœnam, ex eo præsertim, quod in transgressores non fuerit animadversum. Videndum, an saltem excusatione dignus sit Orator, quillam ignoravisse affirmat, vel Missarum celebrationem non ex voluntate, sed ex necessitate omisit.

Quoad titulum ordinationis ponderandum, ex jure antiquo indictam fuisse suspensionis pœnam iis, qui absque titulo Sacros Ordines suscepissent *Cap. Neminem*, *& Cap. Sanctorum dist.70.*. Verum Innocentius III. in *Cap. Cum secundum de Præben.*, *& Dignit.* veterum Canonum rigorem moderatus est, sublataque suspensionis pœna mandavit *tamdiu per Ordinatores, vel Successores eorum provideri Ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur*. Concilium Tridentinum *Sess.21. cap.2. de Reform.* contra initiatos Sacris Ordinibus absque sufficienti titulo, pœnas veterum Canonum iterum innovavit per hæc verba = *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*. Sixtus V. *in Constit. Sanctum*, *& salutare* anni 1588. pœnam suspensionis a priscis sanctionibus inflictam iterum confirmavit, & Clemens VIII. in *Constit. Romanum Pontificem* an. 1595. iis terminis concluſit, qui Tridentina Synodo fuerant præfiniti *Barbos. in dicto Cap. Concil. Trident.*, *Fagnan. in Cap. Cum secundum de Præbendis num.67-68.*, *Benedict. XIV. Institut.26.*

Cum itaque disceptatum fuisset, an per illa verba Concilii Tridentini *Sess.21. cap.2.*, videlicet *Antiquorum Canonum pœnas innovando*, censeatur innovata pœna indicta in *Cap. Neminem*, *& in Cap. secundum dist.70.*, itaut qui post Tridentinum sine titulo Ordines suscepisset, suspensus, & si ministrasset irregularis evasisset, Sacra hæc Congregatio *censuit fuisse innovatas duntaxat pœnas Cap. secundum de Præbendis*:

ita apud *Fagnan. loc. citat. num.63.*, qui etiam refert, quod quærente quodam Ordinato cum minus sufficienti Patrimonio, quid sibi agendum esset, ut ad Sacerdotium promoveri posset, Sacra Congregatio declaraverit = *Si Patrimonium, ad cujus titulum Orator est ordinatus, minus sufficiens sit ad ejus sustentationem congruam, teneri Episcopum tamdiu ex proprio supplere, donec per ipsum Episcopum in sua, vel alia Ecclesia fuerit competens beneficium assequutus, ideò deberi ad reliquos Ordines Oratorem ab Episcopo promoveri.*

Si tamen res sit de Ordinato sine titulo, quem ementitis probationibus Ordinatus effinxerit, ut Ordinantem deciperet, tunc Ordinatus incurrit suspensionis pœnam indictam *in Cap. Neminem, & Cap. Secundum.* Sic refert *Fagnan. loc. citat. num.69.*, definitum fuisse ab hac Sacra Congregatione die 27. *Novembris* 1610., quæ *omnium Sententiis censuit hoc casu pœnam suspensionis ante Concilium non fuisse correctam, & bodie a Tridentino Concilio esse innovatam, & propterea hujusmodi Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque Ordinum executione.* Inquirendum est itaque, an Alexander Gamalero in constitutione patrimonii quidquam peccaverit. Considerandum quoque silentium Episcopi, qui per plures annos tacitus quievit, absque eo, quod contra illud oppositerit.

Concilium Tridentinum *citat. sess.21. cap.2. de Reform.* patrimonium debita ratione constitutum sine Episcopi licentia alienari prohibuit. An autem incidat in censuras, qui absque hujusmodi licentia ad alienationem deveniret, patebit ex resolutione Sacræ Congregationis, quæ *die 6. Martii 1638.* definivit, *eum qui de facto alienavit Patrimonium, ad cujus titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem, ut proponitur factam, esse ipso jure nullam.*

Denique quoad institutionem non est prætereundum, ex summario Alexandri Gamalero resultare, Episcopum conatum fuisse illum a petitione Canonicatus amovere, & pellicere ad nominationem alterius, oblata etiam beneficii collatione loco Canonicatus, quem promiserat Fratri cujusdam Bobba sui in hac causa Advocati. Qui autem ex supra relatis causis indignus videbatur, ut institutionem assequeretur ad Canonicatum, ad quem ratione legitimæ præsentationis jus habebat; mirum est, quod dignus habendus esset qui collativo beneficio decoraretur.

Omnibus igitur assueta maturitate perpensis EE. PP. dijudicent.

I. *An constet de legitimis causis suspensionis, in casu &c.*

Et quatenus affirmative

II. *An sit locus absolutioni in casu &c.*

III. *An*

III. *An Canonicatus sub titulo S. Petri erectus in Cathedrali Ecclesia Alexandrina sit adjudicandus Sacerdoti Alexandro Gamalero, ita ut per Episcopum sit ei danda institutio, in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

SPOLETANA ASSIGNATIONIS PATRIMONII. Sacerdos Bonifacius Reali ex Oppido Montis Leonis Spoletanæ Diœcesis in suo testamento anno 1692. investiri jussit pecunias hæreditarias, & pretium suorum mobilium *ad favorem hæreditatis, vel ad favorem Presbyteri faciendi ex Domo Reali*. Usumfructum integræ hæreditatis reliquit quatuor suis Nepotibus, devolvendum in sex nominatas Ecclesias ejusdem Oppidi a singulis percipiendum duobus annis per turnum *fin tanto che si farà un Prete di Casa Reali, cioè di Francesco, e Domenico* suorum Fratrum, hoc etiam addito = *e facendosi detto Prete in qualsivoglia tempo, cessi detto usufrutto a tutti gli sunnominati, ed il medesimo Prete sia Padrone universale di tutta la sua eredità &c. ; con che debba sempre mantenere il capitale &c., e quello tenere per altro Prete, che si potesse fare, o potesse essere della stirpe, e casa, come sopra*. Declaravit insuper, hanc suam dispositionem perpetuo servandam esse, ita ut *facendosi il Prete di casa Reali* locum amplius quoad alios non haberet legatum usufructus, quod favore Ecclesiarum i prosequi dumtaxat voluit, *in caso, che non vi sia il Prete, come sopra*. Demum *morendo il Prete, che forsi si farà, o possi farsi, non essendovi altro Prete*, vocavit iterum Nepotes, & in illorum defectum Ecclesias prædictas cum onere, *che facendosi poi altro Prete, ricada il medesimo usofrutto a detto altro Prete, e così sempre in perpetuo*. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*

Post Testatoris obitum, primus illius bonorum assignationem anno 1728. titulo Patrimonii obtinuit Clericus Antonius Reali a contemplatis stipitibus descendens, ad effectum, ut ad Sacros Ordines promoveri posset. Hoc vero defuncto anno 1761., Joannes Reali illius Frater preces san. mem. Clementi XIII. dedit, ut idem Patrimonium assignaretur Clerico Bonifacio filio suo ætatem *sexdecim* annorum agenti, quo litterarum studiis vacare posset, & suo tempore Sacris Ordinibus initiari. Ablegatis precibus ad Sacram hanc Congregationem, auditisque sex Ecclesiis Usufructuariis, ac Substitutis, istæ acriter se opposuerunt ob defectum legitimæ ætatis ad Sacros Ordines suscipiendos. Hinc disputato in Congregatione *diei* 14. *Maii* 1763. dubio = *An sit locus assignationi Patrimonii favore Clerici Bonifacii Reali super bonis hæreditariis quondam Bonifacii Reali Senioris, eorumque fructibus*, responsum prodiit = *Negative, & recurrat tempore susceptionis Ordinis Sacri, & amplius*. Viden. *folium*

ejus

ejus diei, in quo latius Testamenti series, & rationum momenta hinc inde deducta habentur.

Jam vero idem Clericus Bonifacius modo perventus ad *legitimam 22. annorum ætatem* pro suspiciendo Sacro Subdiaconatus Ordine, renovat preces, ut eadem bona hæreditaria sibi titulo Patrimonii Sacri addicantur. Ecclesiæ usufructuariæ, ac substitutæ, ultro, libenterque suum assensum præstant, unde absque ulla contradictione modo de precibus Clerici Bonifacii quærendum est.

Inquit idem Clericus Bonifacius, indubiam esse suam descendentiam a designatis stipitibus: Se autem jam in ætate annorum 22. constitutum idoneum esse ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem suscipiendum: Indubiè itaque sibi deberi bona hæreditaria Testatoris tam ex clara hujus voluntate, quam ex Rescripto Sacræ Congregationis *die* 14. *Maii* 1763., ut inde eorumdem titulo ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promoveri possit. In id assentiri omnes Ecclesias usufructuarias, nec non Episcopum, qui in proxima Ordinatione Generali mensis Septembris pollicetur Sacri Ordinis collationem ob bonam indolem, & profectum in studiis.

Episcopus hæc habet = *Nunc verò idem Clericus Bonifacius Reali, qui in hoc Spoletino Seminario studio moralis Theologiæ operam navat, jamque ad legitimam 22. annorum ætatem pro suspiciendo Sacro Subdiaconatus Ordine pervenerit, humiliè petit ab ista Sacra Congregatione gratiam assecutionis hæreditatis a Testatore relictæ per un Prete, che si possa fare di Casa Reali. Equidem cum Pia Loca a me interpellata ultro, libenterque suum præstent consensum favore ejusdem Clerici Reali, cumque ipse Testator contentus videatur sub iis verbis il Prete da farsi, il Prete, che si potesse fare, il Prete che forse si farà, o possa farsi de Subdiaconatus Ordine, censerem propterea benigne ab ista Sacra Congregatione posse indulgeri eidem Clerico Bonifacio Reali ejusdem hæreditatis usumfructum pro titulo Sacræ Ordinationis, quam eidem proximè generali Ordinationi mense Septembri propter ejus bonam indolem, & profectum in studiis collaturum spero.*

Reproponitur itaque

An sit locus assignationi Patrimonii favore Clerici Bonifacii Reali super bonis hæreditariis quond. Bonifacii Reali Senioris, eorumque fructibus, in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

ALEXANDRINA PRÆPOSITURÆ. Cæteras inter pias fundationes, quas præterito labente sæculo fieri mandavit Canonicus Hieronymus Cova, præcepit in suo testamento = *Che si debba erigere una Prepositura, che sarà la quar-*

quarta Dignità nella Chiesa Abbaziale Collegiata di S. Pietro in Bergolio =, onusque Præpositō imposuit = *di celebrare per se stesso, con l'applicazione del Sacrifizio due Messe la settimana in perpetuo*. Patronatum activum reliquit Comiti Lucæ Pertusati, ejusque descendentibus masculis; passivum verò descendentibus ex novem designatis Familiis, dummodo idonei reperirentur; *in mancanza poi degl'abili delle sopranominate Famiglie, voglio, che siano preferiti li Cittadini, e ben morigerati*.

Vacavit die 14. Aprilis anni præteriti hujusmodi Præpositura, ad eamque die 24. ejusdem mensis præsentatus fuit Gherardus Franciscus Calliani ex fundationis lege quinto loco vocatus, annum agens ætatis suæ trigesimum sextum, & ab an. 1749. Clericali habitu indutus. Hic Episcopum adiit pro obtinenda prima Tonsura, & institutione ad Præposituram, sed Episcopus reservavit sibi tempus ad deliberandum, & providendum prout de jure, declaravitque tempus, & tempora non currere in præjudicium tum Nominantis, tum Nominati. Id ægre ferens Callianus ad Apostolicam Datariam confugit, sed attenta Episcopi contradictione, Eminentissimus Pro-Datarius *mandavit tempus, & tempora non currere usque ad quatuor menses ad supplicandum Episcopo pro Clericatu*.

Nullum Callianus prætermisit officium apud Episcopum, etiam per interpositas personas, ut Clericali Tonsura initiari posset: Preces tamen omnes Episcopus rejecit, propositque dumtaxat Calliano temperamentum, ut obtenta ab Apostolica Sede diuturniori Præposituræ vacatione, sese reciperet in Seminarium, vel in aliquam Domum Congregationis Missionis, ibique per triennium vocationem suam probaret, quo tempore elapso, & institutionem ad Præposituram, & Ordines eidem conferre spopondit. Verum Callianus hujusmodi temperamentum recusans, a denegata Tonsuræ collatione appellavit ad Sacram Congregationem, ad quam Eminentissimus Pro-Datarius dubium quoque super relaxatione supplicationis discutiendum remisit.

Interim verò Comes Pertusati, utens prorogatione temporis sibi concessa, præsentavit Sacerdotem Carolum Dominicum Berium tamquam habilem, idoneum, & qualitatibus præditum, quam quidem præsentationem tunc solum locum habere declaravit, si præsentatio facta de persona Calliani effectum quacumque ex causa habere non posset. Hinc tertium etiam dubium concordatum fuit, & de omnibus agendum modò est.

Contendit ad L. Callianus, perperam opponi defectum vocationis, scientiæ, & morum. Ad vocationem, quod attinet, advertit, nullibi in jure Canonico statutum reperiri, necessariam esse illius probationem ad minores Ordines con

consequentes, quippe quia tum ex SS. Canonibus, tum ex constanti Ecclesiæ disciplina, ætas sufficit septem annorum ad obtinendam primam Tonsuram, & tres primos minores Ordines *Gloss. in Cap. De his 5. dist. 28.*, & *Cap. Cum nullus 4. de tempor. ordin. in 6.*, qua quidem in ætate nemo certæ vocationis signa præbere valet.

Cæterum negat, hujusce vocationis signa deficere, cum constet ab anno 1749. facultatem obtinuisse Clericalem habitum induendi, ut Deo inservire posset, & hac de causa per triennium in Seminario Thaegiorum, & per annum in Collegio Caleorum Mediolani permansisse: Deindeque in Patriam reversum Clericales vestes retinuisse, ac vacata vix Præpositura enixè deprecatum fuisse Episcopum, adhibitis etiam aliorum officiis pro obtinenda prima Tonsura, & Ordinibus minoribus, quibus denegatis ad Apostolicam Datariam pro obtinenda dispensatione recursum habuisse. Addit, novas preces Episcopo porrexisse, spiritualibus quoque exercitiis, & Ecclesiasticis functionibus in Cathedrali Ecclesia interfuisse; atque ex his omnibus infert, ab anno 14. ætatis suæ veræ vocationis signa præbuisse.

Nec obesse, quod ad annum usque 36. pervenerit, absque eo quod Clericali Tonsura initiari postulaverit, cum id factum asserat, quia caruit Beneficio, aut perpetua Capellania, cujus titulo ad Ordines promoveri posset, nec tamquam filiusfamilias potestate polleret constituendi sibi patrimonium.

Ad scientiam, quod attinet, affirmat, pro tonsurandis sufficere, si quod Fidei rudimenta, legere, & scribere non ignorent *Concil. Trident. Sess. 23. cap. 4. de Reform.*, pro minoribus vero Ordinibus, quod linguam Latinam intelligant *ibid. cap. 5. & 11.* Non diffimulat Callianus, ipsum ratione Præposituræ ad majores Ordines tolerandum, sed observat eidem Præposituræ nullam Animarum curam, nullum Theologiæ Magisterium, aut quid simile adnexum esse. Asserit præterea, ipsum non adeo intellectu destitutum esse, ut scientiam pro majoribus Ordinibus consequendis necessariam acquirere non possit: Præsertim quia non requiritur scientia, quæ ab homine etiam provectæ ætatis acquiri non possit *Concil. Trident. Sess. 23. cap. 13. & 14. de Refor.*

Nec obstare putat Diœcesis morem, ut nemo Subdiaconus ordinetur, nisi biennio Theologiæ studuerit, nec Diaconus, nisi triennio, nec Sacerdos, nisi quatriennio eidem facultati operam dederit: Respondet enim, hunc morem non servari quoad arctatos, eidemque resistere tum Concordatum, tum etiam Constitutionem fel. mem. Benedicti XIV., in qua licet plura pro Ordinum collatione statuta fuerint, ab iis tamen exempti fuerunt, qui sunt arctati: Eumdemque morem pro arctatis non vigere, recentibus quoque exemplis probare nititur.

Per-

Pergit ad mores, de quibus ait, Concilium Tridentinum *sess.23. cap.5.* nil aliud in promovendis ad minores Ordines requirere, quam *bonum a Parocho, & Magistro Scholæ testimonium*. Utrumque autem adesse probat. Parochus enim Cathedralis licet a novem tantum mensibus Parochi munere fungatur, a decem tamen annis Callianum cognovisse affirmat, de ejusque bonis moribus toto eo tempore testimonium perhibuit. Rectores verò, & Præfecti Collegii Theagiorum, & Caleorum, & Universus Alexandrinæ Civitatis Magistratus ejus favore testantur. Ambigendum proinde non esse dicit, quin conditiones a Concilio Tridentino pro Minorum Ordinum assequutione requisitæ, verificatæ remaneant.

Non diffitetur aliquid humani quandoque commisisse, sed defectus, qui opponuntur, leves esse sustinet respectu Laici; Maximè quia neque ab Episcopo, neque ab alio quoquam de iis fuit unquam monitus. Neque attendendum esse, quod Episcopus suum nomen delere fecerit è Tabella Clericorum in Sacrario existente, eo quia munia a Benedictina instructione præscripta non impleverit, cum hoc non obstante clericales vestes retinuerit, & Superpelliceo indutus Cathedrali Ecclesiæ inservierit, ipso vidente, nec reluctante Episcopo. Regerit etiam hoc loco, Benedictinam instructionem arctatos non afficere, ut tribus aliis exemplis probare conatur.

Ad II. dubium, proponit Callianus primo loco, ipsum in præsenti vacatione esse unicum qualificatum. Deindè asserit, Præpositurum esse *habitu* Sacerdotalem, *non actu*, atque idcircò non requiri, ut præsentatus sit actu Sacerdos, sed sufficere, ut infra annum possit ad Sacerdotium promoveri *Cap. Si his 2. de Instit. in 6.*, *Concil. Trident. sess.22. cap.4.*, *& sess.24. cap.12. de Reform.* Idoneum proindè se esse existimat, paratumque se exhibet Ecclesiæ inservire, & in aliquo Ecclesiastico convictu permanere, ut commodius studiis vacare possit.

Despiciendam putat præsentationem Sacerdotis Caroli Berio, tum quia subsidiaria fuit, & cumulativè facta; tum etiam quia ipse Callianus infra legitimum tempus supplicavit pro Apostolica gratia, ut subsidiaria præsentatio inanis redderetur; tum demum quia etiamsi non Berius, sed Callianus aliqua dispensatione indigeret, nihilominus si duo fuerint æqualiter vocati, liberum est Patrono, rejecto idoneo, præferre inhabilem sub conditione dispensationis, quæ a nemine potest impediri *Piton. de controv. Patron. allegat.1. num.23.*, *& allegat.13. num.40.*. Neque Summus Pontifex in Beneficiis, quæ sunt de jurepatronatus, opportunas dispensationes solet denegare *Gonzalez in comment. ad reg.8. Cancel. gloss.5. num.32.*, *Piton. in Parerg. ad disceptat. Eccles. num.16.*

Exadverso Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Alexandri-

næ pro certo ponit, Episcopum denegare cuique posse Ordinum collationem, quin rejectionis causam pandere teneatur *Cap. Ad aures de tempor. ordin.*, *Concil. Trident. sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.*, *Fargn. de Jurepatron. cas.* 7. *num.* 1. & 2. Præmittit etiam, cautum in jure esse, ut nulli prima tonsura initientur, de quibus probabilis non habeatur conjectura, quod fidelem Deo cultum, Ecclesiæque servitium sint præstituri *Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 4. *de Reform.*. Ac demum notat, posse Episcopum Ordines denegare etiam Beneficiato, & arctato, etiamsi nullum eidem obstet canonicum impedimentum, nec ulla concurrat ex causis a SS. Canonibus præscriptis *Petra ad Constitut. Urbani II. num.* 23., *Fargn. loc. cit. cap.* 7. *num.* 3.

Hisce autem præmissis causas pandit, propter quas Episcopus Clericali tonsura Callianum initiare noluerit: Ac primò quidem, quia vocationis signa in eo non deprehenderit, cum frequenter Theatris adstiterit, in publicis officinis tempus terere consueverit, calamistratus, cypriòque pulvere conspersus affatim incesserit, otio, ludoque indulserit, & choreis personatus interfuerit. Præterea quia fæminas sæpius convenire, easque suo brachio subnixas per Civitatem circumducere assueverit; atque etiam quia rixandi causam aliquando aucupatus fuerit, minacesque manus contra Archipresbyterum Collegiatæ Sanctæ Mariæ ad Nives semel attollerit in publica via, qua de re compisatus fuit a Curia Episcopali Processus. Ex his infert cum *Pouget. in instit. Cathol. de Sacram. Ordin. §.* 4. *de Tonsur. Cleric.*, deesse Calliano vocationis signa, ac proindè eidem quamvis arctato primam tonsuram fuisse denegatam.

Nullius verò esse ponderis testimonium Magistratus Alexandriæ, & Parochi; Nam Magistratus nec potest, nec scire tenetur morum sanctitatem, ac vitæ institutum, quod in promovendis requiruntur: Parochus verò non potest esse instructus de persona Calliani, qui ut plurimum a Civitate abfuit; ac præterea genericè tantum testatur, nullo de Sacramentorum frequentia, aliisque pietatis operibus facto verbo; eique præferri semper debeat testimonium Episcopi, cui vita, & mores Clericorum optimè perspecti præsumuntur *Cap. Innotuit de eo, qui Ordines furtivè susceperit, Rot. coram Buratt. decis.* 23. *num.* 3.

Animadvertit etiam, Episcopum Miroglio, qui anno 1749. facultatem dedit Calliano clericalem habitum induendi, eidem ad tramites Benedictinæ instructionis præcepisse, ut designatæ Ecclesiæ festis diebus inserviret, Congregationibus etiam interesset, quæ in Episcopio quolibet mense haberi solent, ac Seminarium ingrederetur. Nihil tamen horum a Calliano fuisse adimpletum, proindèque ejus nomen ab Albo Clericorum meritò fuisse expunctum.

Ad-

Addit, quantitatem arctati illum non eximere ab oneribus in Benedictina Instructione præfinitis: & quamvis fateatur, admitti exemptionem posse, quando arctatus sæculari habitu indutus incesserit, nunquam tamen suffragari posse putat, quando agitur de eo, qui inter Clericos antea descriptus, Clericorum more vivere debebat, eaque adimplere munera, quæ Episcopus, & Benedictina Instructio injungunt, ne alias legis beneficio juvetur, qui in ipsam legem peccaverit *Leg. Auxilium* §. *In delictis ff. de minor.*, *Barbos. axiom.* 136. *num.* 21. . Illudque etiam advertit, quod si Clerici ob servitium Ecclesiæ non præstitum Clericorum privilegiis privantur *Concil. Roman. tit.* 6. *cap.* 2., multo magis hac de causa arceri debeat, qui Ecclesiasticæ Militiæ nondum fuerit adscriptus.

Alteram denegandæ primæ Tonsuræ causam desumit Promotor Fiscalis ex defectu scientiæ à Sacris Canonibus requisitæ, & ab ipsa Synodo Alexandrina præscriptæ *cap.* 73. *de Sacram. Ordin. num.* 12.. De hujusmodi defectu constare asserit, ex quo dum Callianus in Collegio versatus est, nonnisi quam humanioribus litteris operam dederit, reversus autem in Patriam, studiis haud amplius incubuerit. Notat autem, quod quamvis idem Callianus efflagitet tantummodo collationem primæ Tonsuræ, nihilominus agitur de eo, qui infra annum ad Sacerdotium esset promovendus.

Quoad II. dubium contendit, Callianum præcisivè etiam a Clericatu destitutum esse qualitatibus, quæ ad Præposituræ assequutionem necessariæ sunt, scientia nimirum, bonis moribus, ac præsertim Sacerdotali caracthere, quam quidem qualitatem *actu* Fundator requisivit, dum Præposito onus injunxit *per semetipsum* celebrandi *Garz. de benef. par.* 7. *cap.* 1. *num.* 86., *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæst.* 47. *n.* 34. & 35., idque conforme etiam est Statuto Collegiatæ Ecclesiæ, in qua Præpositura fuit erecta.

Nec fidem præstandam esse Calliano asserenti, quod ubi Clericus factus fuerit, poterit infra annum ad Presbyteratum promoveri, cum id fieri non possit ab eo, qui linguam Latinam non calleat, & a longo jam tempore litterarum studia intermiserit. Maximè quia ex Synodali Diœcesis lege, qui ad Sacerdotium promovendi sunt, per quatriennium ante Theologiæ operam novare debent, & ex Benedictina Instructione etiam arctati post primæ tonsuræ assequutionem ad triennale studium adiguntur.

Denique existimat, Sac. hanc Congregationem nullo modo Calliano concessuram fore vel dispensationem a residentia, vel a suscipiendo infra Annum Presbyteratus Ordine, cum hujusmodi dispensationem iis tantum concedere soleat, qui nondum trigesimum ætatis annum excesserit *Conrad. in prax. dispens. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 22. quin immò observat, Sac. Congregationem nunquam post ætatem annorum 25.

dispensare consueviſſe *Thesaur. resol. tom.* 29. *pag.* 107. §. *Æque*.

In III. dubio sua tuetur jura Sacerdos Carolus Dominicus Berio subsidiarie ad Præposituram nominatus, innixusque argumentis a Promotore Fiscali adductis, contendit, Callianum destitutum esse qualitatibus requisitis a Præposituræ Fundatore, qui *habiles* tantummodò vocavit, & dum Præposito onus imposuit celebrandi per se ipsum, qualitatem Sacerdotalem *actu* requisivit *Barbos. de Offic.*, *& potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 24., *Sac. Congregatio in Januen. Capellaniæ* 14. *Aprilis* 1736.

Nil sibi deesse putat eorum, quæ Fundator designavit verbis illis *in mancanza poi di abili delle sopranominate Famiglie*, *voglio*, *che siano preferiti li Cittadini ben morigerati*. Ait enim, se esse Civem Alexandrinum, actu Sacerdotem quinquagenarium, unum ex Capellanis diebus festis Cathedrali Ecclesiæ interessentibus, a pluribus annis Confessarium approbatum, Concionatorem, & actu Professorem substitutum in Regio Alexandrinæ Civitatis Lyceo.

Lex fundationis præscribit, ut nonnisi *idonei* ex novem designatis Familiis ad Præposituram præsententur, iisque deficientibus præferantur *li Cittadini*, *e ben morigerati*. Ponderandum igitur, an Callianus idoneus dicendus sit, & polleat qualitatibus a Fundatore, & ab ipsa Beneficii natura requisitis, seu potius locum habeat in præsenti casu decretum Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* ibi = *Liceat Episcopo præsentatos a Patronis*, *si idonei non fuerint*, *repellere*.

De qualitatibus, quibus pollere debent initiandi ad primam tonsuram, idem Concilium *Sess.* 23. *cap.* 4. hæc habet = *Prima tonsura non initientur . . . . qui legere*, *& scribere nesciant*, *& de quibus probabilis coniectura non sit*, *eos non sæcularis judicii fugiendi fraude*, *sed ut Deo fidelem cultum præstent*, *hoc vitæ genus elegisse* = Quoad ordinandos in minoribus Ordinibus *ibid. cap. II.* statuit = *Minores Ordines iis*, *qui saltem linguam latinam intelligant*, *conferantur . . .*, *nemo iis initietur quem non Scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat* = Quo verò ad promovendos ad Ordines majores. *ibidem cap.* 13. decernit = *Subdiaconi*, *& Diaconi ordinentur litteris*, *& iis*, *quæ ad Ordinem exercendum pertinent instructi* = Tandem quoad eos, qui assumendi sunt ad Presbyteratum *eodem in loc.* ita præcipit = *Qui ad Populum docendum ea*, *quæ scire omnibus necessarium est ad salutem*, *ac ad administranda Sacramenta*, *diligenti examine præcedente*, *idonei comprobentur* =

Si verò agatur de Dignitatibus, & Canonicatibus hortatur eadem S. Synodus *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*, ut in *Provinciis*, *ubi commodè fieri potest*, *Dignitates omnes*, *& saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis*, *& Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris*, *vel Doctoribus*, *aut*

aut etiam licentiatis in Theologia, vel jure Canonico = Hinc Doctores distinguentes Dignitates jurisdictionem habentes, ab iis, quæ nullam habent jurisdictionem, existimant, eos, qui Dignitates absque jurisdictione possident, cum Capitulo prodesse debeant industria, & consilio, mediocri scientia præditos esse debere *Bellet. disquis. Clerical. part.* 1. *de descrip. Cleric. §.* 4. *num.* 28., *Gonzalez. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *num.* 69., qui simul explicans *num.* 82., mediocrem scientiam esse dicit, quæ cum deliberatione, & revolutione Librorum addiscitur. Hæc quoad scientiam.

Sed ad mores quod attinet, nihil sanè Concilium Tridentinum in Ordinandis magis commendat, quam vitæ probitatem, ut patet ex integra ferè *Sess.* 23. Et re quidem vera cap. 4. statutum legimus = *Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magistro Scholæ, in qua educantur. testimonium habeant* = & *cap.* 11. requirit in promovendis ad minores Ordines, ut *cum ætate, vitæ meritum, & doctrina major accrescat*, & postea subdit, quod, *& bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium . . . , & crebrior, quam antea, Corporis Christi communio maximè comprobabunt*. De promovendis ad majores Ordines monet *ibid. cap.* 12., Episcopos, assumere debere ad Ordinem Subdiaconatus *dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit*. Et de Presbyteris *cap.* 14. disponit, quod *habeant testimonium, & hi sint . . . ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari*.

His itaque ex Concilio Tridentino præmissis inquirendum, an Calliano deficiant scientia, bonique mores, ut idoneus haberi non debeat assequendo Beneficio, ad quod fuit præsentatus. Quoad scientiam ponderandum, quod Callianus nunc postulat quidem, ut primâ dumtaxat tonsura, & minoribus Ordinibus initietur; Verum cum infra annum ad Presbyteratum promoveri debeat, hinc observandum an habita ætatis, & anteactæ vitæ ratione, *Scientiæ*, saltem *spes* in eo affulgeat, quæ illum *majoribus Ordinibus dignum ostendat*, ut loquitur Concilium cap. 11. Et quoad mores considerandum, quanti favore Calliani habendum sit testimonium Parochi, & Rectoris utriusque Collegii Theageorum, & Caleorum Mediolani, nec non universi Magistratus Civitatis Alexandriæ, é conspectu eorum, quæ Episcopus opponit.

Nec prætereunda sunt, quæ leguntur in Instructione Benedictina edita anno 1742. pro ditionibus Sardiniæ Regi subiectis §. 14. In ea enim sic decernitur = *A niuno potrà conferirsi la prima tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorare almeno per un triennio in qualchè Seminario, ò Convitto Ecclesiastico. E dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l'Abito Clericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triènnio, ò almeno per la maggior parte delle Feste di precetto di ciascuno de*

trè anni non abbia servito a qualchè Chiesa nella maniera, che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta, scomputando questo servizio colla dimora, che aurebbe dovuto fare in qualchè Seminario, ò Convitto Ecclesiastico. Perpendendum, an huic legi satisfecerit Callianus, qui triennio inter Convictores Collegii Thaegiorum, & per annum in altero Collegio Caleorum permansit.

De arctatis in dicta Instructione ita disponitur = *Dal qual obbligo si debbano solamente eccettuare coloro, che sono artati, cioè a dire, che sono chiamati in virtù della fondazione a qualchè Benefizio, è a qualchè Cappellania Ecclesiastica vacante, i quali potranno promoversi alla prima tonsura, quantunque non abbiano potuto osservare le regole prescritte, cioè la delazione dell'Abito Clericale, la frequenza delle Scuole, e de Sagramenti, ed il servizio triennale della Chiesa* = & §. 15. additur = *Dopo esser stati così ordinati alla prima tonsura dovranno tutti i Chierici, compresi anche gl'artati, seriamente applicarsi così allo studio, come all'opere di pietà per rendersi degni di ascendere agl'Ordini Sacri.* Ex his seligendum quid obesse Calliano, quid prodesse possit.

Denique cæteris omissis, quæ inter monumenta causæ expendi possunt, præsertim quoad qualitates in nominandis ad Præposituram requisitas, Sac. Congregationem in una *Calaguritana* 30. *Januarii* 1694., in qua Laicus quidam præsentatus ad beneficium, petebat, ut Episcopo viciniori committeretur facultas conferendi primum tonsuram, attenta renitentia Episcopi Calaritani, rescripsisse = *Adeat Episcopum Calaritanum* = Ea ratione, quod Ordinario non debeat hac in re lex ulla præscribi, nisi gravamen sit evidens. Similiter in *Leodien.* cum quidam Subdiaconus postularet, ut iniungeretur Episcopo collatio Ordinum, quia erat arctatus ratione Canonicatus, Sac. Congregationem *die* 23. *Maii* 1697. respondisse = *Ad mentem* = mens autem fuit, ut prorogaretur tempus ad recipiendos Ordines, & interim Clericus doceret de emendatione: Deinde verò *die* 27. *Julii* ejusdem anni, rescripsisse = *In omnibus arbitrio Ordinarii*, ut apud *Card. Petram in Comment. ad Constit. Urbani II. sect.* 1. *n.* 35. *tom.* 1. *pag.* 192.

Superest itaque ut EE. VV. definiant.

I. *An Gherardus Franciscus Calliani sit initiandus prima tonsura, & promovendus ad Ordines minores in casu &c.*

II. *An supplicatio sit signanda, & relaxanda in casu &c.*
Et quatenus Negative.

III. *An sit danda institutio Sacerdoti Carolo Dominio Berio in casu &c.*

Ad I. Dilata, & ad mentem, mens est, quod Callianus se recipiat in aliquam Ecclesiasticam Domum ab Episcopo destinandam, & ibi commoretur per annum. Ad II. Dilata, & interim tempus, & tempora non currere. Ad III. Dilata.

NE-

NEPESINA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ. Collegiata, & Parochialis Ecclesia S. Stephani Oppidi Fiani, quod jure Feudi spectat ad Ducem Alexandrum Buoncompagni Otthoboni illius Baronem, reparatione indigebat in pavimento, & in tecto, pluribusque Pastoralium Visitationum decretis demandata fuerat hujusmodi necessaria reparatio, etiam sub pœna interdicti perficienda intra certum tempus, quod sæpius fuit postea ferè ad hæc usque tempora prorogatum. At implementum non curantibus neque Archipresbytero, neque duobus Canonicis eidem Collegiatæ inservientibus, neque Communitate dicti Locì, neque aliis, ad quos illud pertinere potuisset, eo tandem perducta res est, ut collapsa turri Campanaria, & Sacrario, collapsisque Ædibus Parochialibus, ipsius quoque Ecclesiæ pars ruinam subierit, & ad obeundum Divinum Cultum indecora, atque informis evaserit. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Urgente igitur restaurationis necessitate, quæstio exorta est, cui nam onus incumberet? remissaque a Sanctissimo Domino Nostro controversia judicio Sacræ huius Congregationis, ut definiatur, citatis Clero, Barone, & Communitate, hinc interpellatis omnibus, dilataque ad hodiernam diem Causæ propositione, de ea modo, tacente adhuc Communitate, est agendum.

Archipresbyter, & Canonici non renuunt expensis contribuere, pro rata tamen fructuum, quos ab Ecclesia percipiunt, & salva congrua sustentatione. Qua de re inquiunt, sese in restaurationem conferre non teneri, nisi eos tantum fructus, qui deductis alimentis superstant *Cap. De his de Eccles. ædif.*. Asserunt, ex Peritorum judicio impensam requiri scutorum trium circiter millium, & centum, & ad hanc impares se esse, cum ducto calculo per quinquennium unicuique Canonico annua scuta 60, & Archipresbytero scuta 120. obvenerint.

Compellendos proindè ad contributionem existimant omnes alios, qui fructus ab Ecclesia percipiunt, scilicet pensionarios, & possessores Capellaniarum, ac simplicium beneficiorum, ac in primis adigendum censent Ducem Otthoboni Baronem, quem dicunt Ecclesiæ Patronum, quique præter honorificentias, quibus gaudet in Ecclesia, habet jus præsentandi ad Archipresbyteratum, & Canonicatus, & reservandi sub Apostolico Beneplacito pensiones, easque in eventuali casu vacationis favore aliorum prorogandi.

Adigendam quoque sustinent Communitatem, sive universum Populum, qui Sacramenta percipit *Concil. Trident. Sess. 21. cap. 7. de Reform.*, neque tantum ad reparationem Ecclesiæ Populum teneri contendunt, sed etiam Sacrarii, Domus Parochialis, pavimenti, quo præcipuè Parochiani utuntur, & Turris Campanariæ, quæ illorum commodo inservit *Manf. consult. 248. num. 18., & 19., Genuens. in prax. Eccles. quæst. 242. num. 1.* Ad reparationem verò pavimenti eos etiam cogendos existimant, qui habent sepulchra

chra gentilitia, juxta proportionem ſitus, quem eadem ſepulchra occupant.

Tandem pro celeri Eccleſiæ reparatione ſupplicant ut præfiniatur taxa contributionis ſummæ ab unoquoque conferendæ, habita ratione redituum, commodi, & utilitatis, qua quiſque particeps evadit.

Ex parte verò Baronis contenditur, onus reparandæ Eccleſiæ, deficientibus reditibus pro Fabrica præcisè deſtinatis, primariò ineſſe Parocho *Fondat. reſol. benef. part.* 1. *cap.* 38. *num.* 10., *Amoſtaz. de cauſ. piis cap.* 6. *num.* 36., & hujuſmodi onus eidem inhærere etiam pro reædificatione Domus Parochialis *Sperell. deciſ.* 68. *num.* 4., ac Turris Campanariæ *Conſtantin. vot. deciſ.* 251. *num.* 16., *Rot. in nuperr. deciſ.* 43., *& dec.* 171. *num.* 3. *tom.* 2., ea potiſſimum ratione, quia hujuſmodi ædificia adeo adnexa ſunt, & Eccleſiæ unita, ut unum idemque ædificium reputetur.

Neque admittendum conſuetum Parochorum diffugium deſumptum ex redituum tenuitate, cum Parochialium reditum inſufficientia nunquam præſumatur, & ab Archipresbytero indubiis, perſpicuiſque monumentis probanda eſſet *Panimoll. dec.* 6. *annot.* 8. *n.* 10., *Rot. in Recent. deciſ.* 9. *n.* 38. *par.* 18., *& in Savonen. Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis* 8. *Martii* 1709. §. *Et quamvis coram Scotto*. Præſertim quum ſit diſſona veritati, nam Præbenda Archipresbyteralis pertingit ad ſcuta 300., quemadmodum probavit Communitas in ſupplici libello nonnullis ab hinc annis Sac. Congregationi Boni Regiminis exhibito.

Inferunt proinde Defenſores Baronis quod dempta congrua, reliqui omnes Parochiales reditus in fabricam Eccleſiæ debeant erogari. Congrua verò coercenda ſit intra limites moderatæ tantùm, honeſtæque ſuſtentationis *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 5. *cap.* 28., *Conſtantin. vot. deciſ.* 251. *num.* 10., habita etiam ratione onerum, Loci, & perſonæ Rectoris, *Rebuff. de congr. port. quæſt.* 8. *num.* 78., *Navar. in tract. de redit. Eccleſ. quæſt.* 5. *monit.* 36. *num.* 4. Hiſce autem perfectis circumſtantiis, nonniſi tenuem congruam aſſignandam fore contendunt, tum quia vel nulla, vel perpauca inſint Archipresbytero onera; tum etiam quia in Oppido Fiani exigui ſumptus ad moderatam ſuſtentationem ſufficiant; tum demum quia Archipresbyter Patrimonialibus bonis ditatus ſit, quam quidem circumſtantiam plurimi faciunt *Sperell. deciſ.* 67. *num.* 4., *& ſeqq.*, *Rot. in Nazarena Congruæ* 30. *Junii* 1732., *& 19. Junii* 1734. *coram Calcagnino*. Neque idcircò oportere, ut congrua in ſcutis centum aſſignetur, in qua ſumma illam præfinivit Concilium Tridentinum, ut Parochiales Eccleſiæ in hac ſaltem quantitate eſſent a penſione immunes.

Præterea ſuſtinent, cogendum eſſe Archipresbyterum ad erogandos in fabricam non ſolum fructus poſt ruinam Eccleſiæ, & adnexorum acceptos, ſed alios etiam, quos antea per-

percepit, & consumpsit, cum Ecclesia triginta circiter ab hinc annis reparatione indigere cæperit, nec unquam Archipresbyter illi manus admoverit, sed solum ope prorogationum temporis curaverit, ne Ecclesia interdicto subiiceretur. Quamobrem illum teneri existimant ad sarciendum damnum ex sua negligentia illatum *Amostaz. de caus. piis lib. 5. cap. 6. num. 16.*, cogendumque ad impendendos fructus etiam præterito tempore decursos, quos in Ecclesiæ reparationem erogare debuisset.

Maximè quia ruinæ causam dedit facto suo, quia propè Domum, & Turrim campanariam extruxit hortum pensilem, ex quo factum est, ut pluviales aquæ ibidem stagnantes penetraverint adhærentium ædificiorum muros, qui paulatim enerues effecti corruere tandem debuerunt maximo cum damno contermini Sacrarii, & Ecclesiæ Parochialis, prout Testes deponunt. Hinc inferunt, Archipresbyterum, qui causam damni dedit, propriis etiam bonis ad emendationem damni cogi debere, *Amostaz. loc. cit. num. 2.*, & 3.

Deindè teneri ad Ecclesiæ reparationem contendunt duos Canonicos, quorum Præbendas ad scuta 150. ascendere affirmant, pro rata tamen fructuum earumdem Præbendarum *Concil. Trident. citat. Sess. 21. cap. 7. de Reform.* Maxime quia ipsi quoque oscitantes, & culposi fuerunt, cum non ignoraverint reparationis necessitatem, Pastoralium Visitationum decreta, & constructionem horti pensilis damnum aferentis adhærentibus ædificiis. Atque ex his Ducis Defensores concludunt, quærendos aliundè non esse, qui restaurationi contribuere debeant, cum sufficiant reditus Parochiales, & Canonicales, ex quibus annua summa scut. 600. retrahitur, & quibus addi etiam debent propria Archipresbyteri, & Canonicorum bona ob supinam negligentiam, & culpam, quorum meritò redarguuntur.

Quod si hæc non sufficiant, cogendam subsidiariè putant Communitatem, ad quam Patronatus pertinet, quem quidem perperam Communitas refundere conatur in Ducem Otthoboni, quoties certum est, ipsam anno 1744. Patronatum cessisse Duci Patri, sed paulo post habito ad Sac. Congregationem Boni Regiminis recursu pro abroganda cessione, facultatem obtinuisse *di poter giudizialmente far conoscere l'invalidità di tal cessione*, decretumque in publicis Comitiis fuisse, agendam esse litem, quousque definiretur, *che la Chiesa spetti alla Communità di Fiano*.

Præter hæc observant, quod dum Feudum erat sub dominio Familiæ Ludovisiæ, onus restaurationis Turris Campanariæ a Communitate fuerit assumptum. Addunt, in Instrumento venditionis Feudi enunciata fuisse omnia bona, & jura, etiam præsentandi ad beneficia, absque eo quod mentio facta fuerit Jurispatronatus. Constare itidem ex Instrumento possessionis, nullos quoad Ecclesiam Parochialem actus possessorios fuisse exercitos.

Perperamque existimant, ex jure Feudi Ecclesiæ Patronatum inferri, cum concludenter ostendi deberet, Patronatum hujusmodi esse adnexum Feudo *Cap. Ex Litteris de Jurepatr., Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 9. num. 54., Rot. dec. 973. n. 2., & decis. 1003. num. 5. coram Lancett.*. Et minus etiam recte illud desumi ex jure præsentandi ad beneficia, cum utrumque distinctum sit, prout innumeris exemplis, præsertim Ecclesiarum Urbis probat, *Rot. coram Coccin. decis. 1783. num. 6., & Fargn. de Jurepatr. vol. 3. pag. 192. n. 28.*

Denique Stemma Baronis in fronte Ecclesiæ, & in Organo insculptum, nequaquam conferre dicunt ad Patronatum suadendum, tum quia iisdem in Locis etiam stemma Communitatis inspicitur, tum quia hujusmodi signa fallacia sunt, & referri possunt ad meliorationem, ad restaurationem, & ad piam largitionem *Rot. in Urbevetana Restaurationis Ecclesiæ 19. Junii 1752. §. 5. cor. Vicecomite*.

Ex parte Communitatis nulla hactenus deducta sunt jura.

Concilium Tridentinum *Sess. 21. cap. 7. de reform.* quoad Parochialium Ecclesiarum restaurationem, hæc statuit = *Parochiales verò Ecclesias, etiamsi juris patronatus sint, ita coll. ipsas refici, & restaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota* = Ad tramites hujusce decreti, Doctores omnes certos veluti gradus constituunt, ut nimirum deficientibus peculiaribus pro Ecclesiæ fabrica reditibus, vel Statuto, aut veteri aliqua consuetudine, cujus vigore Ecclesiæ reparationi consultum remaneat, primo loco Parochus huic oneri subiiciatur de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, uti habetur *Cap. De his de Eccles. ædificand.*; secundo loco eos omnes, qui beneficia possident, vel pensiones ex illa Parochia percipiunt, *Cap. Quicumque de Eccles. Ædif.*. Tertio Patronos, si Patronatum retinere velint. Et tandem Populum, seu Parochianos, qui si paupere sint, & pecunias subministrare nequeant, saltem ad manuales operas in fabricam Ecclesiæ conferendas solent excitari *Guttier. alleg. 10., & pract. quæst. lib. 1. quæst. 18. num. 15., Panimoll. dec. 6. adnot. 8. n. 10., & 11.*

Illud etiam in præsenti casu animadvertendum est, an verificetur, & habenda ratio sit negligentiæ Archipresbyteri, & Canonicorum, qui Ecclesiæ restaurationi, sæpius ab Episcopo demandatæ, incumbere prætermiserunt; & quanti faciendum sit damnum, quod ab Archipresbytero ob constructionem horti pensilis illatum asseritur.

Inspectis itaque singulis facti circumstantiis, dignabuntur EE. PP. definire.

An, & quis teneatur ad reparationem Ecclesiæ Collegiatæ, & Paro-

rochialis Terræ Fiani , & Domus Archipresbyteralis in casu &c.

Dilata, scribatur Episcopo juxta instructionem, & ad mentem.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ. Rosa Agostini Uxor Dominici Seraphini Oppidi Acuti unicam, quam habuit, filiam *Annam Catharinam* hæredem in suo Testamento Anni 1746. ex asse instituit, ea lege, ne Dominico Patri ususfructus aquireretur, & ut cohabitaret cum Sacerdote Hyeronimo Nicolai ejus consobrino, & nolente filia hoc exequi, reservata ei proprietate, usumfructum addixit eidem consobrino. Decedente autem quandocumque *Anna Catharina* sine filiis, substituit dictum consobrinum *con facoltà di poter disporre di detta mia Eredità a suo modo, ed in caso che non disponesse, voglio che di detta mia Eredità se ne erigga una Cappellania in onore del Patriarca S. Giuseppe col peso di una Messa votiva il mese del Santo in perpetuo, e di altre nove &c.* *Sess. 22. cap. 8. de Refor.*

Vita functa Testatrice die 24. Novembris ejusdem anni, Sacerdos Nicolai non solum renunciavit cohabitationi cum Catharina nepte, sed etiam præscriptæ devolutioni ususfructus. Curavit tamen, ut ipsa neptis, & hæres in pietate, bonisque moribus informaretur in Conservatorio puellarum Anticoli, ubi ea deinde occubuit. Interim vero degente *Anna* in dicto Conservatorio, Sacerdos Hyeronimus *Anno* 1759. *die* 8. *Novembris* ampliſſime favore ejusdem Conservatorii renunciavit integram hæreditatem, omniaque jura sibi competentia in casu decessus Annæ sine filiis, cum onere manutenendi duas Magistras Pias in Oppido Acuti pro optima puellarum in pietate, bonisque moribus instructione.

Verum post sequutum Annæ Catharinæ obitum sine filiis, Sacerdos Hyeronimus instetit pro Capellaniæ erectione sub invocatione S. Josephi a Testatrice præscriptæ. De hac autem Capellaniæ erectione actum est ad petitionem dicti Sacerdotis Hyeronimi in Congregatione *diei* 9. *Julii* 1768., & proposito dubio *An sit locus erectioni Capellaniæ*, silente Dominico Viro, & Conservatorio, responsum fuit *Affirmative*.

Erectionem hanc beneficio novæ Audientiæ mordicus impugnavit Dominicus vir Testatricis tam ob incertam prædefunctæ uxoris voluntatem, quam ob jam antea factam a Sacerdote Hyeronimo renunciationem favore Conservatorii, ac in *Congregatione* 10. *Februar.* 1770. disputato dubio *An sit standum, vel recedendum a decisis* prodiit responsum *Pro recessu a decisis*. Viden. *folia diei* 9. *Julii* 1768., & 10. *Febr.* 1770., in quibus facti species, & rationum momenta hinc inde adducta late habentur. Nunc itaque in-

instante Sacerdote Hyeronimo, interpellato etiam Conservatorio, duo proponuntur dubia, alterum circa renunciationem emissam favore Conservatorii, alterum circa Capellaniæ erectionem.

Ad I. inquit Sacerdos Hyeronimus, renunciationem factam *die* 8. *Novemb.* 1759. favore Conservatorii nullam prorsus, irritam que esse, quum facultas sibi a Testatrice data alligata fuerit conditioni obitus puellæ *Annæ Catharinæ* sine filiis, hac proinde conditione nondum purificata, nullum sibi jus fuerit de hæreditate disponendi, quia pendente conditione nullum sibi jus esset exercendæ facultatis, quæ a purificatione conditionis obitus *Annæ* sine filiis pendebat. Advertit item, se jam usque ab anno 1747. non solum renunciasse cohabitationi cum puella nepte, *ma ancora alla sostituzione fatta a mio favore &c. non volendo, ne riservando per me cosa alcuna*. Cum itaque substitutio, & jura omnia jàm ab anno 1747. cessa fuerint, eadem amplius cedi, ac renunciari nequiverint anno 1759. favore Conservatorii Anticuli.

Addit, cessionem favore dicti Conservatorii non titulo lucrativo, sed oneroso factam fuisse ob præscriptum onus manutenendi de consensu Episcopi duas Magistras Pias in Oppido Acuti pro optima puellarum in pietate, bonisque moribus institutione. Porro Conservatorium nunquam hanc cessionem acceptasse, nec ullum unquam Episcopi consensum accessisse, quin imo expresse fuisse à Conservatorio repudiatam, & ab Episcopo rejectam, non defuncta *Anna* puella, Conservatorium mandante Episcopo restituisse Dominico Patri omnia mobilia ad defunctam puellam spectantia. Unde concludit, sive ob defectum acceptationis, sive ob claram repudiationem, in nihilo habendam esse dictam onerosam cessionem.

Hinc ad II. arguit, erectioni Capellaniæ locum esse debere ob expressam, apertamque Testatricis legem, *ed in caso non disponesse, voglio che di detta mia Eredità se ne erigga una Cappellania in onore del Patriarca S. Giuseppe*. Cum enim *Anna* Puella decesserit sine filiis, & purificata remanserit conditio erectionis Capellaniæ, hæsitandum non sit, quin hæc erigenda sit, ut Fundatrix præscripta suffragia consequi valeat.

Nec a *Dominico Seraphini* viro Testatricis, nec a *Conservatorio Anticuli* libellum adhuc habuimus.

Testatrix hæredem instituit Annam Catharinam filiam addita lege *Che debba coabitare con il Signor Girolamo Nicolai suo Zio &c. e non volendo abitare col detto suo Zio, in tal caso voglio, che l'usufrutto spetti a detto Signor D. Girolamo, e la proprietà a detta mia figlia*. Præscripsit item *e morendo detta Caterina in età pupillare, o in altra età senza figlioli legitimi, e naturali, voglio, e comando, che succeda a detta mia Eredità il Signor D. Girolamo Nicolai mio fratello cugino con ampla facol-*

coltà di poter disporre di tutta la mia eredità a modo suo, ed in caso che esso non disponesse, allora voglio, e comando che di tutta la mia Eredità se ne eriga una Cappellania in onore del Patriarca S. Giuseppe di una Messa &c. e detta Cappellania voglio che sia mera Laicale da goderſi dagli Eredi del detto Signor D. Girolamo, e suoi colla facoltà amovibile ad nutam, perchè così &c.

Idem vero Sacerdos Hyeronimus, vix secuto Testatricis obitu, solemni actu anni 1747., post narratum onus datum Annæ nepti *che dovesse coabitare con me suo Zio &c. e non coabitando meco in tal caso restasse priva dell'usufrutto dell'Eredità, e quello dovesse devolverſi a me*, declaravit, ac renunciavit *non solo alla coabitazione con detta Anna Catarina mia Nipote, ma ancora alla sostituzione fatta a mio favore, ed acconsento, che tutto il frutto de beni Ereditarj debba cedere, ed erogarsi a favore di detta Anna Catarina erede ad effetto di ritenerla in qualchè Luogo Pio, perchè la medesima possa essere ben educata, ed instruita nel Santo Timor di Dio &c. non volendo, ne riservando per me cosa alcuna &c.*

Demum idem Sacerdos Hyeronimus alio publico actu anni 1759., post narratam facultatem sibi competentem *di disporre dell'Eredità di detta Testatrice*, ad rem gratam faciendam *Annæ Catharinæ* jam in Conservatorio Anticuli degenti, *ha stabilito spogliarsi affatto delle facoltà concessagli dalla detta Testatrice*, ac proinde cessit, ac renunciavit *al Ven. Conservatorio delle Maestre Pie della Terra di Anticoli, e rispettivamente alla Signora Anna Caterina presente, e per detto Conservatorio accettante tutta l'intiera Eredità della detta quondam Rosa Testatrice consistente in stabili, Mobili, ed altro &c. assieme con tutte, e singole sue raggioni* sub onere manutenendi (*ogni qualvolta però resti approvato da Monsignor Vescovo d'Anagni*) binas Magistras Pias in Oppido Acuti pro optima puellarum in pietate, bonisque moribus instructione.

Dijudicent hinc EE. PP. assueta maturitate, ac justitia.

I. *An cessio bonorum hæreditariorum qu. Rosæ Agostini favore Conservatorii Terræ Anticuli sustineatur, & quatenus negative.*

II. *An sit standum in primo, vel in secundo loco decisis in casu &c.*

SANCTI MARCI IRREGULARITATIS. Cum Sacerdos Vincentius, Morelli præ manibus habens ad alium usum securim, insequutus fuisset fugientem Mulierem Rosariam Carino, quæ utero gravis erat, eamque deprehendisset, absque eo quod ictum ullum vibraverit, accidit, ut Mulier timore perculsa trepidare primum, & contremiscere cæperit, deindeque abortum ediderit. Curia Episcopalis in Sacerdotem inquisivit, & post completum Processum, facta defensionibus renunciatione, satius duxit Sacerdos Theo- *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Theologorum judicio se submittere, qui existimarunt, adeundam ab eo esse Apostolicam Sedem pro dispensatione: Quare ipso Supplicante in Congregatione *diei* 8. *Junii nuper elapsi* duo proposita fuerunt Dubia = I. *An constet de de irregularitate in casu &c.* = II. *An sit locus dispensationi in casu &c.* = & responsuum prodiit = Ad I. *Affirmative* = Ad II. *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.*

In instructione autem juxta mentem Sac. Congregationis exarata, quæsitum ab Episcopo fuit, qua de causa processus informativus in Curia Episcopali cæptus, suspensus, interceptusque remanserit, quin Sacerdos defensiones paraverit, nec super qualitate criminis, & pœna sententiæ prolata fuerit, sed solo trium Theologorum voto exquisito, Causa in eadem Episcopali Curia fuerit absoluta: Illudque etiam requisitum extitit, an Orator veræ resipiscentiæ, & constantis emendationis signa exhibuerit. His omnibus in nova sua relatione ita Episcopus respondit. *Refero, quod Fiscali informativo jam constructo, statim, ac sponte ante citationis expeditionem personaliter comparuit antedictus Sacerdos Morelli, eidemque mandatum per Palatium iniunctum fuit, ac ipsiusdem examen receptum, & dein suo constituto compilato defensionibus formiter renunciavit, Fiscales Testes pro recte, ac rite repetitis habuit. Instetit postea, negotium a Theologis secundum conscientiam decidendum fore, illorumdemque qualecumque votum se exequi paratissimum præbens. Hujusmodi petitioni acquievi, ex eo quia antedictus Morelli nunquam mihi sui ipsius correctionis occasionem præbuit, veram, atque exemplarem Sacerdotalem vitam ducens, tum, & ob illiusdem paupertatem, ne expensis in judicio prosequendo gravaretur, ceu & ipse met mihi exposuit hoc ultimum. Tres jam ex melioribus Theologis deputavi ad quæstionem jure dirimendam, qui toto processu sedulo perpenso, ac mature discusso negotio, pronunciarunt, debere enunciatum Sacerdotem Morelli, ob conscientiæ suæ solatium, absolutionis, dispensationisque gratiam a SSmo Domino Nostro quam citius obtinere. Cui Theologorum voto precibus suis ad SSmum porrectis statim acquievit: Partis offensæ, & querelantis remissionem, & exculpationem obtinuit ipse met Morelli, quæ in actis existit. Quibus stantibus, & ob suam bonam, religiosamque vitam, tum ob ipsius met paupertatem ulterius non molestandum esse benigniter censui, ast porrectarum precum exitum expectandum fore.*

In eodemque sensu etiam nunc perseverat, præsertim quia *de die in diem veræ pœnitentiæ, constantis emendationis, & non fucatæ resipiscentiæ indubia exhibuit laudatus Sacerdos signa cum communi ædificatione.* Atque hæc sunt, quæ juxta mandata Sac. Congregationis iterum refert Episcopus; cumque nihil modo addendum sit iis, quæ in præterito folio diei 8. elapsi mensis Junii perpensa sunt, rogantur idcirco Emi PP. illud resumere, deindeque decernere.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Die

Die Sabbathi 28. Septembris 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CUm duæ, quæ ſubjiciuntur Cauſæ, diſcuti non potuerint in poſtrema Congregatione diei 31. elapſi menſis Auguſti, in cujus folio deſcriptæ fuerant, placeat idcircò EE. VV. tum illas, tum alias in præſenti folio adnotatas hodierna die definire.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ.

I. *An ceſſio bonorum hæreditariorum qu. Roſæ Agoſtini favore Conſervatorii Terræ Anticuli ſuſtineatur*: *Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.*

Et quatenus negativè

II. *An ſit ſtandum in primo, vel in ſecundo loco deciſis in caſu &c.*

Ad I. Negativè.
Ad II. In primo loco deciſis.

SANCTI MARCI IRREGULARITATIS.

An ſit locus diſpenſationi in caſu &c. *Seſs. 14. cap. 7. de Reform.*

Negativè.

LUCANA MATRIMONII. Nullitatem matrimonii cum nobili Viro Blaſio Torre contracti, propoſuit Sacræ Congregationi nobilis Mulier Fulvia Sinibaldi, ex cauſa impotentiæ ejuſdem Blaſii. Meliores exquiſivit Sacra Congregatio die 29. Julii 1761. de eadem impotentia probationes, edito reſcripto = *Dilata, & fiat recognitio Corporis juxta inſtructiouem D. Secretarii* = Remiſſo autem ab Archiepiſcopo Proceſſu, injunctas continente probationes, iiſque *Seſſ. 24. cap. 1. de Refor. Matrim.*

que examini subjectis die 13. Decembris 1767. prodiit responsum = *Dilata, & esse locum experimento cohabitationis triennalis*.

Novas ead. Mulier exhibuit preces pro declaratione nullitatis matrimonii, quæ die 26. Augusti 1769. Archiepiscopo fuerunt remissæ, ac demandatum, ut nova fieret recognitio Corporis Mulieris. Hac igitur expleta, repropositaque Causa in Congregatione diei 4. Maji currentis anni, in controversiam primò deducta fuit validitas Actorum, quæ gesta in partibus erant a Vicario Generali post obitum Archiepiscopi, cui res mandata fuerat expedienda: deindeque dubitatum quoque fuit, an completa esset triennalis cohabitatio a Sac. Congregatione demandata, & an in casu expediret, ut compleretur, His autèm omnibus in folio ejusdem diei relatis, & solita maturitate perpensis, EE. VV. tunc rescribendum censuerunt = *Dilata, & prosequatur experimentum per alium annum*.

Verum datis ab Archiepiscopo litteris, in quibus nunciabatur quid periculi ex ulteriori immineat experimento, quidve illiciti moliminis ejus occasione Vir tentaverit, iisdemque litteris a me recitatis in Congregatione diei 3. *Augusti nuper elapsi*, EE. VV. jusserunt, ut Causa hodie reponeretur, & interim eidem Archiepiscopo proponeretur temperamentum, quo juxta relatas ab eo circumstantias agere debuisset. Alio igitur expleto processu super recognitione Corporis Mulieris, & super eorum verificatione, quæ narrata fuerant, juxta mandata EE. VV., Causa nunc reproponitur. Pudor prohibet, ne quæ in eodem processu continentur, quæque post injunctam experimenti prosequutionem acciderunt, typis edantur, & in publicam prodeant lucem, patebunt tamen ex foliis scripto traditis, & EE. VV. circumferendis, ut deniant

An sit locus dissolutioni Matrimonii, in casu &c.

Affirmative.

Sess. 24. de Matrim. can. 6.

NEAPOLITANA MATRIMONII. Matrimonium iniit *die* 8. *Aprilis anni* 1759. Patinæ Marchio *Vincentius Confalone*, tunc ætatem agens annorum 19. cum divite puella *Catharina Bajona* annos sexdecim nata. Cohabitarunt una cubantes Sponsi menses propemodum quinque: Postea Catharina *die* 31. *Augusti ejusdem anni* divertens a Viro sese recepit in Monasterium vulgo appellatum *delle Scorziate*, ubi usque ad præsens quoque moratur. Anno deinde 1768. declarante Viro voluntatem vovendi se Deo *nell'Ordine di S. Spirito, o in altro Ordine approvato dalla S. Sede*,

S. Sede, Curia Archiepiſcopalis poſt plura compilata acta ad excludendam matrimonii conſummationem, ſententiam protulit = *Matrimonium eſſe ratum, non autem conſummatum, ac proinde licere, & licitum eſſe Marchioni Vincentio Conſalone ingredi Religionem approbatam ad finem ſolemniter profitendi.*

Ad provocationem tamen Defenſoris Matrimonii delata quæſtio eſt ad Sacram Congregationem, propoſitoque die 28. Aprilis 1770. quæſito = *An conſtet de Matrimonio rato, & non conſummato, itaut liceat Marchioni Vincentio Conſalone ingredi Religionem approbatam ad effectum in ea profitendi*, prodiit reſponſum *Negativè*. Viden. folium diei 31. præcedentis menſis Martii, in quo latius facti ſeries, ac rationum momenta hinc inde propoſita habentur. Novis vero nunc paratis juribus ad excludendam matrimonii conſummationem, obtentoque beneficio novæ audientiæ, eadem quæſtio reproponitur.

Repetit Conjugum Patronus, id unice inquirendum, an matrimonium fuerit nec ne conſummatum, quum quæſtio hæc inſtituatur non ad dirimendum conjugium ob impotentiam abſolutam, vel reſpectivam, ſed tantum, ut *Marchioni Vincentio* liceat Deo ſe vovere, & profeſſionem in aliquo Regulari Ordine emittere. Ad hunc autem effectum non eæ rigidiores proferantur oportet probationes, quæ in primo caſu deſiderantur, ſed leviores admittuntur, quæ maximam exhibeant probabilitatem, matrimonium haud fuiſſe revera conſummatum, cum ſuſpicandum non ſit, quid fraude, vel colluſione moliri ab eo, qui perfectiorem vitæ rationem inſtituere exoptat *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſput. 109. num. 10.* Addit vero, concludentes præterea hic præſto eſſe probationes, matrimonium *Vincentii* tantum ratum, non conſummatum fuiſſe.

Apertè id evinci clamat ex pluries repetita cum Sacramenti religione tam a Viro, quam ab Uxore confeſſione, confirmata ulterius tum ex juramento ſeptimæ manus Conſanguineorum, tum ex parte Viri, tum ex illa Uxoris. Hanc autem uniſonam confeſſionem juramento ſeptimæ manus firmatam, a Sacris Canonibus *verum, & rectum judicium* appellari, ſatiſque eſſe, ut quælibet conſummationis umbra excludatur, etiam ad effectum diſſolutionis Conjugii *cap. 1., & cap. 5., & cap. ult. de Frigid., & malef.*

Nec momenti eſſe præcedentes Viri declarationes de conſummato opere, in ſecunda, & in tertia condormitionis nocte. Quum illæ prodierint in litis æſtu, eaſque utcumque a veritate, & juſtitia abhærrantes ex ore Vincentii expreſſerit avaritiæ ſpiritus, ſive timor amittendi commodum Uxoriæ Dotis. Et revera Vincentius ipſe tunc etiam dixit maritale opus non compleviſſe prima nocte; at qui primo amoris æſtu impotens fuit, nec ſecundo nec

tertio concubitu potentiam aquirere potuit. Affirmavit porrò consummationem in secunda, & in tertia nocte, sed ambiguis, & obscuris verbis, dubitans an intra, vel extra vas semen effuderit: Observat insuper Patronus Conjugum, toto demum quinque mestre condormitionis tempore virum numquam officio suo functum fuisse, unde eo minus ambigendum nec secunda, nec tertia nocte illud implere potuisse; Concludens inde illi dubiæ, & inverosimili declarationi præferri omnino oportere indubiam, claramque confessionem de non completo opere subinde in obsequium veritatis expositam.

Præsertim quum alias plures urgere jactet probationes consummationis exclusivas. Urgere profecto Vincentium ad eam simulandam sanguinem Pipionis ad faciendam fraudem comparasse; ad potentiam aquirendam consilio Medicorum mutasse locum, calidiores cibos, & medicamina sumpsisse, & eo demum deveniisse, ut repugnanti Uxori turpissima amittendæ virginitatis media insinuaverit. Ex his autem Viri impotentiam evinci *Vrsay. disceptat. 12. num. 10. tom. primo*, *Rot. post Zacch. quæst. medic. leg. dec. 6. num. 6.* Urgere ulterius, Uxorem pluries, & tempore non suspecto, de Viri imbecillitate passim conquestam fuisse nedum cum familiaribus, sed cum Confessario etiam, aliisque Sacerdotibus. Urgere demum publicam inde exortam famam de numquam secuta consummatione. Quæ omnia matrimonii tantum rati gravissima sunt argumenta *Card. de Luca de Matrim. disc. 9.*

Addit demum inspectionem tam corporis Viri, quam Uxoris. Illo etenim anno 1760. a quatuor Physicis recognito, omnes ultra externa vitia constantem flacciditatem agnoverunt: Nuper item renovata inspectione ab aliis quatuor Physicis, eadem externa vitia, eademque flacciditas perspecta fuit, adeout una fuerit omnium sententia, constare de vitio originario, nativo, & obfirmato. Ex inspectione vero corporis Uxoris facta a duabus judicialibus Obstetricibus, explorata res est, ipsum adhuc intactum, & nullo Viri congressu vitiatum esse. Ex hac proinde accurata utriusque Conjugis inspectione aperte evinci *Vincentium* maritale opus nunquam impleviisse *Cap. Proposuisti 4. de Probat.*, *& Rot. ad Ornat. Card. de Luc. lib. 14. dec. 11. num. 6.*

Nec recte opponi vel judicium quatuor Medicorum a Viro productum, vel luem veneream ex post a Viro contractam. Illorum siquidem judicium utpote extrajudiciale in nihilo habendum esse, præsertim quia ab aliis judicialibus de falsitate, ac errore convincitur. Luem vero veneream esse meram fabellam a Matre *Vincentii* unicè suggestam; quæ litem fovebat, agebatque: & sanè nullo Medici, vel Chirurgi testimonio fulciri, nulla Pharmacorum nota,

nul

nulliusque Pharmacopolæ dicto, imo ipsam *Vincentii* Matrem veritati, ac suæ conscientiæ consulendo dicti morbi fictionem juramento fassam fuisse.

Perperam demum excipi judicium Obstetricum fallax esse, & nimis serotinum. Affirmatur enim, hunc esse modum probandæ virginitatis a Sacris Canonibus adinventum, & communi Ecclesiæ praxi, ac disciplina confirmatum, *Cap. Proposuisti 4. de Probat.*, *cap. Causam 14. eodem tit.*, & quidem recto jure, quia certa, & indubia signa adsunt, quibus virgo a corrupta distinguitur, *Zacch. quæst. Med. legal. lib. 4. tit. 2. quæst. 2. num. 9.* Ea autem signa Virginitatis semel Viri congressu disrupta, nunquam ad primævum statum redigi, quantocumque temporis spatio mulier a viro abstineat *Bovijeres in commentar. de Matrim. dissol. ob impot. §. 49.*

Contra Defensor Matrimonii ea omnia repetit, quæ fusè in præteritis scriptis opposuit tam ad excludendam Viri impotentiam, quam ad evincendam matrimonii consummationem, quæque latius referuntur in folio *diei 31. Martii* 1770. Addit tamen, novas nunc allatas testificationes nullius momenti reputandas esse, tum quia extrajudiciales *Cap. 2. de Testib.*, tum quia editæ sunt non citato, nec interpellato Defensore matrimonii, nec servatis aliis præscriptis *in Constitutione sa. me. Bened XIV. la 34. Tom. 1. §. 6. & seqq.*. Præsertim quia eadem testimonia vel carent necessaria Testium subscriptione, vel nulla Notarii recognitione obsirmata fuerunt.

Statuit Alexander III. *in cap. Verum 2. de converf. conjug.* = *Verum post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante eligere Monasterium (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire, quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere* = *& in cap. Ex publico 7. eod. tit.* = *Mandamus quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eodem ad religionem transire voluerit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam a sententia, qua tenetur absolvas, ita quod si ad religionem transierit, uterque restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse.* Hinc Sancta Synodus Tridentina *in sess. 24. de Matrim. can. 6.* edixit = *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Eo itaque tota redit inspectio, an matrimonium *Vincentii*, & *Catharinæ* sit tantum ratum, vel potius consummatum. Initio litis *Vincentius* Vir consummationem affirmavit, Catharina vero Uxor eam negavit. At affirmante Viro

matrimonium fuisse consummatum, non *Mulieri* contrarium asserenti, sed Viro est credendum *Can. Si quis acceperit* 33. *quæst.* 1., *cap. Continebatur de despons. impub.* = *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum in decretis habeatur expressum, quod si Vir dixerit, quod Uxorem suam cognoverit, & Mulier negaverit, Viri standum est veritati, & præfato Viro, qui dixit se Mulierem cognovisse fides est adhibenda, si id juramento firmaverit.*

Verum enim vero si ex aliis probationibus, ac conjecturis veritas confessionis Mulieris eluceſcat, huic potius, quam Viro contrarium asserenti est credendum. Ita docet Gregorius VIII. *in cap. Proposuisti* 4. *de Probat.* = *Cum partes essent in tua præsentia constitutæ, Mulier proposuit se nec a Viro cognitam, nec potuisse cognosci, quod tam proprio juramento, quam testimonio septem Mulierum probavit, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseruerant, viro per juramentum suum contrarium asserente, videtur igitur nobis, quod juramento puellæ, & testimonio illarum septem Mulierum fides est potius adhibenda.*

Ponderandum itaque in facto est, an attentis probationibus, conjecturis, adminiculis, & argumentis in casu concurrentibus potius *Vincentio* Viro affirmanti, quam *Catharinæ* Uxori neganti fides sit præstanda. Quanti item habendæ sint recentiores Viri declarationes non habitæ consummationis in retractationem præcedentium, itaut omnis absit suspicio, Virum modo consummationem negare non ex tædio litis, nec ex amissa spe recuperandi Uxorem, sed in veritatis obsequium, & in suæ conscientiæ exonerationem. Etiam dum quæritur de matrimonio rato, ad hoc ut alter ex Conjugibus professionem emittere valeat, tales esse debent probationes, ut omnis dubitandi locus excludatur, ne alias perpetuo adulterio superstes Conjux ad alias nuptias convolando exponatur.

Sacra Congregatio in *Neapolitana Matrimonii* 11. *April.* 1761., in qua ambo Coniuges summa cum bona fide sub iteratis juramentis testati fuerant, etiam post bimestrem cohabitationem opus maritale non compleviſſe, nec compleri potuisse ob impotentiam Viri, idque ipsum confirmaverant consanguinei, familiares, communes genitores, ac septima manus, Medici, & Chirurgi inspecto corpore Viri, & Obstetrices inspecta Muliere, responsum dedit, matrimonium esse tantum ratum, & licere Viro ingredi Religionem.

Eminentissimi Patres, qua ornantur juris sacri peritia, & optimo rerum judicio, dignentur responsum dare

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes, servata forma Constitutionis Benedictinæ.

ALE-

ALEXANDRINA SUSPENSIONIS. Præter denegatam Alexandro Gamalero institutionem ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis Alexandrinæ, ad quem fuerat legitimè præsentatus, Rmus Episcopus eum præterea suspensum declaravit tum ob non adimpleta Missarum onera suo beneficio, & Legato pio adnexa, tum ob insufficientiam Patrimonii, cujus titulo ad Ordines fuerat promotus, tum etiam ob alienationem bonorum ejusdem Patrimonii. Provocavit Sacerdos Alexander ad Sedem Apostolicam, proindeque in postrema Congregatione diei 31. elapsi mensis Augusti propolita fuerunt tria dubia, quorum resolutio, supplicante Episcopo pro dilatione, ad hodiernam diem jussu EE. VV. protracta fuit. *Sess 21. cap. 2. de Reform.*

Cum autem de Causæ meritis agendum modò sit, nihil adhuc Episcopus deduxit, nihilque de suis juribus exhibuit: Quare rogantur EE, PP. folium præteritæ Congregationis resumere, & sequentibus dubiis respondere.

I. *An constet de legitimis causis suspensionis, in casu &c.*
Et quatenus affirmativè
II. *An sit locus absolutioni, in casu &c.*
III. *An Canonicatus sub titulo S. Petri erectus in Cathedrali Ecclesia Alexandrina sit adjudicandus Sacerdoti Alexandro Gamalero, ita ut per Episcopum sit ei danda institutio, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & quoad investimentum Capiralium Capitalium restitutorum Episcopus utatur jure suo.
Ad II. Provisum in primo.
Ad III. Affirmativè.

AMERINA. Ad novam construendam in Oppido Jovii Parochialem Ecclesiam duo indulsit anno 1738. sanme. Clemens XII.: alterum, *ut pro constructione novæ Ecclesiæ erogari valeat summa, quæ debetur Monti, seu Montibus frumentariis ejusdem Terræ Jovii, pro eo tamen solummodo, quod supereſt extra sortem erectionis*: Alterum *ut erogari valeant annua scuta* 120. *assignata pro duabus puellis de Terra Jovii, quæ nubere velint in Domino, non concurrentibus de illa Terra Jovii puellis de anno in annum, quæ velint profiteri in Religione. Si autem una saltem puella concurrat ex prædictis, unum subsidium dotale tantum scut. 60. de anno in annum erogari* *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

valeat pro constructione dictæ Ecclesiæ ad decennium.

Cæpta hinc anno 1743. ædificatio est, sed urgente necessitate majoris subsidii, Dux Matthæjus venditionem petiit Locorum montium 20., quæ fundum constituebant unius ex dictis duobus subsidiis dotalibus, quam *in Congregatione diei 15. Decembris 1764.* obtinuit cum onere reintegrandi eadem Loca 20. ex multiplico faciendo cum fructibus aliorum 20. locorum montium superextantium, non concurrente tamen puella Terræ Jovii, quæ vellet in Domino nubere. Viden. *folium diei 24. Novembris ejusdem anni*, in quo disertissimè facti species habetur. Verum cum ultra pretium dictorum 20. locorum in Fabricam erogatum, deesset adhuc ad ejus perfectionem summa scutorum 1506, idem Dux Matthæjus facultatem petiit alienandi loca montium jam ex multiplico comparata, nec non imponendi censum scutorum 1020. super locis montium 20. superextantibus, ut tandem aliquando perfici valeret Ecclesia.

Preces hæ relatæ fuerunt *in folio diei 26. Augusti 1769.*, sed tunc resolutione dilata ad sequentem Congregationem *diei 16. Septembris*, in hac Eminentissimi PP. novas litteras Episcopo Amerino dandas censuerunt, ut secerneret extantia capitalia Montis Frumentarii, & ulterius *dello Spiano* a quantitate eorumdem erectionis, nec non referret, quæ frumenti quantitas Populi necessitati inserviat, quæve superexcedat. Inquireret etiam de Communitatis viribus, & de Populi facultatibus, an aliquam saltem sumptuum partem conferre posset; & demum, an alia adessent media, quibus necessitati Ecclesiæ consuli posset.

Hisce omnibus cum hodiernus Episcopus plene satisfecerit, Dux pròinde *Matthæjus* easdem repetit preces. Inquit, dubium amplius non esse de totali defectu alterius cujuscumque subsidii, deque Communitatis, Populique impotentia: Tanta ideo urgente necessitate rogat, ut ad perficiendum Ecclesiæ Parochialis ædificium, quod jamdiu jacet imperfectum, tandem aliquando indulgeatur petita applicatio, cum reædificatio Ecclesiæ Parochialis, ut bonum publicum respiciens, melius, utiliusque opus pium cæteris operibus piis semper sit anteponendum.

Episcopus ad novas Sacræ Congregationis litteras respondit, necessarias expensas pro Fabricæ opere complendo exposcere summam scutorum 1600., nullumque in id subsidium sperari posse ex Montibus Frumentariis in Terra Jovii existentibus, utpote facultatibus lapsis, & accolarum indigentiæ penitus imparibus; nec expedire eosdem imminui, aut aboleri, ne alias populus culturam, agrosque

que inſeminatos deſerere, & alio demigrare compellatur.

Teſtatur quoque Communitatis proventus non modo exhauriri, ſed etiam impares eſſe oneribus publicis ſubeundis, imo inſigni debito ſcutorum 800. Communitatem gravatam eſſe: Parochiæ verò reditus adeo tenues eſſe, ut ne decentem quidem congruam exhibeant. Parochianorum conditionem adeo miſeram eſſe, ut præter operas manuales uſque nunc etiam gratis præſtitas, nequeant alterius contributionis gravamen ſubire. Sodalitia tandem nihil poſſidere, nullumque auxilium ferre poſſe: Concludit proinde unicum pro abſolutione Eccleſiæ Parochialis ſubſidium petendum eſſe ex legato, Lociſque Montium Barbaræ Matthæi. Hoc tam ſancto, utili, ac neceſſario opere piam Teſtatricis voluntatem pinguius impleri, ſimulque tum ſpirituali, tum temporali Jovienſium bono conſuli. In id demum conſenſum præbere omnes intereſſe habentes, nec non Communitatem, & Incolas ejuſdem Terræ.

Reproponitur itaque petitio

An, & quomodo ſit concedenda facultas alienandi Loca Montium confecta ex multiplico, itemque facultas imponendi cenſum ſcutorum mille ſuper fructibus Locorum 20. ſuperextantium, in caſu &c.

Affirmativè juxta modum, ſcilicet cum onere reintegrandi loca montium, & extinguendi cenſum juxta modum, & tempus ab Epiſcopo præfiniendum, cujus Curæ erit invigilare, ne quid ſuperfluum in cauſam Fabricæ impendatur, & pecuniæ, quæ neceſſariæ fuerint in eam cauſam fideliter erogentur, reddita ſingulis annis coram Epiſcopo ratione, eique ſcribatur juxta inſtructionem facto verbo cum Sanctiſſimo.

CO-

Seff.22. decret. de observ., & evitan. in celebr. Miff.

Et

Sefs.24. cap.12. de Reform.

COMEN. CELEBRATIONIS MISSARUM. Pro ea qua pollet Paſtorali ſollicitudine in Eccleſia ſibi commiſſa adminiſtranda Epiſcopus Comen., duo præſertim in Cathedrali Eccleſia inſtituit curavit. Primum reſpicit celebrationem plurium Miſſarum Conventualium cum cantu iis diebus, quibus plures *Miſſæ* a Rubrica decernuntur; Alterum pertinet ad vetitam Canonicis Miſſarum privatarum celebrationem eo tempore peragendam, quo Divinum Officium in Choro recitatur. His contradixit Capitulum, contrariæ conſuetudini, aliiſque rationibus innixum, factuſque propterea eſt locus diſceptationi trium dubiorum, quæ in calce tranſcripta ſunt.

Ad I. quod attinet, ex conſuetudine, contendit Capitulum non teneri ad duplicem Miſſam Conventualem, niſi in feriis dumtaxat Quadrageſimæ, quum recurrit alicujus Sancti Officium, & diebus obitus, vel Anniverſarii alicujus Defuncti. Conſuetudinem hanc probatam aſſerit ex ipſis Capituli Statutis annorum 1390., 1440., & 1534., quibus pro una tantum Miſſa aſſignantur diſtributiones, pariterque pro una tantum Miſſa in aliquibus anni feſtivitatibus augentur. Contendit autem hujuſmodi Statuta non *indefinitè*, ſed *taxativè* loqui de unica Miſſa, eo quia dictionem ſemper exhibeant in ſingulari numero, & nunquam de duabus Miſſis mentionem faciant.

Addit, nonnullos Epiſcopos hujuſmodi conſuetudinem ſubvertere quidem adniſos fuiſſe, ſed reſtitiſſe Capitulum, eamque propugnaſſe, & nunquam exequutioni mandaſſe decreta hac de re edita ab Epiſcopo Vercellenſi Viſitatore Apoſtolico anno 1580., ab Epiſcopo Archinto anno 1618., & ab Epiſcopo Carafino anno 1641., ita quidem, ut interpoſita anno 1642. a Capitulo appellatione apud S.Congregat.Epiſcop.,& Regul., reſponſum fuerit = *Scribatur Epiſcopo, ut ſuperſedeat, commiſſa Cauſa Eminentiſſimis Spadæ, Cajetano, & Ceſarino.* Immò advertit, quod licet in Diæceſana Synodo ſub Cardinali Ciceri celebrata cuique Collegiatæ injunctum fuerit onus canendi duplicem Miſſam Conventualem in feriis privilegiatis per annum; nihilominus nunquam Capitulum a veteri more, inſtitutoque deflexerit. His adjicit teſtimonium unius Canonici, & alterius Manſionarii, quorum primus a *56.* annis, alter vero ab annis *35.* Cathedrali inſervit.

Obſervat præterea onus canendi Miſſam Conventualem non *præceptivum* eſſe, ſed *directivum*, & per modum conſilii; cum S. Pius V. biſcentenariam conſuetudinem hac ſuper re ſervari mandaverit. Infert proindè Cathedralis Eccleſiæ conſuetudinem non eſſe improbandam, habita præſertim ratione reliquorum onerum, quibus Capitulum ſubjicitur, & circumſtantiarum, in quibus verſatur. Recenſet

ſet autem hujuſmodi onera, ſcilicet, canendi Tertiam, & Miſſam Conventualem, nec non recitandi Officium Beatæ Mariæ Virginis, & Defunctorum, & Pſalmos Graduales, & Pœnitentiales juxta Rubricam, inſuperque plures habendi ſacras Supplicationes, publicaſque preces, ultra eas, quæ in Rubrica deſignantur; & ulterius audiendi Conciones non ſolum tempore Quadrageſimæ, & Adventus, ſed etiam ſingulis diebus feſtis a Pentecoſte, uſque Aſſumptionem Beatæ Virginis.

Circumſtantias verò repetit ex inſalubri ſitu tum Civitatis, tum maxime Eccleſiæ Cathedralis in inferiori parte poſitæ, propè aquas Lacus Larii, praviſque aeris affectionibus, quorum cauſa adverſæ valetudinis, & mortis periculum imminet. Id autem deprehendi dicit ex Medicorum teſtimonio, & ex experientia, qua conſtat, Canonicos, ut plurimum in florida ætate decedere. Concludit itaque incongruum omnino eſſe, ut inſolito, ſemperque impugnato oneri duplicis Miſſæ Conventualis Capitulum ſubjiciatur.

Conſuetudinem quoque jactat Capitulum quoad celebrationem Miſſæ tempore Divinorum Officiorum, de quo in II. dubio agitur. Rationabilem contendit hanc conſuetudinem, quia alias congruum deficeret tempus ad Sacrum peragendum, tum quia ob inſalubritatem aeris, nimiumque frigus prohibentur Canonici Sacrum facere ſummo mane, & antequam Chorum incipiat; tum etiam quia abſoluto Choro vix ſupereſt dimidium horæ, quo brevi temporis ſpatio non omnes Canonici, qui numero 20. ſunt Sacrificium celebrare poſſunt; tum demum quia Eccleſia dum Divinum recitatur Officium vacua eſſet, & advenientis Populi devotio imminueretur. Invectam hac ſuper re conſuetudinem probatam ſuſtinet a pluribus Epiſcopis, qui in ſuis decretis nihil contra illam ſtatuerunt, & quamvis præterito ſæculo Epiſcopus Carafini reclamaverit, nihilominus Capitulum ſeſe oppoſuit, & coram hac Sacra Congregatione conſuetudinem probaſſe affirmat.

Suſtinet denique ad III. Dubium opus non eſſe Chori Præfecto poſt noviſſima Statuta, quibus cohibetur Canonicorum licentia diſcedendi a Choro ad Miſſam celebrandam. Officium Præfecti Chori nunquam agnitum a Capitulo fuiſſe, & nunquam admiſſum, licet nonnulli ex antiquis Epiſcopis illud inſtituere curaverint: immo quamvis Viſitator Apoſtolicus decretum anno 1580. hac ſuper re ediderit, nihilominus habito ad Sacram Congregationem recurſu, demandatum fuerit = *Del Prefetto del Coro per adeſſo non ſi vuol innovare coſa alcuna, ma ſi laſcia l'autorità al Veſcovo intera, come è di ragione*. Hactenus jura a Capitulo deducta,

cta, plura etiam deducturum in libello EE. VV. circumferendo.

Episcopus e converso in nonnullis foliis transmissis quoad I. consuetudinem rejicit, eamque nullo modo probari asserit ex Capitularibus Statutis, quæ non *taxativè* de unica *Missa*, sed *indefinitè* loquuntur, iisque formulis, quæ vel ad unam, vel ad plures *Missas* Conventuales referri possunt. Idque ipsum optari putat decretis Episcopi Trivultii anni 1534., atque Episcopi Vulpii, & Archinto, cum ea decreta tantu mmodo respiciant, & præsiniant locum, in quo Canonici canere debent horas Sextam, & Nonam, quando *Missa* sollemnis cantantur in Choro, aut in alia Capella; vel referri debeant ad tempus, quo Canonicis fas est discedere a loco, ubi canitur *Missa*, scilicet *post finem Missæ*, vel eos solùm comprehendat, qui *Missam* canere debent. Nullum tamen ex hisce decretis ad numerum *Missarum taxativè* referri posse.

Animadvertit præterea Statuta anteriora esse Rubricis a Sancto Pio V. promulgatis, & Capitulum difficili negotio moveri potuisse ad novum Ritum exequendum, itaut nonnisi anno 1600. inductum fuerit ad Breviarium Romanum amplectendum, a quo quidem tempore initium consuetudinis desumi tantùm posse existimat. Ab eo autem tempore sustinet consuetudinem non probari, quin immò refert Episcopum Bonomium decrevisse = *Che occorrendo celebrarsi qualche festa nei giorni feriali, ai quali è ordinata Messa propria della Feria, si cantino due Messe una della Feria, l' altra della Festa* = Et Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium de hoc Decreto scripsisse = *Il Decreto 20. ricavato dalle Rubriche del Messale nuovo, che così ordinano espressamente, e dalla consuetudine della maggior parte delle Chiese Cattedrali, e Collegiate, nelle quali in certi giorni si dicono due Messe cantate, o Conventuali; ma per dar qualche soddisfazione al Capitolo si accontentano questi miei Signori Illustrissimi, che la prima delle due Messe si dica leggendo, però in presenza de Canonici, e così V.S. avrà cura, che si osservi in ogni maniera.*

Addit etiam Decetum Episcopi Archinto, qui præscripsit = *Che la Messa Conventuale si canti ogni giorno, conforme nell' Offizio di quel giorno, e quando occorre cantar Messa de Morti, o per Anniversarii, o per altri Offizj de Defonti, se ne cantino due, una de Vivi, e l'altra de Morti; poichè la licenza avuta dalla Sagra Congregazione di Roma, che quando occorrono due Messe Conventuali l'una si dica in parola, e l' altra si canti, s'intende solamente nelle Vigilie, nelle quali si dicono due Messe l'una del Santo corrente, e l' altra della Vigilia.* Cumque adversus hujusmodi, & alia similia decreta Capitulum reclamasset, prætextu inveteratæ consuetudinis unicam ca-

nend

nendi Missam, *Sacra Congregatio Concilii Interpretum, auditis partibus censuit, decreta, ut proponitur ab Episcopo in Ecclesiæ visitatione facta esse valida, & confirmanda, prout confirmavit, non obstantibus Capituli obiectionibus.*

Hoc autem Decretum Capitulo nunciatum fuisse asserit Episcopus, congregatisque Canonicis, refert, Archidiaconum tunc temporis totius Capituli nomine, declarasse = *Paratos se esse, quæ Sacra Congregatio, & Reverendissimus Episcopus præscripserit exequi.* Advertit insuper Episcopum Caraffini anno 1641. inhærendo dictæ resolutioni decrevisse = *Che similmente perdano la distribuzione della Messa Conventuale quelli, che non si troveranno presenti alla seconda Messa, che conforme alle Rubriche del Messale si deve con obligo di peccato mortale cantare nelle ferie privilegiate.* Nec obstare rescriptum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium anni 1642. his verbis conceptum = *Scribatur Episcopo, ut supersedeat, commissa causa Eminentissimis Spadæ, Cajetano, & Cesarino*, cum illud referri solum debeat ad partem pœnalem Decreti, a qua fuerat appellatum.

Profert deinde aliud Decretum Episcopi Turriani anni 1658, quo declaravit = *Che se si stimano esenti legittimamente dal cantare due Messe Conventuali nelle ferie privilegiate in virtù della moderazione de decreti della Visita Apostolica al num. 20., non intendiamo, che ciò possa estendersi alli giorni degli Anniversarj, o altri Offizj de Morti, per li quali è assegnata mercede particolare.* Existimat autem hujusmodi Decretum supponere celebrationem duarum *Missarum* Conventualium; unius scilicet cum cantu, & alterius sine cantu, nihilque quoad has duas *Missas* disponere, solumque præscribere onus canendi tum *Missam* Conventualem, tum *Missam* pro Anniversario, & pænam indicere, si non canatur. Negat etiam ab hujusmodi Decreto Capitulum appellationem unquam interposuisse, cum appellatio tantum respiciat Decreta Synodi anni 1672.. Denique provocat ad acta Visitationis anni 1701. ex quibus hæc habentur = *Occurrente, quod celebrari debeant Missæ duæ secundum Rubricam Missalis, & Kalendarii, celebrantur scilicet una privata, & altera decantata.*

Quoad II. dubium proponit Episcopus antiqua Capituli Statuta, & Ordinationes, quibus ita decernitur = *Ad hoc ut major intelligentia intendatur circa divinum cultum, & ne aliquis residentium requisitos colores inveniat se absentandi a divinis horis &c. non recedant ab ipso loco, ubi Missa celebratur, nisi post finem Missæ, & perfecto Evangelio S. Joannis* = Deindeque allegat decretum ab Episcopo Archinto editum anno 1598., quo statuitur = *Ogni Canonico, che non si troverà presente in Coro, e Matutino, ed alle Ore Canoniche al primo Salmo, ed alla Messa grande all'ultimo* Kyrie *Eleyson, ovvero fini-*

to il Gloria in Excelsis, quando si canta, sia notato per assente, salvo se per infermità legitima, ovvero per negozj proprj del Capitolo, ò chiamato da Monsignor Reverendissimo per commune utilità di questa Chiesa.

Neque adversus hujusmodi decretum opponi posse censet Capituli reclamationes, tum quia eæ non respiciunt casum absentiæ a Choro ad effectum celebrandi Missam, tum etiam quia Episcopus Caraffini contra abusum, qui irrepserat querelas anno 1642. proposuit Sac. Congregationi Episcoporum, & Regularium, tum demum quia Episcopus Turriani anno 1668. punctari mandavit quemcumque Canonicum, qui tempore divinorum Officiorum a Choro discederet, ut Missam celebraret; Et hoc modo priora jam edita decreta confirmavit.

Non diffitetur Episcopus posse Præfectum Chori ob temporis angustiam, & commodum Populi, aliasque circumstantias facultatem Canonicis impertiri Missam celebrandi etiam tempore divinorum Officiorum; Sed negat liberum Capitulo esse legem hac de re dicere, certamque methodum absque ipsius Episcopi licentia præfinire, tum quia Concilium Tridentinum Episcopi consensum requirit in iis, quæ ad Chori servitium pertinent, tum etiam quia id ipsum Episcopus Caraffini suo decreto mandavit, declarans = *Non hanno alcuna autorità, ed arbitrio li Canonici, e Capitolo di fare ordini, e decreti, ne di stabilire cosa alcuna specialmente in proposito di residenza, distribuzioni quotidiane, e simili senza nostro particolare assenso, ed approvazione.*

Cæterum probari non posse censet methodum a Capitulo præfinitam, quod scilicet duo ex Canonicis tempore Matutini, tres verò tempore aliarum horarum ad Missam celebrandam absint a Choro. Etenim ponderandum proponit, Capitulum constitui ex viginti Capitularibus comprehensis Canonicis, Dignitatibus, & Archipresbytero, qui ratione Curæ Animarum ut plurimum a Choro abesse cogitur. Capitulares verò excepta Quadragesima, & Adventu, aliisque diebus festis gaudere alternativa, & plerumque evenire, ut unus, vel alter impeditus non interfit. Infert igitur, quod si duo, vel tres pro celebranda Missa a Choro discendant, adeo imminuetur Ecclesiæ servitium, ut indè divinus cultus detrimentum patiatur.

Tandem negat, deesse Canonicis tempus pro Missæ celebratione post Chori servitium. Negat etiam insalubritatem aeris a Canonicis expositam, & hac de re Medicorum attestationes de suspicione, & falsitate redarguit. Ac negat ulterius vitæ periculum ea de causa imminens, cum ab anno 1702., ad hæc usque tempora 45. Canonici obierint, quorum novem ad annos 60., totidemque ad annos 70., & etiam 80. pervenerunt.

Super

Super III. dubio nihil in suis toliis differit Episcopus, qui allatis pro rei veritate, suæque conscientiæ exonerationi animadversionibus, sese subiicit sapienti EE. VV. judicio, quod venerari, & exequi profitetur.

Ex SS. Canonum præscripto Missæ Conventualis celebratio adeo strictè injungitur, ut cum in multis Ecclesiis omitteretur Missa Conventualis de Festo, vel de Feria, quoties aliquod occurreret Anniversarium pro defunctis, Honorius III. in *Cap. Cum Creatura de celebr. Miss.* ita sancivit = *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus, & pro Anniversariis Defunctorum, & pro Festo vel Feria secundum temporum congruentiam Missarum sollemnia conventualiter celebretis* = Hinc non immeritò inferri potest consuetudinem ante tempora Honorii III. introductam, per illius decretalem fuisse sublatam, immò eam tanquam abusum fuisse rejectam, cum Pontifex rationem reddiderit, quæ nulla præscriptione, aut contraria consuetudine deleri valet, nempè = *Cum creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori* = Idque etiam postea decrevit sa. mem. Benedictus XIV. in Constitutione *Cum semper oblatas* 19. Augusti 1744. §. 12. Viden. quoque *Fagnan. ad idem Cap. Cum Creatura num.* 23.

Sacra proindè Congregatio Missam Convèntualem quotidie celebrari mandavit, & contrariam quamlibet consuetudinem omnino reijecit, ut in *Forosempronien.* 7. *Augusti* 1683., *lib.* 33. *decret. pag.* 250., *in Civitatis Castellanæ* 4. *Martii* 1692., *in Feretrana* 23. *Septembris*, & *in Lancianen.* 13. *Novembris* 1694., *in Cathacen.* 29. *Novembris* 1698., *in Camerinen.* 28. *Junii* 1704., & *in alia Camerinen.* 6. *Junii* 1705., & in *Sarnen.* cum Canonici Cathedralis ex conventione a *nonaginta* annis cum Episcopo inita consuevissent tres tantum Missas Conventuales singulis hebdomadis canere, videlicet Feria II. pro Defunctis, Feria IV. de Angelis, ac Feria VI. de Cruce, & Episcopus Successor ad quotidianam Missæ celebrationem eos adigere vellet, exorta deinde ea super re controversia, quamvis Canonici proponerent, Ecclesiam Cathedralem longe ab habitationibus, & in loco insalubris aeris sitam esse, itaut ex decem, qui extabant, Canonicis, persæpè aliquis ægrotaret, nihilominus Sac. Congregatio die 9. Novembris 1613. censuit concedi non posse, quod petebatur, ut totidem ferè verbis testatur *Fagnan. loc. citat. num.* 8.

Accedunt Rubricæ Missalis præscribentes, ut in feriis Quadragesimæ, aliisque per annum, si festum aliquod occurrat, celebrentur in Cathedralibus, & Collegiatis duæ Missæ una de Festo post Tertiam, & alia de Feria post Nonam, ut in *tit. de Feria, & Vigilia §.* 1., & 2. Quod si Anniversarium celebrari contingat, tunc duæ cum Cantu

Missæ

Missæ celebrentur una scilicet pro Defunctis, altera de Feria, vel festo, juxta temporum contingentias *tit. de Miss. Defunct. §.2.* Has rubricas confirmavit S. Pius V. Constit. *Quo primum*, & quia contraria consuetudine sensim obsoleverant, propterea sa. mem. Urbanus VIII. Constitutione incipien. *Si quid est*, eas ad primævam observantiam revocavit.

Quæ a Rubricis Missalis præscripta sunt, recensuit sa. mem. Benedictus XIV. in citat. Constitut. *Cum semper oblatas §.20.*, qui illarum custodiam Episcopis commendavit in hæc verba = *Non modò Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidiè Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur* = Sacra etiam Rituum Congregatio, renovando alias edita decreta, ex oraculo Summi Pontificis Rubricas Missalis Romani servari in omnibus, & per omnia mandavit, non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. Fusius hac de re agit *Fagnan. in Comment. ad Cap. cum Creatura de celebrat. Miss. per tot.* Hæc autem decreta tunc solum limitationem admittunt, quando ex lege fundationis constet de qualitate servitii Ecclesiæ, & de numero Missarum in erectione præfinito, ut firmat *Monacell. in formul. Legal. practic. supplem. ad tom. 1. pag. 25. n. 234.*, & *seq.*

Atque hæc quoad primum dubium animadvertere oportuit; quod vero pertinet ad alterum respiciens facultatem absentendi a Choro tempore divinorum Officiorum ad effectum celebrandi Missam notat Pallarinus in *Cap. Consuetudinem reg. 10. num. 163. de Cleric. non reside. in 6.*, neque precisa deputatione, neque legitimi Superioris licentia, neque consuetudine introduci posse, ut quotidianas distributiones lucretur, qui ad celebrandam Missam a Choro discesserit. Et hæc opinio innititur antiquæ Ecclesiæ disciplinæ, qua nemini a Choro abesse permittebatur, dum divina Officia peragebantur, vel ad Eucharistiæ Sacramentum administrandum, vel ad Missam celebrandam. Hinc cum anno 1573. dubium hac de re propositum fuisset SSmo responsum prodiit etiam ex Sententia Sac. hujus Congregationis, nequaquam licere ex relatis causis a Choro abesse, *nisi quando sic jussissent Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujusmodi jussu abstineant*, ut in *lib. decret. 13. pag. 51.*

Et S. Carolus Borromæus in 4. *Concil. Provincial. Mediolanen. part. 2. cap. 13.* statuit, distributiones amittere, qui ad effectum celebrandi Missam Divinis Officiis non interfuerit, *nisi pro absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ Sacrificium*

tum faciant neceſſitas aliquando inciderit, ut Præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem a Choro exire &c. jubeat, aut a Sede Apoſtolica aliter conceſſum fuerit = Duplex igitur requiritur conditio, ut Canonicus ad celebrandam Miſſam Chorum deſerere poſſit, nempe juſſio Præfecti, & neceſſitas celebrationis. Et ab hac norma non receſſit Sac. Congregatio, ut in *Reatina* 15. *Martii* 1692., *in Interamnen.* 23. *Februarii currentis anni*: Ex lege tamen Tridentini excipitur Canonicus Penitentiarius, & juxta Sententiam Sac. Congregationis in *Lucana* 10. *Martii* 1635., *& in Faventina* 24. *Januarii* 1642. etiam Canonicus, quem Epiſcopus ad excipiendas Confeſſiones Pœnitentiario ſuffecerit.

Omnibus igitur æqua lance libratis, dijudicandum erit.

I. *An ſuſtineatur conſuetudo canendi Miſſam Conventualem in quibuſcumque diebus per annum, exceptis diebus Anniverſarii, & obitus Defunctorum, nec non exceptis feriis Quadrageſimæ, in quibus concurrit officium alicujus Sancti in caſu &c.*

II. *An ſuſtineatur conſuetudo celebrandi Miſſas a Canonicis tempore horarum Canonicalium in caſu &c.*

III. *An ſit locus electioni Præfecti Chori in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequentibus.

COMEN. CANONICATUS THEOLOGALIS. Mandavit Melchior de Lambertenghis in teſtamento, quod condidit anno 1473., ut a certis ab eo deſignatis Deputatis eligeretur *unus ex illis, qui ſolent, & ſoliti erunt in futurum celebrare Miſſam in Eccleſia Cathedrali, qui ſit doctus, & prudens, & qui inſtruat, & inſtruere teneatur caſus conſcientiæ, & in ipſis caſibus conſcientiæ alios clericos, & Presbyteros indoctos.* Non conſtat hujuſmodi diſpoſitionem effectum habuiſſe ante annum 1578., quo tempore Ioannes Andræas de Lambertenghis ad propriæ conſcientiæ ſerenitatem, ſuorumque Anteceſſorum expiationem, inita tranſactione aſſignavit annuum cenſum librarum 180. Imperialium ad hoc, *ut in dicta Eccleſia deputetur aliquis . . . qui legat caſus conſcien-* *Seſſ. 5. cap. 8. de Reform.*

scientiæ publicè diebus sibi limitandis per RR. Ordinarios præsentes, & futuros, & reliquum convertatur in beneficium Ven. Fabricæ dictæ Ecclesiæ Comen.

Anno 1579. vehementer commotus sa. me. Gregorius XIII. quod nondum in Ecclesia Comen. adimpleta fuisset Concilii Tridentini dispositio quoad institutionem Pœnitentiarii, & Lectoris S. Theologiæ, motu proprio mandavit Episcopo, ut Præbendas, si quæ tunc vacarent, alioquin primò in dicta Ecclesia vacaturas ad id destinaret. Hinc Episcopus Vulpius ad Præbendæ Theologalis erectionem devenit, eamque contulit Julio Turriano, qui tamen nullam dixit collationem ab Episcopo factam, novamque provisionem ab Apostolica Sede obtinere curavit, nec suo muneri docendi casus conscientiæ unquam satisfecit.

Verùm Episcopus Felicianus Ninguarda suspicatus erectionem Præbendæ Theologalis haud ritè factam, aliam Præbendam in mense S. Sedi reservato vacatam anno 1593. in Theologalem erexit, eamque contulit Sigismundo Fontana. Sed hanc novam erectionem irritam declaravit Sac. hæc Congregatio: Quare ad Ecclesiæ Comen. Regimen evectus Episcopus Archinto, dubius, & ipse de validitate erectionis Præbendæ Theologalis factæ ab Episcopo Vulpio, impetratis anno 1595. a Summo Pontifice Clemente VIII. facultatibus erigendi novam Præbendam Theologalem, etiamsi in mense reservato vacasset, illam revera erexit, contulitque Sacerdoti Antonio Francisco Raimondi.

Interim verò novis fortasse exortis controversiis, idem Episcopus Archinto preces obtulit Sac. Congregationi, quibus definiri postulavit, an Præbenda ab Episcopo Vulpio collata, affecta remanserit pro uno Theologo, & an occurrente vacatione alicujus Præbendæ reservatæ, & affectæ, posset vigore facultatis a sa. mem. Clemente VIII. tributæ, illam uni Theologo libere conferre. Ignoratur prorsus quid responsi dederit Sacra Congregatio. Dijudicent tamen EE. VV. an responsio desumi possit ex iis, quæ idem Episcopus in supplici libello narravit, videlicet = *Vel si magis S. V. placet, quod etiam juri consonum videtur, & convenire cum supradicto decreto Sac. Congregationis Concilii, attenta legitima erectione Præbendæ Theologalis, ut supra per Joannem Antonium Vulpium Episcopum cum amplissima Apostolica auctoritate facta, per tuas Litteras declarare, quod dicta Præbenda affecta sit, & remaneat pro usu Lectionis S. Theologiæ juxta primævam illius erectionem* = Quid autem Summus Pontifex rescripserit, omninò latet.

Nuper autem Episcopus Comen. censuit ad lectionem S. Scripturæ adigere Canonicum Theologum, qui tamen contradixit, sua jura experturus coram hac Sac. Congregatione.

ne. Modò itaque contendit, ex pia disposítione Melchioris Lambertengo satis provisum esse decreto Concilii Tridentini *Sess. 5. cap. 1. de Reform.*, quo erectio Theologalis Præbendæ tunc solum iniungitur, quando nullum adsit aliud stipendium, seu præstimonium pro Doctore, vel Theologiæ interprete. Adesse ait in Cathedrali Ecclesia præstimonium a dicto Lambertengo relictum, ejusque vigore deputari a Capitulo Lectores Theologos, ut plurimum Regulares, qui singulis diebus festis, nec non duobus ferialibus in qualibet hebdomada dant operam Theologali Lectioni, & quidem majori cum utilitate, quam si Lectio a Theologo sæculari haberetur, prout Episcopus Archinto ingenuè fassus est Summo Pontifici Clementi VIII.

Nec opus esse, dicit, nova per Canonicum facienda expositione, cum Civitas angusta sit, abundetque S. Theologiæ expositoribus tam in Seminario Episcopali, quam in Collegio Societatis Jesu. Neque vim fieri posse in nomine Canonici Theologi, cum illud purum sit nomen absque ullo onere, quemadmodum ex antiquissima observantia resultare contendit. Addit, Theologalem Præbendam in ultima vacatione fuisse collatam absque concursu, quem expostulat indoles Præbendæ verè Theologalis *Concil. Roman. cap. 7. tit. 1.* Nec refragari, quod aliquando aliquis Canonicus Theologus Lectiones habuerit, cum id factum fuerit in defectum Theologi ex institutione Lambertenga deputati; ac proindè actus hujusmodi habendos esse tanquam merè facultativos, nullum jus tribuentes pro adiiciendo Lectionis onere aliis in Canonicatu successoribus ad *Text. in Leg. non ex eo 30. Cod. de evict.*, *Leg. 1. in princip. ff. uti possidet.* Idque ipsum facto ostendisse successores Canonicos, qui munus idem haud obierunt.

Sustinet præterea, nunquam Præbendam aliquam erectam legitimè fuisse in Theologalem. Nam inquit, Bullam sa. me. Gregorii XIII. effectu vacuam remansisse dignosci ex actibus judicialibus, & pluribus aliorum Episcoporum confessionibus, eamque subreptionis vitio infectam fuisse ob reticitam fundationem a Melchiorre Lambertengo antedemandatam, & meritò adnotatum in illius margine fuisse hujusmodi vitium his verbis = *In Ecclesia Comen. adest stipendium pro Lectore S. Theologiæ deputatum a multis annis citra, & antequam darentur Episcopo hæ Litteræ, & cum effectu in dicta Ecclesia habetur Lectio S. Scripturæ.*

Non diffitetur, Episcopum Archinto facultatem obtinuisse a sa. mem. Clemente VIII. erigendi Præbendam Theologalem, eamque revera erexisse: Negat tamen erectionem fuisse ab eodem Summo Pontifice approbatam: Præsertim cum assignari nequeat Præbenda, cui onus Lectionum

fuerit addictum, prout esset omninò demonstrandum. Fatetur etiam, Canonicum Guerra primum locum in Elencho Canonicorum Theologorum ab anno 1597. fuisse assequutum; Sed impugnat illum obtinuisse Præbendam, quam Canonicus Turrianus possidebat, cum Litteræ Apostolicæ sa. mem. Pauli V. anni 1607. facultatem eidem Turriano tribuerint percipiendi fructus Præbendæ non obstante provisione alterius incompatibilis beneficii sub invocatione Sanctæ Mariæ de Scala.

Ex his infert nec Canonicum Guerra, qui primus Theologus inscribitur, successisse in Præbendam a Turriano possessam, nec Canonicum Gattoni, qui ipsius Turriani Præbendam modò obtinet, ad lectionem Theologalem teneri. Multoque minus habendam esse rationem decretorum, quæ prostant in Sacris Visitationibus quoad tempus, & modum faciendi lectiones; Nec quidquam suffragari, quæ in ulterioribus actis de Theologali Lectione relatæ sunt enunciativæ, cum referri debeant vel ad Præbendam Canonico Guerra collatam, vel ad Lectorem Theologum ex fundatione Lambertenga per id tempus deputatum.

Episcopus contra animadvertit, cl. mem. Philippum Archinto, cum Ecclesiæ Comensi præesset, in priori sua ad sa.me. Clementem VIII. relatione exposuisse, Theologalis Præbendæ erectionem effectum non habuisse; in posteriori verò, quam anno 1600. ad eumdem Pontificem misit hæc scripsisse = *Præbenda Theologalis fuit tandem in Cathedrali auctoritate Apostolica erecta, & Canonicus eam obtinens residet, casusque conscientiæ bis in hebdomada Canonicis, Parochis, cæterisque Civitatis Ecclesiasticis ad eum audiendum Episcopi mandato convenientibus explicat.* Observat etiam in prima Visitatione anno 1597. ab eo habita, descripta reperiri omnia Canonicorum nomina, quos inter recensetur *Dominus Petrus Guerra Theologus, & Sacerdos*: Additque, editum in illa Visitatione reperiri sequens decretum: *Il Canonico Teologo, oltre le lezzioni, che farà le feste in Chiesa, legga anche due Lezzioni la Settimana nel luogo solito de casi di coscienza, alle quali dourà in ogni modo star presente tutto il Capitolo, e Clero.*

Fatetur, incertum esse, an nova aliqua Præbenda tempore sa. mem. Clementis VIII. erecta fuerit in Theologalem, vel potius confirmata extiterit erectio Præbendæ ab Episcopo Vulpio collatæ Julio Turriano. Sed ex relatione, quam Episcopus Archinto ad eumdem Pontificem misit inferri posse putat, Sacram hanc Congregationem ratam, firmamque habuisse erectionem ab eodem Episcopo Vulpio factam, Præbendamque quam Turrianus obtinuit, affectam fuisse oneri Theologalis, cum ea relatio concepta fuerit his verbis = *Vel si magis S. V. placet, quod etiam juri con-*

conſonum videtur, & convenire cum ſupradicto decreto Congregationis Concilii, attenta legitima erectione Præbendæ Theologalis, ut ſupra per Joannem Antonium Vulpium Epiſcopum cum ampliſſima auctoritate Apoſtolica facta &c. Hinc coniicit, quod poſt obitum Canonici Turriani anno 1596., vel 1597. ſequutum, ejus Præbenda Theologalis collata fuerit Canonico Guerra, qui primus Theologi nomine donatus recenſetur, & ex quo incipit continuata Canonicorum Theologorum ſeries ad hodiernum uſque Canonicum Theologum perducta.

Idque confirmari arbitratur ex Actis Viſitationum, quæ ſucceſſivis temporibus peractæ ſunt. Obſervat enim in ſecunda Viſitatione anni 1616. a præfato Epiſcopo Archinto facta ita legi *M. R. D. Jacobus Gallius S. T. D. Canonicus Theologus in Præbenda Sacerdotali Eccleſiæ Cathedralis Comen*: Et infra; *Præbendam Theologalem Sacerdotalem in Eccleſia Cathedrali, ut ſupra, obtinuit, proviſus auctoritate Apoſtolica de anno 1616. per obitum d. D. Joannis Petri Guerra*. Subdit, in viſitatione facta anno 1627. ab Epiſcopo Caraffino deſcriptum reperiri ſtatum Animarum a Canonico Antonio Campacio exhibitum, in quo hæc adnotata habentur: *Ego Joannes Antonius Campacius Doctor S. Theologiæ, ac Canonicus Theologus*. Et infra: *Præbendam Theologalem obtinui per reſignationem M. R. D. Philippi Gallii*. Et deinde: *Onus Præbendæ eſt legere caſus conſcientiæ, & interpretari divinam Scripturam, ut ex Tridentino*. Et ulterius: *Habeo varios libros tum Scholaſticos, tum morales profeſſioni meæ ſpectantes, & quoſdam ſpirituales*. Atque hæc depromi quoque ex actis Viſitationum anni 1668., & 1680., ubi præſertim fit mentio Canonici Stephani Menatti, qui Campacio ſucceſſerat, & de quo adnotatum eſt: *Satisfacit oneri in lectione Theologiæ juxta Sac. Concilii Tridentini ordines*.

Quoniam verò in Viſitatione Eccleſiæ Cathedralis anno 1701. habita ab Epiſcopo Boneſana, deſcriptus occurrit Status Canonici Theologi Emanuelis, de quo dicitur: *Cum ſit ejus Præbenda Theologalis, & nullam habeat Lectionem*, hinc hodiernus Epiſcopus arguit, ab eo tempore Canonicos Theologos a Lectione ceſſaſſe. Cæterum advertit, ſubſiſtere quidem lectionem Moralis Theologiæ a Melchiorre Lambertengho inſtitutam, ſed lectiones, quæ ex ea peraguntur, numerum quadraginta annuarum non excedere: Refert, alias, quæ in Seminariis Epiſcopali, & Bentio, atque in Collegio Societatis Jeſu habentur lectiones, eſſe tantum pro Clericis: Civitatem verò eſſe Populo frequentem, Clero ſæculari, & Regulari abundare, nec tamen S. Scripturæ lectionem haberi. Aſſerit demum nunquam poſt Concilium Romanum vacaſſe Præbendam Theologalem, nec ideo mirum ſi ea deindè per concurſum collata non

fuerit. Atque hæc sunt, quæ in foliis allegationum ab Episcopo transmissis adnotata recensentur.

Concilium Tridentinum *Sess. 5. cap. 1. de Reform.* statuit, *quod in illis Ecclesiis, in quibus Præbenda, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro Lectoribus S. Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi . . . eos, qui Præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent ad ipsius S. Scripturæ expositionem, & interpretationem . . . . etiam per subtractionem fructuum cogant, & compellant . . . . In Ecclesiis verò Metropolitanis, vel Cathedralibus . . . ubi nulla Præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, Præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis primo vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta, & deputata intelligatur.* His inhærens Sac. hæc Congregatio pluries declaravit, locum non esse erectioni Præbendæ Theologalis, quoties in Cathedrali jam ante Concilium, stipendium pro Lectore S. Theologiæ fuisset destinatum *Gallemart. in not. ad Concil. Trid. Sess. 5. cap. 1. de Reform.*, *Pignattel. tom. 3. consult. 62. num. 15.*

Hinc ponderandum primò est, an stipendium a Melchiorre Lambertenghi assignatum Viro docto, & prudenti, *qui instruat, & instruere teneatur casus conscientiæ, & in ipsis casibus conscientiæ alios Clericos, & Presbyteros indoctos* ejusmodi sit, ut sufficiat pro Lectore S. Scripturæ, absque eo quod necesse fuerit instituere Præbendam Theologalem, prout Concilium præcipit.

Perpendendum ulterius, an revera constet de alicujus Præbendæ Theologalis erectione, & an Præbenda collata Canonico Carcani ea sit, ut ejus Coadiutor Octavius Cæsar Gattoni ad habendas Lectiones S. Scripturæ compelli debeat. Hac de re inquirere præstat, an Canonicus Guerra, qui primus in elencho Canonicorum Theologorum inscriptus legitur, & reliqui, qui ad annum usque 1701. Lectioni S. Scripturæ vacarunt, revera in locum Canonici Turriani successerint; vel hic adhuc viveret, & Canonicatum possideret, quando Canonicus Guerra Præbendam Theologalem fuit assequutus.

Quibus omnibus opportunè ad rem perpensis dignabuntur EE. VV. definire.

I. *An constet de legitima erectione Præbendæ Theologalis in casu &c.*

II. *An Canonicus nuncupat. Theologus teneatur ad obeundas Lectiones S. Theologiæ in casu &c.*

AN-

ANCONITANA LEGATI PII. In testamento, quod anno 1767. cum omnibus juris sollemnitatibus condidit Sacerdos Petrus Dominicus Marini Plebanus Castri Falconariæ, erectionem demandavit Ecclesiasticæ Capellaniæ annui reditus scut. 40., injunxitque onus Hieronymo Marini Capellano a se ipso nominato celebrationis trium Missarum qualibet hebdomada peragendæ: Reliquos verò Capellanos eidem Hieronymo succesturos ad celebrationem sex Missarum unaquaque hebdomada teneri præcepit. Jussitque præterea *che nel giorno di S. Francesco Saverio mio Avvocato ogn'anno in perpetuo debba farsi celebrare dalli miei Eredi Messe dodici compresa la Messa cantata coll'elemosina di paoli due, ed a questo fine lascio alli miei Eredi il nolo della nuova Casa a solaro situata al piano detto la Castellaraccia.* *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Prævidens autem Testator casum, quo hæredes hanc suam dispositionem exequi negligerent, hoc eveniente imperavit, ut Legatum prædictum cum iisdem oneribus, & emolumentis ad Parochialem Ecclesiam Loci Falconariæ devolueretur. At mutato deindè consilio, die 18. Januarii 1769. novum testamentum exaravit, caracthere Sacerdotis Caroli Orati sui in Animarum cura Coadiutoris scriptum, quod propria manu subscriptum, & signo Parochialis Ecclesiæ munitum in quodam scrinio reposuit Notario rite consignandum, quamvis morte præventus id exequi non valuerit. In hoc secundo testamento demandatam Capellaniæ erectionem confirmavit, sed quoad onera disposuit, ut tam a Hieronymo primo Capellano, quam a Successoribus tres tantum Missæ singulis hebdomadis celebrarentur; Insuperque imminuto Missarum numero, quæ in die festo D. Francisci Xaverii celebrari præceperat, declaravit *che nel giorno delli 3. Decembre festa di S. Francesco Saverio debbano farsi celebrare Messe quattro, compresa la Messa cantata, e debba darsi per l'elemosina due paoli l'una le basse, tre la cantata, ed uno per l'utensili, e questo peranni venticinque;* onerata in id hæredum conscientia, quibus eamdem domum *della Castellaraccia* hac de causa reliquit, & suam Parochialem Ecclesiam in casu inadimplementi substituit.

In hac Testamentorum varietate dubii hæredes Sacerdotis Dominici Marini de modo adimplendi Legata ab eo relicta, rem totam ad Emum Episcopum Anconitanum detulerunt, qui Canonistarum, & Theologorum adhibito consilio, Capellaniæ erectionem fieri decrevit juxta formam in secundo testamento præfinitam. Verum cum nihil edixerit quoad Legatum in die Festo S. Francisci Saverii exequendum, id ab EE. VV. definiri supplicant.

Inquiunt ad validitatem testamenti ad pias causas satis esse, quod constet de voluntate Testatoris, nec requiri sollemnita-

tates a jure præscriptas, cum favore causæ piæ firma, atque efficax habeatur ultimæ voluntatis testificatio coram duobus testibus facta, etiamsi aliæ sollemnitates deficiant *Fagnan. in Cap. Cum esses* 10. *de testam. num.* 8., *Card. de Luc. de Testam. disc.* 14. *per tot.*, *Rot. in Ascultana immissionis* 21. *Ianuarii* 1757. *§. Accedit cor. Canilliac.* eumdemque testium numerum non requiri ad validitatem actus, sed solum ad probationem voluntatis Testatoris, qua posita subsistit dispositio etiam sine Testibus, sed a solo Testatore scripta, aut subscripta *Barbos. in cap. Relatum*, *Gratian. discept. Forens.* 705. *num.* 20., *Rot. in Recen. decis.* 449. *num.* 3. *part.* 19. *tom.* 2.

Quæ de dispositione ad pias causas affirmant, locum etiam habere contendunt quoad Legata pia relicta in testamentis, quæ fiunt secundum formam Juris Civilis; Licet enim contingat, ut hujusmodi testamenta ex aliqua causa irrita sint, nihilominus pia legata in illis contenta præstari debent, dummodo de Legantis voluntate non dubitetur *Covarruv. in Cap. Cum esses de Testam. n.* 8. *Amastaz. de Cauf piis lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 3. Inferunt proindè quod cum Sacerdos Marini duo condiderit testamenta, quia tamen constat de illius voluntate in posteriori dispositione pandita, per eam licet sollemnitatibus destitutam, priori testamento, quamvis sollemni derogatum remanserit.

Neque opponi posse sustinent, primam dispositionem magis favere causæ piæ; Contendunt enim legata pia in sollemni testamento relicta, per posterius minus sollemne posse valide moderari, atque reduci *Surd. de Alim. tit.* 8. *privil. paup. par.* 2. *privil.* 120. *num.* 2., *Cancer.* 3. *par. cap.* 20. *n.* 354. Idque æquitati magis consonum videri, cum satis esse debeat, ut in revocatione Testamenti favore Ecclesiæ exarati idem adhibeatur modus, qui in confectione potest valide adhiberi *Rub. de testam. cap.* 11. *num.* 631., *&* 651. *Rot. coram Crescentio decis.* 237. *num.* 24. Concludunt itaque legatum præstari debere juxta modum in secundo testamento præscriptum, in quo quamvis Missarum numerus fuerit imminutus, pinguior tamen Eleemosyna, & emolumentum pro Sacris Suppellectilibus fuit constitutum, quod quidem utilitatem affert Ecclesiæ, & favorem Causæ piæ respicit.

Emus Episcopus comprobata facti serie, ita concludit = *Quamobrem cum juxta secundum hoc testamentum auctoritate mea firmanda esset Sacerdotis istitutio, & juris sanctionibus, & doctorum Virorum consulto adhærendum censui; Sententiam verò non protuli ad Legatum Missarum comprobandum, cum de eo tunc temporis minimè ageretur. Nunc verò cum delata sit res ad EE. VV. in eam facile devenio sententiam, ut secundæ etiam ex paritate rationis probentur tabulæ, quoad idem Missarum Legatum ab eodem Testatore institutum.*

Per-

Pervulgatum eſt, Teſtamenta ad pias cauſas non indigere ſollemnitatibus a jure præſcriptis, *Oldrad. conſ.* 119., *Torr. de pact. futur. ſucceſ. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 49., *Rot. coram Buratt. deciſ.* 475. *n.* 13., ſed ſat eſſe, ut conſtet de voluntate Teſtatoris, quæ certa ſit, omnemque excludat dubietatem *Dec. conſ.* 120., & 158., *Clar.* §. *Teſtamentum quæſt.* 7. *num.* 3., *Rot. coram Molin. deciſ.* 83. *num.* 5., & *in Recen. deciſ.* 377. *num.* 3. *part.* 2. Hinc validum erit teſtamentum proprio Teſtatoris caracthere ſcriptum, & ſubſcriptum, ac ſigillo munitum, licet Notario coram Teſtibus non fuerit conſignatum *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 895. *num.* 22., *Rot. coram Lancett. deciſ.* 392. *num.* 6. Quæ de teſtamentis ad pias cauſas firmata ſunt, militant etiam quoad Legata in teſtamentis prophanis relicta. Quamvis enim hujuſmodi teſtamenta ex defectu ſollemnitatum, aut alia aliqua cauſa nulla ſint, atque irritentur, nihilominus Legata in illis contenta præſtari debent, quoties in controverſiam non venit Teſtatoris voluntas *Cap. Relatum de teſtam. Rot. coram Creſcentio deciſ.* 42. *num.* 5., & 19. *tom.* 1.

Diſputatur inter Doctores, an teſtamentum ſollemne ad pias cauſas, per aliud teſtamentum minus ſollemne poſſit revocari. Negativam ſententiam tuentur *Oldrad. conſ.* 119. *circa fin.*, *Cephal. conſ.* 32. *tit.* 1. *num.* 10., *Soccin. conſ.* 229. *num.* 4. *lib.* 2., & alii. Affirmativam vero ſequuntur *Caſtr. conſ.* 362. *num.* 1., & 2. *lib.* 1., *Alexand. in leg. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto num.* 11. *cod. de teſtam.*, & cæteri relati a *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 605. *a num.* 10. *ad* 18., qui ſuſtinet hanc eſſe magis ratam, magiſque receptam opinionem, præſertim ſi minora onera in ſecundo Teſtamento fuerint demandata. In eo tamen omnes conveniunt, quod ſi ex mente Teſtatoris conjici valeat, ipſum condere voluiſſe teſtamentum cum omnibus juris ſollemnitatibus, tunc teſtamentum minus ſollemne, nec favore piæ cauſæ, ex defectu voluntatis ſubſiſtere poterit *Covar. ad cap. Relatum. num.* 9. *de teſtam.*, *Conſtantin. Vot. deciſ.* 46. *num.* 36. *ad* 38., *Rot. coram Seraphin. deciſ.* 623. *num.* 3., & *deciſ.* 1357. *num.* 11.

Ponderandum proinde, an quæ de teſtamentis ad pias cauſas relata ſunt, procedant etiam quoad Legata pia in prophanis teſtamentis relicta; maximè quando in teſtamento minus ſollemni facta ſit piorum Legatorum reductio tam quoad quantitatem, quam quoad tempus præſtationis. Perpendendum quoque, an ex ſchedula Teſtatoris ſigno, ejuſque ſubſcriptione munita, & ex depoſitione Sacerdotis Caroli Orati, qui illam pariter ſubſcripſit, ſatis conſtet de voluntate Sacerdotis Petri Dominici Marini. Præoculis habenda ſunt verba tranſcripta in principio ſecundi teſtamenti = *Ho riſoluto di fare il preſente mio ultimo teſtamento*

chius-

chiuso, e sigillato, detto dalla ragione civile senza scritti = Nec non depositio Sacerdotis Orati, qui testamentum scripsit, quique asserit *lo pose* (scilicet testamentum) *in un partimento del suo Scrittorio, supponendo, che forse aveva intenzione di poi consegnare detto nuovo Testamento al publico Notaro.*

Post hæc EE. PP. dijudicabunt.

An, & quomodo sit exequendum Legatum relictum a bo. mem. Petro Dominico Marini in casu &c.

Die

Die Sabbathi 23. Novembris 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUUM tres Cauſæ, quæ priori loco mox deſcribentur, in poſtrema Congregatione diei 28. præteriti menſis Septembris remanſerint indeciſæ, aliæque ſex nunc additæ judicium ſapientiſſimum EE. VV. requirant, non dedignentur tum hodiernæ, tum anteactæ Congregationis folio perpenſo, illas definire.

COMEN. CELEBRATIONIS MISSARUM.

I. *An ſuſtineatur conſuetudo canendi unicam Miſſam Conventualem in quibuſcumque diebus per annum, exceptis diebus Anniverſarii, & obitus Defunctorum, nec non exceptis feriis Quadrageſimæ, in quibus occurrit officium alicujus Sancti in caſu &c.*

II. *An ſuſtineatur conſuetudo celebrandi Miſſas a Canonicis tempore horarum Canonicalium in caſu &c.*

III. *An ſit locus electioni Præfecti Chori in caſu &c.*

Seſſ. 22. decret de obſerv., & evitan. in celebr. Miſſ.

Et

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

Ad I. Negativè, & ad mentem. Mens eſt, quod canatur una Miſſa, reliquæ Conventuales lectæ celebrentur, exceptis diebus, prout in dubio. Ad II. Negativè, niſi de legitimi Superioris licentia. Ad III. Satis proviſum in Synodo Diœceſana.

COMEN. CANONICATUS THEOLOGALIS.

I. *An conſtet de legitima erectione Præbendæ Theologalis in caſu &c.*

II. *An Canonicus nuncupat. Theologus teneatur ad obeundas Lectiones S. Scripturæ, in caſu &c.*

Seſſ. 5. cap. 1. de Reform.

Ad I. Affirmativè. Ad II.. Affirmativè ad formam Decreti Concilii Tridentini.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ANCONITANA LEGATI PII.

An, & quomodo sit exequendum Legatum relictum a bo. mem. Petro Dominico Marini in casu &c.

Affirmativè juxta ultimam dispositionem.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

LUCANA MATRIMONII. Semel, atque iterum nobilis Mulier Fulvia Sinibaldi deduxerat nullitatem Matrimonii ab ipsa contracti cum nobili Viro Blasio Torre, quem inhabilem, atque impotentem ad cohæundum experta fuerat, & Periti post adhibita artis remedia declaraverant. Verum Sacra Congregatio ut maturius, ac tutius in hac gravi Causa procederet, recognitionem primum corporis, deinde triennalem cohabitationem demandavit. Nondum tamen completo cohabitationis triennio, de nullitate denuò cognosci. & definiri curavit Mulier, ejusque petitio proposita fuit die 4. Maji labentis anni, sed EE. PP. rescripserunt = *Dilata, & prosequatur experimentum per alium annum*.

Cum tamen postea plura deduxerit Mulier, quæ Vir attentaverat, quæque pudor prohibuit ne in lucem prodirent, idcircò hæc omnia Archiepiscopi relatione, judiciali processu, & ipsius Viri testimonio comprobata, EE. VV. impulerunt, ut dubio = *An sit locus dissolutioni Matrimonii, in casu &c.* = die 28. elapsi mensis Septembris responderent = *Affirmativè* =. Hujusce resolutionis confirmationem postulat Mulier, ut Causa juxtà formam a Benedictina Constitutione præscriptam absoluta, Matrimonium rité dissolvatur. Definiendum proindè erit

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In Decisis; & amplius.

Sess 24. cap. 8. de Reform., & sess. 7 cap. 8. de Reform.

TERRACINEN., ET SETINA. Literis ad Sac. Congregationem datis anno 1762. conquestus est Episcopus Terracinen. de pluribus abusibus, qui in Cathedralibus Terracinen., & Privernen., præsertim verò in Cathedrali Ecclesia Setina irrepserant. Sacra autem Congregatio die 23. Junii ejusdem anni respondit = *I. Canonicos, & Dignitates, qui Episcopum associare abnuunt per sollemnes dies, quibus Pontificales habentur functiones ad normam Cæremonialis, addita quoque hujus Sacræ Congregationis facultate ad istud officii*

cii compelles. II. Compelles item (siquidem ea consuetudo sit) ut Sacram Supellectilem, atque omnia, quæ Episcopo conveniu ut ornamenta præbeant, tum in Pontificalibus obeundis, tum in Ordinibus conferendis. III. Nec minus efficaciter eos coges, ut redituum libros exhibeant, eorumque administrationis rationem tibi reddant. IV. Si horas præcipitanter absolvere properant, contra quam decorum postulat, si disceptationi de rebus moralibus intersse Ecclesiastici homines negligunt, quid quæso te prohibet, ne concessam tibi potestatem proferas, & iusta vi pertrahas, qui duci se sponte non sinunt? V. Denique si antiquæ Constitutiones squallore, ac situ obsitæ vix ullum sui usum præbent, novas tu confice, atque huic Sacræ Congregationi quamprimum fac mittas.

Non desiit Episcopus monitis curare, ut Canonicos in officio contineret, sed cum conatus omnes in irritum cessissent, Edictum publicavit die 31. præteriti mensis Januarii pro recta Chori disciplina, illudque affigi jussit ad januas Sacrarii Cathedralis Ecclesiæ Setinæ, aliarumque Concathedralium, & Collegiatarum. Episcopi mandatis obtemperarunt Canonici Terracinenses, & Privernenses, non tamen Setini, qui prævio monitorio coram A.C. expedito, ab eo provocarunt; sed delegata S.Congregationi causæ cognitione, septem dubia in calce transcripta, modò discutienda proponuntur.

Ad I. dubium advertit Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis, Horas Canonicas alta voce persolvendas esse a Canonicis *Bened.XIV. de Synod. pag. 507. & seq.*, *Sac. Congregatio in Vicen.Servitii Chori 7.Junii 1626.*, & quidem reverenter, distincte, ac devote *Concil.Trident. sess.24.cap.12. de reform.*, & horà præscripta in consueto horario, vel quatenus præscripta non fuerit, hora ab Ordinario præfinienda. Addit, omnes indistincte Canonicos tum iis, tum Missæ Conventuali interesse debere; nec ultra tertiam Canonicorum partem licere abesse a Choro; multoque minus vacationes sumere tempore Adventus, Quadragesimæ, & majorum sollemnitatum *Benedict.XIV. loc. cit. pag.*§09.§. 13., & 14.

Quo verò ad II. observat, posse utique Episcopum mulctare Canonicos Divinis Officiis non interessentes, pœnis etiam pecuniariis, præter amissionem quotidianarum distributionum, S.Congregatio in *Zaren. 17.Septembris 1650.* apud *Bened.XIV.tom.2.notific.*

Super III., & IV. constare asserit, non exiguam in Cathedrali Setina adesse Sacrarum Supellectilium copiam prouſu Episcopi, & Ecclesiæ ornatu, easque non Canonicorum sumptibus fuisse comparatas, sed a clar. mem. Cardinali Corradino, vel ab aliis successivè Episcopis dono datas, ab iisque postea restauratas extitisse. Has autem Supellectiles semper Episcopis fuisse subministratas, quoties Pontificalia exercuerunt, vel Ordinationes, aliasque sa-

cras functiones peregerunt, ut ex Testibus resultat. Eamdem quoque vigere consuetudinem pro submiſtratione Candelarum pro Ara maxima, quas semper traditas fuisse contendit ab Ecclesiæ Sacrario, cujus conspicui ad hunc præcisè effectum sunt reditus, annua scuta centum pertingentes.

De V. dubio ait, reditus Mensæ Episcopalis Setinæ vix sufficere ad congruam Episcopi sustentationem, qui proindè ad Ecclesiæ Cathedralis restaurationem non tenetur *Card. de Luc. in adnot. ad Concil. Trident. disc.17. num.8.*, *Hostien.*, *& Panorm. in cap.1. de Eccles. ædifican.*. Cæterum sustinet, Episcopum non obstante redituum tenuitate plures sumptus in eam causam erogasse; Canonicos verò onus agnovisse ipsis inhærens restaurationis Ecclesiæ, dum Organa ex veteri loco ad alium commodiorem nuper propriis expensis transtulerunt.

Quoad duo posteriora dubia consuetudini innititur, de qua Magistratus, & Prætor Civitatis testantur. Maximè quia indecens fore dicit, ut Episcopus solus incendat cum diebus minus sollemnibus ad Ecclesiam accedit sacris amictus ornamentis, ut Choro, vel Missæ sollemni interfit, absque eo quod a duobus saltem Canonicis talaribus vestibus indutis comitetur.

Canonici licet moniti, & diù expectati, nihil tamen huc usque deduxerunt.

Præter Sacrorum Canonum decreta, quæ de Horis Canonicis in Choro persolvendis dispoſuerunt, de quibus in *Clement.1. de celebr.Miſ.*, *Cap.Dolentes*, *& Cap.Presbyter eodem tit.* Statuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.24. cap. 12. de Reform.*, ut Canonici omnes *divina per ſe*, *& non per Subſtitutos compellantur obire officia*, *& Epiſcopo celebranti*, *aut alia Pontificalia exercenti*, *aſſiſtere*, *& inſervire; atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis*, *& canticis Dei nomen reverenter*, *diſtinctè*, *devotèque laudare*; Ex hoc Concilii decreto Theologi ratum semper, firmumque exiſtimarunt, Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum suo muneri minimè satisfacere, si Choro interſint, & solam ibi assistentiam præstent, nisi simul canant, & psallant, suasque voces adiungant inferioribus Ministris, horas Canonicas, aliasque præscriptas preces canentibus *Pontas verb.Canonicus caſ.6.*, *Gennet. Theol.mor.tom.2.tract.1.cap.7. de Benef.quæſtion.11.*, *Natal.Alex.Theol.moral.lib.2.cap.8. de horis Canonicis tom.2.*

Hanc sententiam probavit quoque Sacra Congregatio, & quamlibet contrariam consuetudinem tanquam abusum rejecit, atque damnavit, ut testatur Bened. XIV. *Inſtit.107. §.3.*. Quin immo Summus hic Pontifex in *Conſtit. Cum ſemper* 103. §.24 de hac vera, & rigorosa Canonicorum obligatione decretum edidit, cujus etiam meminit in altera

Con-

Conſtitut. incipien. Præclara decora §. 6. tom. 3. Bullar. in Append. num. 4.

Præterea ſedulò curavit Sacra Congregatio, ne uno, eodemque tempore plures Canonici vacationum indulto uterentur, iis præſertim temporibus, quibus Divinorum Myſteriorum ratio majorem frequentiam expoſtulat. Hinc quamvis olim arbitrio Epiſcopi, & Capituli aliquoties reliquerit, ut ſtatuerent, quo numero Canonici ſimul abeſſe poſſent, ut in *Abulen. anni* 1581., *in Senen.* 12. *Martii* 1594., & in *Valliſſoletana anni* 1599., de quibus apud Benedictum XIV. *Inſtit.* 107. §. 6., nihilominus in *Auximana* 12. *Julii* 1631. ita ſancivit = *Sacra &c. cenſuit Eminentiſſimum Epiſcopum facere debere decretum, ut in Collegiatis Eccleſiis ſuæ Diœceſis, quæ rigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium menſium, Canonicos abeſſe non poſſe ultra tertiam partem uno & eodem tempore, & hujuſmodi vacationem contingere non debere tempore Quadrageſimæ, & Adventus, neque in amplioribus anni feſtivitatibus.*

Similiter in *Farfen.* 13. *Novembris* 1655. dum Sac. Congregatio vacationem duorum menſium ſingulis annis indulſit Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ Sanctæ Victoriæ, conditionem adjecit, *ut omnes intereſſent diebus Dominicis, & feſtis totius anni, & diebus omnibus Adventus, Quadrageſimæ, Octavæ Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, & nunquam a ſervitio ultra tertiam partem eodem tempore abeſſent.* Idemque ſervari mandavit in *Atrien.* 19. *Decembris* 1722., & in *Iſernien.* 26. *Novembris* 1723.

Quoniam verò aliquando evenerat, & impoſterum etiam contingere poterat, ut in aliquibus Eccleſiis tenues adeo eſſent diſtributiones, ut a Canonicis negligerentur, ac propterea Chori ſervitium relinqueretur, idcircò eadem Sacra Congregatio in *Jadren.* 17. *Septembris* 1650. definivit, *non inſervientes Eccleſiæ, nec Divinis intereſſentes, ultra amiſſionem diſtributionum quotidianarum, poſſe ab Archiepiſcopo per mulctas pecuniarias, atque alio juris remedio compelli.* Et in iiſdem terminis reſpondit Epiſcopo Caſtellanettæ *die* 7. *Junii* 1669. *lib.* 21. *decret. pag.* 651.. Cum his ergo Juris Canonici ſanctionibus, & Sacræ Congregationis reſolutionibus comparanda ſunt, quæ in ſuo Edicto præſcripſit Epiſcopus, ut definiri valeat, an Canonici Setini adigendi ſint ad illius obſervantiam quoad dies, horam, & numerum Canonicorum, & quibus pœnis puniri debeant ſi Choro non interſint, & Divinum Officium, ac Horas Canonicas non canant, de quibus omnibus in duobus prioribus dubiis quæritur.

Quoad Sacrarum Supellectilium ſubminiſtrationem præſtat animadvertere, Epiſcopum non teneri de iis ſibi providere, ſed Cathedralis Eccleſiæ Canonicos debere illas pro Pontificalibus functionibus tam in Cathedrali, quam extra pe-

peragendis ſubminiſtrare, juxta ſententiam, quam ſequuntur *Buratt. conſil. 92 num. 5. lib. 3.*, *Surd. conſ. 62. num. 5. & ſeq.*, *Franc. de Eccleſ. Cathedral. cap. 10. num. 37.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 2. num. 5.*, *lib. 3. tit. 7. num. 12.* Verum ex nonnullis reſolutionibus relatis per *Nicol. in Floſc. verb. Epiſcopus*, aliiſque mox afferendis elici videtur, Canonicos Cathedralis teneri quidem ſacra Paramenta ſubminiſtrare Epiſcopo in Cathedrali Eccleſia, vel in Epiſcopali Sacello Pontificalia peragenti, ſequus autem ſi in alia Eccleſia, vel Capella celebret.

Id etiam colligi videtur ex reſcriptis editis die 11. *Martii* 1708. in quadam Cauſa *Caſalen.*, & a Sanctiſſimo approbatis: Nam propoſitis inter cætera dubiis = IX. *An Capitulum ob denegationem Baculi, Mitræ prætioſæ, & Pluvialis factam Epiſcopo occaſione publicandi Jubilæum, aliaque ut in actis ſit puniendum, & quomodo?* X. *An ſtante dicta denegatione potuerit Epiſcopus propria auctoritate tranſportari facere paramenta prædicta, & Sanctas Supellectiles a Sacriſtia Cathedralis ad Curiam Epiſcopalem?* Reſponſum fuit = Ad IX. *Affirmativè arbitrio Congregationis deputatæ.* Ad X. *Affirmativè, & eſſe reſtituenda Capitulo, facta obligatione de illis ſubminiſtrandis pro uſu Epiſcopi in functionibus Epiſcopalibus peragendis tam in Cathedrali, quam in Capella Epiſcopali.*

Similiter cum in Congregatione particulari a Sanctiſſimo deputata in Cauſa *Alben. Sacrorum Rituum*, ac *Regiminis Eccleſiæ* quæſitum inter cætera fuiſſet = XLIX. *An liceat Epiſcopo adſportare, & retinere Paramenta propriæ Sacriſtiæ Cathedralis ad Capellam Palatii Epiſcopalis invito Capitulo?* L. *An Epiſcopus teneatur ſibi providere de Paramentis pro Pontificalibus peragendis in Cathedrali? Die 19. Septembris* 1710. reſponſum prodiit = Ad XLIX. *Dentur decreta edita in Caſalen. in Congregatione deputata* 11. *Martii* 1708. *approbata a Sanctiſſimo* = Ad L. *Negativè quatenus adſint*, ut apud *Scarfanton. ad Ceccoper. addit.* 38.

Tandem in *Vrbevetana*, quamvis per Breve ſan. mem. Innocentii XI. diei 24. Julii 1688. vetitum fuiſſet Eccleſiæ Cathedralis Supellectiles cuivis alteri Eccleſiæ, vel perſonæ ſubminiſtrare, & è Sacrario extrahere, *præterquam caſu, quo pro tempore exiſtens Epiſcopus Vrbevetanus ad aliquam Eccleſiam ibi aliquam functionem peracturus ſe conferret*, nihilominus diſceptata fuerunt hæc dubia, I. *An Camerarius, aliique Officiales teneantur ſubminiſtrare Epiſcopo ejuſdem Civitatis Supellectiles, & Paramenta Sacra neceſſaria pro celebratione Miſſæ tantùm in ſuis domeſticis Capellis, ſeu etiam pro aliis Eccleſiaſticis functionibus ibidem peragendis, in caſu &c.*, II. *An eidem Epiſcopo ſint ſubminiſtrandæ Supellectiles, & Paramenta Sacra extra Civitatem Vrbisveteris occaſione Sacræ Viſitationis, aliarumque Eccleſiaſticarum functionum explendarum per ſuam Diœceſim?* Et quatenus affirmativè III. *Cu-*

jus

jus qualitatis debeant esse dictæ Supellectiles, & Paramenta Sacra, in casu &c. = Sacra autem Congregatio die 9. Februarii 1737. respondit = Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Negativè*. Ad III. *Esse debere qualitatis decentis gradui Episcopali* = *Thesaur. Resol. tom.* 8.

De subministratione Supellectilium pro ornatu Ecclesiæ, & Cathedræ Episcopalis, ac de Cæreis in Ara maxima apponendis dum Episcopus Pontificalia peragit, nihil expressè sancitum reperitur. Verum cum ornamenta saltem Cathedræ Episcopalis necessaria sint ad Pontificalia exercenda, & in supradicta *Alben. ad dub. L* resolutum fuerit, non teneri Episcopum sibi providere de Paramentis pro Pontificalibus peragendis in Cathedrali, quatenus hæc adsint; hinc videndum, an hujusmodi resolutio Cathedræ quoque ornamenta comprehendat, vel ex congruentia, aut ex identitate rationis præsenti controversiæ aptari possit. Quoad alia verò habenda ratio est consuetudinis, & perennis observantiæ.

Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis indubia res est, teneri Episcopum, dummodò Mensæ Episcopalis reditus suppetant, & ipsa Ecclesia specialibus pro fabrica reditibus sit destituta, neque contraria adsit legitima consuetudo. Si autem Mensæ Episcopalis reditus deficiant, certum est compelli posse Canonicos, aliosque inferiores Clericos. Hac de re actum quoque fuit in prædicta Causa *Alben.*, in qua proposito inter cætera dubio = LIII. *An Episcopus teneatur reparare Cathedralem* = Sac. Congregatio rescripsit = *Affirmativè, prout de jure, arbitrio, & conscientiæ Episcopi* = Ponderandum in præsenti casu est, eumdem Episcopum præesse simul Ecclesiis Terracinen., Privernen., & Setinæ, & ex singulis fructus ad sui sustentationem retrahere, neque ullam urgere necessitatem, ut ex reditibus tantum Mensæ Episcopalis Setinæ sustentetur.

Demum quod attinet ad associationem Episcopi dum ad Cathedralem accedit, vulgatissima sunt decreta Sac. Rituum Congregationis in *Hispalen.* 17. *Junii* 1592. a san. mem. Clemente VIII. confirmata. Inter cætera proposita tunc fuerunt hæc, quæ sequuntur dubia = IV. *An Dignitates, & Canonici, & Capitulum teneatur Archiepiscopum accedentem ad Ecclesiam diebus festis Cappa indutum comitari, & ex quo loco?* V. *An etiam in reditu debeant eum reducere, & ad quem locum?* VI. *An si privatim ad Ecclesiam venerit sit ei obviam eundum, rediens sit reducendus, & quomodo?* Et Sacra Congregatio respondit = Ad IV. V. & VI. *Dignitates, Canonicos, & Capitulum debere ad Cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur Cappa, & eum ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitetur. In reditu debere etiam saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Ei verò venienti sine Cappa, nonnullos ex Dignitatibus, & Canonicis ad*

ostium

oſtium Eccleſiæ, & in reditu ſimiliter uſque ad oſtium Eccleſiæ ipſum comitari debere.

In declarationibus verò ab eadem Sacra Congregatione circa hujuſmodi decreta, hæc habentur = *Archiepiſcopum ad Eccleſiam cum Cappa Pontificali acceſſurum, ut ſolemnem celebret, vel ut aſſiſtat Divinis Officiis, Concioni, aut Pontificali, vel ut aliud quidquam ex Pontificalibus exerceat, curare debere, ut Capitulo congruo tempore intimetur hora ejus accessus ad Eccleſiam ad hoc, ut ipſum Capitulum commodè ejus occurſui ſe accingere poſſit. Archiepiſcopus verò convenientem, & congruam horam eliget, v. g. ſi Miſſam ſollemnem in aliquo die feſto ſit celebraturus, tunc poſt Primam in Choro finitam, antequam Tertia incobetur, ad Eccleſiam accedet, quo caſu Dignitates, Canonici, cæterique Capitulares, ſtatim poſt Primam completam, facto modico intervallo, prodire obviam debent Archiepiſcopo ad ejus cubiculum, eumdemque ad Eccleſiam deducere, quemadmodum ipſa Sac. Congregatio faciendum eſſe reſpondit... Idque omninò faciendum eſt non obſtante quacumque conſuetudine. Cum enim Paſtor teneatur ad ſuam Eccleſiam accedere, ut ex ejus præſentia Divinus cultus augumentum, Eccleſiaque ipſa ſplendorem, & decorem non modicum recipiat, non eſt ei præbenda occaſio vel non accedendi, ex quo debita cum decentia id facere nequeat, vel indecenter accedendi.* Itemque declaratum fuit, *tunc dici Archiepiſcopum privatim ad Eccleſiam accedere, cum ſine Cappa Pontificali accedit.*

Conſonum eſt etiam reſponſum Sac. Congregationis editum *die 6. Decembris 1631.*, de quo apud *Scarfanton. ad Ceccoper. part. 3. addit. 38. num. 90.*, nimirum: *Epiſcopum ad Eccleſiam venientem cum Cappa, ſemper excipi debere a Capitulo, & Canonicis in habitu Canonicali in Aula ſuæ habitationis, ſeu alio loco per ipſum ad hoc deſtinato, eumque aſſociari, & comitari ad Eccleſiam, & abeuntem pari modo reduci ad locum ubi exceptus fuit, non obſtante, quod Palatium, ſeu habitatio diſtet ab Eccleſia. Venientem verò ſine Cappa, & Canonicis in Choro divinas horas recitantibus ſatis eſſe, quod a quatuor, vel quinque de Capitulo in Oſtio Eccleſiæ excipiatur* = Eademque declaratio prodiit in *Aquilana 7. Julii 1734.*

Ex conſuetudine etiam fieri poteſt, ut aliqui ex Canonicis teneantur Epiſcopum comitari etiamſi ſine Cappa ad Eccleſiam accedat. Hinc in citata *Alben.* cum quæreretur VII. = *An quoties Epiſcopus accedit ad Eccleſiam Cappam aſſumpturus ad oſtium pro Pontificalibus peragendis, ſive ad effectum aſſiſtendi Concionibus, Miſſis Conventualibus, & ſimilibus teneatur Capitulum tranſmittere duos Canonicos ad Palatium Epiſcopale ad ipſum aſſociandum tam in acceſſu, quam in receſſu?* Congregatio particularis a Sanctiſſimo deputata reſpondit = *Affirmativè* = Ponderandum proinde an in præſenti caſu ratio aliqua haberi debeat conſuetudinis, qua factum fuiſſe aſſeritur, ut duo ex Canonicis habitu ta-

talari induti adeant Palatium Episcopale ad excipiendum Episcopum, eumque a Palatio ad Cathedralem, & deinde in regressu a Cathedrali ad Palatium comitentur.

Hisce omnibus assueta maturitate perpensis, dijudicandum ab E E. VV. erit

I. *An, & quibus diebus, qua hora, & in quo numero teneantur Archipresbyter, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Setiæ interesse Choro, & canere Officium, & Horas Canonicas, in casu &c.*

II. *An, & quibus remediis contravenientes sint cogendi, in casu &c.*

III. *An prædicti Canonici teneantur subministrare Episcopo Pontificalia exercenti, & Ordines conferenti Supellectiles, & alia sacra ornamenta, in casu &c.*

IV. *An iidem Canonici debeant subministrare Supellectiles, & alia ornamenta, etiam pro ornatu Ecclesiæ, & Cathedræ Episcopalis, nec non Candelas cæreas pro Ara maxima, dum Episcopus Pontificalia exercet, in casu &c.*

V. *An, & qui teneantur restaurare Ecclesiam Cathedralem, resarcire Organa, aliaque facere ad Ecclesiæ fabricam pertinentia, in casu &c.*

VI. *An dicti Archipresbyter, & Canonici in solemnioribus diebus, quibus Pontificales habentur functiones, levare debeant Episcopum è Palatio Episcopali cum vestibus, quibus in Choro utuntur, eumque assotiare ad Cathedralem Ecclesiam, & respectivè in regressu ad dictum Palatium, in casu &c.*

VII. *An duo ex dictis Canonicis teneantur assotiare Episcopum cum vestibus talaribus, quoties ad Cathedralem Ecclesiam accedit pro quacumque alia functione Ecclesiastica, & in regressu respectivè ad Palatium Episcopale, in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

FANEN. LEGATI. Sacrario Ecclesiæ Cathedralis Fanen. ex pio legato *Canonici Joannis Ligi* perpetuum inest onus annua præstandi scuta 40. *ad un Giovine studente, che sia ben nato di buon Padre, e Madre, non sia offeso di difetto d'animo, e di corpo per anni cinque, e sia Cittadino di Fano povero, e non Gentiluomo o in Roma, o in Bologna, o in Padova, o in Perugia.* Ad subsidium hoc electus fuit anno 1769. *Andreas Bernettis*; At negantibus tum Francisco Tombari, tum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, illum qualitatibus à Fundatore volitis præditum esse, propositum fuit in Congregatione 20. Aprilis proxime elapsi *An electio subsistineatur*, prodiitque rescriptum *Diluta, & coadjuventur probationes*. Viden. *folium ejus diei*, in quo latius facti series, & rationum momenta hinc inde adducta habentur. *Sess. 25. cap. 13. de Reform.*

Nunc itaque novis utrinque prolatis juribus, iterum de viribus electionis disceptatur. Inquit Capitulum, nec *Andreæ* mores, nec qualitates cæteras Fundatoris voluntati respondere. Ipsum magno Fanensium Civium scandalo inhonestam fœminam coluisse, & ab hac consuetudine ne repetitis quidem Episcopi monitionibus averti potuisse. Pluribus postea expilatis Paternis rebus fugam a domo Patris abripuisse, ut ab Episcopi, Patrisque monitis se subduceret, placitamque sequeretur vivendi rationem. Hæc autem omnia nec bonæ indolis, nec probatorum morum specimina præseferre, nec voluntati congruere Fundatoris, qui jussit eligi juvenem, *che sia ben nato di buon Padre, e Madre, e non sia offeso di difetto d'animo, e di corpo*.

Addit, *Andream* non esse Civem Fanensem. Nonnisi accidentaliter ipsum ibi ortum habuisse ob occasionalem incolatum *Aniceti* Patris sui, qui Lectoris munere fungebatur in Collegio Nulphio. Clare autem constare *Anicetum* Patrem numquam habuisse animum perpetuo ibi permanendi, & civilitatem aquirendi. Eum utpote natum, & domiciliatum Oppidi Montis Giberti numquam lares, resque suas, ac fortunas ad Fanensem Civitatem transtuliisse, quinimo semper qua Exterum, & Forensem exemptionem vindicasse ab oneribus, & muneribus Civium, & præsertim a solutione taxæ *Testatici*, atque etiam qua Forensem *Potestatis* Fanensis postulasse officium, a quo cives arcentur, & soli Forenses admittuntur.

Hinc arguit, ad Fanensem civilitatem acquirendam in nihilo prodesse domicilium 20. annorum ab Aniceto Patre Fani retentum, quum Causam hoc habuerit a temporario Lectoris, & Advocati munere per ipsum ibidem exercito, non animo perpetuo habitandi, quo deficiente, hæc occasionalis mora ad civilitatem acquirendam censetur inepta *Rot. coram Kaunitz decis. 94. num. 16.* minusque ad id sat esse Emptionem factam unius Prædii in Territorio Fanensi, quia etiam exteris jus est bona ibidem comparandi: Ac denique, nec civilitatem *Aniceto* quæsitam esse ex adlectione, cum nunquam a Potestate, & Consilio speciali eam obtinuerit, quibus dumtaxat ex lege statutaria jus est exteros civilitate donandi. Unde concludit *Andream* nec origine, nec domicilio, nec adlectione Civem Fanensem esse.

Demum advertit deesse in Andrea paupertatem a Fundatore volitam. Inquit enim illius Patrem ultra pinguia honoraria Lectoris, & Advocati, plura bona possidere in Territorio Montis Giberti, & etiam prædium in Fanensi Territorio, unde comode propriis reditibus vivere potest; imò constare *Andream* esse ex familia Bernetti nobili, & Patritia Firmana, quod magis magisque alienum est a Fundatoris voluntate, quæ jussit eligi Juvenem *povero, e non gentiluomo*.

Con-

Contra *Andreas* inquit, se electum ab iis fuisse, quorum erat jus eligendi: omnem autem urgere præsumptionem pro electionis validitate, & justitia. Spernendas vero esse Capituli querelas, quum ipsum voluntatem Fundatoris, onusque sibi injunctum impugnare non valeat, maxime quia qualitates eligendorum a solis Electoribus examinandæ, & ponderandæ sunt, quin alii, ad quos electio non spectat, de defectu qualitatum excipere valeant, *Rot. cor. Lancet. decis.* 1057. *num.* 11.

Præterea sustinet, se omnibus pollere qualitatibus a Fundatore præscriptis. Jam a biennio legalibus studiis operam navare: ex honestissimis parentibus natum esse: de suis optimis moribus, honestate, & probitate constare ex judicio Electorum, ex testimonio Parochi, aliorumque testium omni exceptione majorum. Nec audiendos Capituli clamores vel de inhonesta habita vitæ ratione, quum nullo monumento, nullaque probatione id ostendatur, vel de iterata arrepta fuga a Paterna domo, cum nulla Paterna re subrepta, sed causa devotionis Lauretum, vel causa studiorum ad Urbem accesserit. Cæterum advertit jam a biennio studiis in Urbe sedulo operam navare, bonorumque morum specimina præbere, quod planè exuberat, ut modo ad assequendum legatum studiorum idoneus censeatur.

Ambigi item non posse, se sive ex Patris persona, sive ex propria Civem esse Fanensem. Certam in id juris regulam, decennali domicilio cum animo perpetuo habitandi civilitatem aquiri, Patrisque civilitatem Filiis etiam prodesse *Leg. Cives Cod. de Incol.*. Porro *Anicetum* Patrem jam a 20. annis domicilium fixisse in Fanensi Civitate, ibique munus Lectoris in Collegio Nulphio, nec non officio Advocati fungi: ibi ad hæc usque tempora cum universa sua familia commorasse, derelicto primævo domicilio Oppidi Montis Giberti, ubi non tam stabilia, quam domum habitationis vendidit: ipsum etiam qua Civem Fanensem collectas persolvere, & usque ab anno 1760. a Magistratu Fanensi Civem fuisse declaratum: ipsum demum qua Fanensem rejectum fuisse a munere *Potestatis*, ad quod soli Forenses admittuntur. Hæc omnia luculenter evinci ex publicis monumentis, ac testibus omni exceptione majoribus.

Constare itaque non tam de longævo domicilio 20. annorum, sed etiam de animo perpetuò commorandi. Hinc perperam opponi petitam exemptionem a solutione Collectæ *Testatici*. Hanc enim *Anicetum* petisse non qua forensem, sed tantum qua Publicum Lectorem: insuper exemptionem fuisse denegatam, atque ita qualitatem Civicam exinde potius emergere, quam excludi. Inane vero esse diffugium ad Statutariam legem circa adlectionem in Civem. Ait enim *Anicetum* Patrem jam usque ab anno 1760. in ci-

vem fuisse adlectum: insuper statutum loqui de novis civibus admittendis, nec alios excludere, qui ad formam juris decennali domicilio civilitatem aquisiverunt.

Verum ultra paternam civilitatem addit, se in Fanensi civitate ortum duxisse, ex nativitate vero originariam civilitatem aquisivisse *leg.7. Cod. de Incol.*, ac proinde qua civem ex origine semper idoneum esse ad consequenda legata generaliter civibus relicta *Gratian. discept.79. n.6.*, *& Paulut. disert.27. n.112.*

Demum quoad paupertatem a fundatore volitam, advertit hanc non solum a jure præsumi, sed etiam evinci ex Testimonio Parochi Fanensis. Nec momenti esse emolumenta Lectoris, Advocati, & reditus paucorum bonorum a Patre possessorum, cum hæc omnia admodum exigua sint, & penitus imparia ad numerosam familiam decenter juxta gradum alendam. Cæterum afferit hoc subsidium scut.40. monetæ Romanæ a Testatore relictum penitus inæptum esse ad juvenem alendum sive in Urbe, sive in aliis nominatis Civitatibus, ac proinde menti Testatoris convenire, ut non juvenes in gravem paupertatem redacti eligantur, sed qui paterna substantia succurri possint, unde studiis incumbere valeant.

Eo tota inspectio redit, an Andreas Bernetti polleat omnibus qualitatibus a Testatore præscriptis. Is enim voluit subsidium præstari *ad un Giovine studente, che sia ben nato di buon Padre, e Madre, non sia offeso di diffetto d'anima, e di corpo per anni cinque, e sia cittadino di Fano povero, e non gentilvomo o in Roma, o in Bologna, o in Padova, o in Perugia.*

Dubitatio nunc instituitur de bonis moribus, de civilitate, & de paupertate. Porro de bonis Andreæ moribus testimonium præbent Parochus, aliique Testes. Et licet ex testibus in Capitulo inductis constet, bis a Paterna domo recessisse, iidem tamen Testes fatentur id contigisse *per le stranezze della Madre*.

Dubium non est, Civilitatem acquiri vel natura, hoc est origine, vel domicilio, vel demum privilegio *leg.7. Cod. de incol. lib.10.*; Verum dum agitur de testamentis, ex verosimili Testatoris voluntate sumenda est interpretatio, nec non a subjecta materia, & a circumstantiis.

At vero ad civilitatem aquirendam inepta est accidentalis origo, vel simplex habitatio etsi longissima, absque animo perpetuo commorandi. Porro *Anicetus* Pater jam a 20. annis continuo cum universa sua familia moratur in Civitate Fanensi, ibique exercuit, atque exercet munus Lectoris, & Officium Advocati. Unica itaque superest inspectio, an ex aliis argumentis, & conjecturis comprobetur animus perpetuo in Fanensi civitate commorandi.

Demum cum Testator vocaverit juvenem *Povero, e non gentilvomo*, querendum est, an *Anicetus* Pater inspecto suæ familiæ statu, numero, & conditione pauper dici possit. Sanè

ne cum legatum ſcut. 40. impar ſit ad juvenem alendum in Urbe, aliiſque nominatis Civitatibus, neceſſe eſt ut idem *Anicetus* aliquid de proprio ſuppeditet, adhoc ut Andreas valeat in Urbe ſtudiis operam navare.

Quid ergo ſentiendum in caſu ſit, inſpectis tum Teſtatoris mente, tum aliis facti circumſtantiis, edicent EE. Patres, quibus iterum decidendum porrigitur dubium.

An electio ſubſtineatur in caſu &c.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ. Poſtquam Angelus Carderi hæredem ex aſſe inſtituerat Eccleſiam ſocietatis B. Mariæ Angelorum Terræ Lepriniani, mandavit, ut in Sacello Divi Joſephi a ſe ipſo erecto celebraretur una Miſſa ſingulis diebus Dominicis, & feſtis, ac in Feſto S. Joſephi, nec non Exequiæ peragerentur in die Anniverſaria ſui obitus. Pro celebratione verò Miſſarum præferri voluit Sacerdotes filios Auguſtini Carderi, *e non eſſendovi detti Preti figli del detto Agoſtino ſucceda in ſuo luogo il Prete a lui più proſſimo, ma che ſia di Caſa Carderi, dichiarando di non far celebrare ad altri le dette Meſſe, mentre vi ſaranno Preti di detta linea.* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Quamvis ad hoc pium legatum electus anno 1759. a Confratribus fuerit Clericus Carolus Carderi, ſtudiorum cauſa in Urbe degens, nihilominus electioni contradixit Joſeph Carderi nomine Dominici Filii, tanquam agnati, & proximioris, ſed poſtea Joſephus a lite receſſit, & Carolus Capellaniam ad hæc uſque tempora obtinuit. Cum tamen nuper Sodalitium ad eamdem Capellaniam elegerit Nicolaum alterum dicti Joſephi Filium, & hanc electionem a Sac. Congregatione confirmari petierit, reſtitit Carolus, qui in Congregatione *diei* 3. *Auguſti proximi præteriti* totus fuit, ut dilationem expoſceret ad parenda jura, quibus ſuam poſſeſſionem tueretur: Quare ad dubium *An, & cui ſit adiudicanda Capellania in caſu &c.* = nihil fuit reſponſum, ſed eidem Carolo dilatio fuit impertita. Nihil tamen huc uſque deduxit, nihilque propoſuit, proindeque reaſſumpto folio *diei* 13. *Julii* in quo hæc cauſa expeditur, ipſoque Carolo in ſua contumacia perſiſtente, denuò proponitur dubium.

An, & cui ſit adiudicanda Capellania in caſu &c.

CINGULANA ERECTIONIS MANSIONARIÆ. Teſtamentum condidit anno 1711. *Sacerdos Philippus Antonius Francioni* Cingulanus, in quo ex aſſe inſtituto hærede *Candido Fratre*, legeni dedit *e tutto il Capitale, che laſcio alla mia morte, detratti gli ſopradetti legati, debba ſtimarſi da Uomini Periti, e dell'entrata tanto mobile, quanto ſtabile ſi debba far celebrare tante Meſſe nell'altare della B. V. nella Chieſa Collegiata di Cingoli, con la facoltà, che gli dà di poter ſa-* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

subito prendere da se stesso il possesso di tutti i miei beni seguita la mia morte, dichiarando dell' Elemosina della Messa da celebrarsi si debba intendere a raggione di baj. 15. per ogni Messa per pagamento annuale, oltre quello, che si dovrà assegnare dalla mia eredità alla Sagristia per gli supellettili Sacri, e che le Messe da celebrarsi si abbiano da sodisfare ogni anno, o settimana a proporzione dell'entrata.

Post obitum vero *Candidi Fratris* jussit hæreditatem devolvi ad descendentes, ac agnatos *Joannis Pauli Pasquali*, iisque deficientibus ad agnatos *Nicolai Pauli*, hisque omnibus defectis vocavit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Cingulanæ cum onere implendi Sacra. Demum expresse declaravit, *che questo legato s'intenda puro legato pio, e non altrimenti Cappellania Ecclesiastica, ne Laicale, in maniera che se in alcun tempo l'Ordinario pro tempore volesse interporvi la sua autorità, ed erigerlo in Capellania, ora per allora nuovamente dichiaro, che sia puro legato pio, e detto Ordinario non vi abbia alcun jus, o autorità.*

Nullo ex prædilectis familiis extante Presbytero, Capitulum anno 1758. contra *dictos de Paolis* immissionem petiit ad hæreditaria bona, sed tam in Curia Episcopali, quam in Tribunali A. C. fuit rejectum. Lis hæc quievit anno 1761. one transactionis, cujus præcipua capita sunt, ut hæreditas novo inventario firmata integre penes Familiam de Paolis remaneret cum onere solvendi omnes collectas, nec non erigendi Mansionariam in Ecclesia Cathedrali cum stipendio annuorum scut. 40. debito ex universa hæreditate: ut Mansionarii electio ad illos de Paolis, quousque extiterunt, deinde ad Capitulum spectet; Et ut Mansionarius teneatur ad instar aliorum Ecclesiæ Cathedrali inservire, nec non tres Missas qualibet hebdomada celebrare juxta mentem Philippi Testatoris.

Approbationem hujus Transactionis denegavit Sacra Congregatio *die* 24. *Julii* 1762., sed modo tam Capitulum, quam dicti de Paolis preces renovant pro illius confirmatione.

Inquiunt legatum pium cum onere Missarum recte erigi posse in Beneficium collativum non resistente Fundatoris voluntate. Ex erectione autem Mansionariæ non abrogari Sacra præscripta, sed ad certum, invariabilemque numerum redigi: locum celebrationis non immutari, sed imo perpetuum reddi: demum augeri cultum divinum, & Ecclesiæ Cathedralis decorem a Testatore præ oculis habitum: his insuper addi Ecclesiæ Cathedralis necessitatem, dum in ea vix quatuor extent Mansionarii, & si contingat ut unus, aut alter infirmus fiat, vel absens, necessarium Ecclesiæ deerit servitium.

Advertunt, integræ hæreditatis reditum vix esse in annuis scutis 63. detractis autem oneribus Cameralibus, & Communitativis; aliisque expensis pro bonorum, domorumque

que conſervatione, & manutentione, vix ad annua redigi ſcuta 40.: imo reditum hunc ne certum quidem eſſe ob deteriorationes, ſterilitates, aliaque obvenientia infortunia. At in Tranſactione certum conſtitui ſtipendium annuorum ſcut. 40., certam, perpetuamque reddi trium ſacrorum in qualibet hebdomada celebrationem. Voluntatem itaque Teſtatoris non quidem alterari, & imminui, ſed imo pinguius, & uberius impleri. Demum advertunt, aſſenſum præbere omnes intereſſe habentes, ac Manſionariæ erectionem, ut maxime utilem, ac proficuam ab Epiſcopo quoque comendari.

Pro-Vicarius Generalis votum aperuit pro concordiæ approbatione, quia ea nihil voluntati Teſtatoris detrahit, ſed potius majorem Legati pii utilitatem, & cultus divini, & Eccleſiæ Cathedralis decorem præſefert.

Teſtator juſſit, ex univerſæ ſuæ hæreditatis fructibus totidem Sacra celebrari ad rationem obulorum 15. pro quolibet Sacro; Vetuitque etiam expreſſe, ne hoc legatum pium in Capellaniam Eccleſiaſticam, vel laicalem erigeretur. Ut itaque ad formam initæ concordiæ Manſionaria erigatur, clare, aperteque commutanda eſt Fundatoris voluntas tam circa numerum Miſſarum, quam circa prohibitam erectionem in Capellaniam.

Quoties enim Teſtator legem dixit, integros ſuæ hæreditatis fructus in totidem Sacra erogari, omnia jura vetant, ne interverſa Teſtatoris voluntate, aliter de erogatione eorumdem fructuum judicium detur, dictaque Sacra ad certum numerum reducantur. Hinc Sac. Congreg. in una *Romana, ſeu Reatina Capellaniæ*, in qua Teſtator juſſerat omnes ſuæ hæreditatis fructus in totidem Sacra erogari, licet anteceſſor Capellanus conſueviſſet tres Miſſas in qualibet hebdomada celebrare, propoſitis tamen *I. An Capellanus, de quo agitur, continuare poſſit in celebratione trium Miſſarum hebdomadalium pro adimplenda voluntate diſponentis, & quatenus negative II. quot Miſſæ celebrari debeant*, reſpondit die 17. Martii 1714. *ad primum Negative, ad II. juxta quantitatem fructuum*.

Quoties item Teſtator expreſſe vetuit, ne legatum pium Miſſarum in Capellaniam Eccleſiaſticam erigeretur, a qualibet erectione deſiſtendum eſt *Piton. de contr. patr. allegat. 34. num. 20., Ros. coram Pamphil. dec. 87. num. 5., & in Præneſtina legati pii 21. April. 1744. §. 8. coram Lana, & in Anagnina Capellaniæ 30. Junii 1750. §. 4. cor. clar. mem. Card. Matthæjo*. Quin imo etiam erectio jam ab Ordinario facta, fuit revocata, & improbata a Sac. Congr. in *Viterbien. Capellaniæ 23. Nov. 1765.*

At vero præſcripſit *S. Synodus* commutationes ultimarum voluntatum non aliter permittendas eſſe *niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa, ſeſſ. 22. cap. 6. de Ref.*; Et ſolidiſſima quidem

ra-

ratione; nam obſervare pacta, & leges fundationum juris naturalis eſt, imo, & Divini; alias etiam fundatores retraherentur ab erogandis propriis ſubſtantiis in opera pia, videntes pacta, & leges rei ſuæ datas poſtea non ſervari, ſed violari, *Piton. alleg.* 50. *num.* 2., & Sac. Congr. in *Peruſina* 12. *Maij* 1764.

Id itaque inquirendum, an *juſta*, vel *neceſſaria cauſa* urgeat commutandi Philippi Fundatoris voluntatem, & initam concordiam approbandi. Emi PP. perpenſis, ut aſſolent, omnibus facti circumſtantiis in caſu concurrentibus dignentur reſponſum dare.

An ſit locus erectioni Manſionariæ, & confirmanda Tranſactio ita ut ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 24. *Julii* 1762. *in caſu &c.*

Seſſ. 25. *cap.* 13. *de Reform.*

BALNEOREGIEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Joannes Rotondi, cum Polimartium forte ſe contuliſſet, accidit, ut lætali morbo correptus, ibi deceſſerit. Archipresbytero ejuſdem Oppidi procurante funus, defuncti Cadaver tumulatus fuit in publico Oratorio Fratrum *della Miſericordia*. Orta deindè controverſia eſt Archipresbyterum inter, & Confratres, cui nam tres funeris partes, relicta quarta, eſſet adſcribenda, remiſſaque ſapienti EE. VV. judicio hujuſce quæſtionis definitione, auditus eſt Epiſcopus, qui retulit, defunctum Joannem abſque teſtamento, & abſque ulla Sepulturæ electione deceſſiſſe, ſolumque ore tenus Archipresbytero facultatem tribuiſſe ſolvendi debita, & celebrandi funus, propterea que nihil obſtare, quominus jura funeris integra Parochiali Eccleſiæ ſerventur, cum non tantum Civium, & Incolarum cadavera, ſed etiam Peregrinorum ad Matricem Eccleſiam pertineant.

Addit Confratrum Oratorium, Parochiali, in cujus ambitu ſitum eſt, tanquam Matri ſubeſſe, ideoque liberum Archipresbytero fuiſſe, juxta temporis, & circumſtantiarum opportunitatem illo uti, abſque eo quod quidquam de funerum emolumentis amitteret, prout diuturna conſuetudine, ſuperiorum annorum uſu confirmata, inductum refert, atque ita Archipresbyteros Anteceſſores facere conſueviſſe, & in Libris Parochialibus adnotaſſe. Hoc ipſum ſervatum fuiſſe, cum graſſante vi morborum, & mortis, plura in Oratorio *della Miſericordia* celebrata fuerunt funera, & humata cadavera, tunc enim quarta dumtaxat Funeris parte Confratribus adſcripta, aliæ tres Archipresbytero, abſque ulla controverſia adjudicatæ extiterunt. Concludit itaque hoc modo favore hodierni Archipresbyteri = *Quoties itaque compertum remanet, quod non jam ex electione Defuncti, ſed ex Parochi facultate ad hanc filialem Eccleſiam,*

fiam, uti in loco commodiori fitum, Cadaver fuerit delatum, in eo sensu essem, Confratrum instantiam, uti prorsus insubsistentem fore reiiciendam.

Verum Fratres *della Misericordia* folium exhibuerunt, in quo proprii Oratorii tuentes libertatem, Parochialis Ecclesiæ veram matricitatem, ac legitimam consuetudinem negant. Inquiunt cautum in jure esse, ut si Defunctorum Cadavera in alia, quam in Parochiali Ecclesia tumulentur, huic quarta tantum reservetur ex dispositione *Sac. Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 13. de Reform.*, & Constitutionis sa. me. Benedicti XIII. = *Romanus Pontifex* = la 6. post Concilium Romanum.

Aiunt deindè, tunc verè matrem nuncupari Ecclesiam, cum ex una Parochia per divisionem, ac dismembrationem duæ efficiuntur. Tunc enim avulsa ab illa Parochia Populi parte, honorem matricitatis consequitur ratione ejus, quod amittit. Si verò ob Parochiæ amplitudinem aliqua deligatur Ecclesia, in ejus ambitu sita, in qua Vicarii pro commodiori Sacramentorum administratione constituantur, absque formali erectione in titulum, tunc sustinent improprie Parochiam appellari matricem, quia unitatem non amittit. Idemque juris esse, quando Matris titulo decoratur Parochialis aliqua Ecclesia ob antiquitatem, aut quamlibet honoris præeminentiam, quia in isto casu minus proprie Matricis nomen usurpatur, & rectius Ecclesia major, aut Prima nominatur, in qua sollemniores Functiones celebrantur, & ad quam aliarum Ecclesiarum Ministri debent accedere *Card. de Luc. de decim. disc. 12. n. 12., & 13., & de Præeminent. disc. 42. num. 12.*. Cum itaque Confratrum Oratorium a Parochiali non fuerit avulsum, sed solo pietatis intuitu independenter ab illa erectum, contendunt dictum Oratorium tanquam filiale haberi non posse.

Impugnant præterea consuetudinem, vel ex quo nulla ad eam probandam allata fuerint ab Archipresbytero legitima documenta; vel quia Parochiales libri, ex quibus evinci potuisset, Balneoregensi Episcopo non fuerint exhibiti, ex quo quidem suspicionem contrariæ probationis ex iisdem libris oriri affirmant *Menoch. de præsumpt. præsumpt. 91. num. 4. part. 2.* Præscriptionem denique induci contra Oratorium non potuisse dicunt ob mutationem Officialium, qui in illius gubernio successerunt, quorum discordia eidem Oratorio obesse non potuit. Maximè quia cum Archipresbyter titulum Matricitatis deduxerit, non potest alium titulum allegare juxta *resolut. Sac. Congregat.* relat. a *Gonzalez in Reg. 8. Cancell. gloss. 18. n. 48.*

Ex jure communi cautum, firmumque est, electionem Sepulturæ etiam sine testamento fieri, factamque sustineri: Quod si nulla electa sepultura quis decesserit, jus funeris

integre ad Parochialem Ecclesiam pertinet *Cap. 3. de Sepult.*, *cap. 2. eod. in 6.*, *Clement. 2. de Sepult.* §. *Hujusmodi*. Idemque jus est de Civibus, atque Peregrinis, qui vel nullo certo loco consistunt, vel itineris causa extra proprios lares fortè moriuntur; Cum neque ulla consuetudo, neque Locorum conditio aliter suadere videatur *Cap. Is qui habet domicil. 3. de Sepult. in 6.*, *Barbos. de Offic.*, & *potest. Paroch. part. 3. cap. 26. num. 35.*

Quod vero attinet Parochialium, respectu aliarum Ecclesiarum matricitatem, quæ non honorem, & dignitatem, sed Officium respicit, constat, absolutam Parocho competere auctoritatem in publicis Oratoriis, ea tantùm ratione, quod Parochiæ solo, atque ambitu consistant, quemadmodum definitum fuit ab Innocentio III. *Cap. Dilectus 2. de Capellis Monach.*, & communiter receptum est apud *Abb. ad tit. de Paroch. num. 2.*, & *seq.*, *Barbos. de potest. Paroch. par. 1. cap. 11. num. 2.*, *Card. de Luc. de Paroch. disc. 31. num. 6.*, & 7., *Scanfanton. decis. 25. num. 12.*, & 13. Et declaravit quoque Sac. Congregatio in *Asculana Jurium Parochialium 29. Augusti 1733.*, in qua proposito dubio = *An liceat Parocho Ecclesiæ S. Laurentii exercere omnia*, & *quæcumque jura Parochialia in publico Oratorio sito intra limites d. Parochiæ* = respondit = *Affirmativè* = idque ipsum decrevit in *Forosempronien. Jurium Parochialium 25. Aprilis 1761. ad II. dubium.*

Quod verò spectat ad funeris emolumenta, notandum est, quod si in publico Confraternitatis Oratorio sepultura electa fuerit, vel Defunctus habeat in eo sepulchrum gentilitium, tunc quartam dumtaxat Parochiali Ecclesiæ deberi, dixit Sac. Congregatio in prædicta *Asculana 29. Augusti 1733.* Nam proposito altero dubio = *An Rectori debeatur ulla portio emolumentorum occasione funeris subditorum dictæ Parochiæ, quos tumulari contingat in dicto Oratorio* = Respondit = *Quartam funeralem dumtaxat competere Parocho, reliqua verò emolumenta funeris spectare ad Ecclesiam SSmæ Annuntiatæ, quoad eos defunctos, qui vel ibi elegerint sepulturam, vel ibi sint tumulandi in Sepulchro Majorum.*

Verum in hujusmodi quæstionibus definiendis Sac. Congregatio rationem habuit consuetudinis, quam servari mandavit, proindeque in *Hortana Jurium Parochialium 5. Julii 1738.* cum disputatum fuisset IV. = *An in Ecclesiis Confraternitatum Terræ Suriani occasione tumulationis Defunctorum debeantur Parochis omnia Intorticia*, & *Cæræ*, *seu potius sola quarta funeralis in casu &c.* responsum prodiit = *servetur solitum* =

In præsenti casu neque electa fuerat Sepultura, neque aderat Sepulchrum gentilitium, quare viderint Emi PP. quid definiendum sit, dum quæritur.

An, & *quæ funeris emolumenta debeantur Archipresbytero Terræ Polimartii in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 14. Decembris 1771. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN hac poſtrema præſentis anni Congregatione reſolvendæ proponuntur Cauſæ, de quibus ratio habetur in folio, quod EE. VV. diſtribuitur.

FANEN. LEGATI.
An electio ſuſtineatur, in caſu &c.

Seſs. 25. cap. 13. de Reform.

Affirmativè, & amplius.

NULLIUS IEPRINIANI CAPELLANIÆ.
An, & cui ſit adjudicanda Capellania, in caſu &c.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

Dilata, & ad Emum Præfectum ad mentem.

CINGULANA ERECTIONIS MANSIONARIÆ.
An ſit locus erectioni Manſionariæ, & confirmanda Tranſactio, itaut ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 24. Julii 1762. in caſu &c.

Seſs. 22. cap. 6. de Reformat.

Negativè,

BALNEOREGIEN. JURIUM PAROCHIALIUM.
An, & quæ Funeris emolumenta debeantur Archipresbytero Terræ Polimartii, in caſu &c.

Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.

Dilata, & coadjuventur probationes.

Seff.24. cap.8., & Seff.7.cap.8. de Reform.

TERRACINEN., ET SETINA. Quamvis Sac. Congregatio die 22. Junii anni 1762. nonnulla ediderit decreta, ut averteret abusus, qui irrepserant in Cathedralibus Terracinen., Privernen., & Setina, de quibus Episcopus apud eamdem Sacram Congregationem conquestus fuerat, nihilominus id nec satis fuit ad continendos in officio Canonicos Setinos, qui spret is Episcopi monitis, obtemperare etiam detrectarunt Edicto, quod pro recta Chori disciplina die 31. Januarii labentis anni publicaverat. Immo iidem Canonici prævio Monitorio coram A.C. expedito ab eo provocarunt; sed ablegata Causa Sac. huic Congregationi, septem in postremo EE. PP. consensu proposita sunt dubia, in calce denuò transcripta, quorum resolutio rogantibus Canonicis ad hodiernam diem producta fuit. Jussu igitur EE. VV. Causa hodie reproponitur, cumque Canonici in sua contumacia adhuc perseverent, idcircò perpensis iis, quæ relata sunt in folio diei 23.elapsi mensis Novembris, definiendum erit

I. *An, & quibus diebus, qua hora, & in quo numero teneantur Archipresbyter, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Setiæ interesse Choro, & canere Officium, & Horas Canonicas, in casu &c.*

II. *An, & quibus remediis contravenientes sint cogendi, in casu &c.*

III. *An prædicti Canonici teneantur subministrare Episcopo Pontificalia exercenti, & Ordines conferenti Supellectiles, & alia sacra ornamenta, in casu &c.*

IV. *An iidem Canonici debeant subministrare Supellectiles, & alia ornamenta, etiam pro ornatu Ecclesiæ, & Cathedræ Episcopalis, nec non Candelas cæreas pro Ara maxima, dum Episcopus Pontificalia exercet, in casu &c.*

V. *An, & qui teneantur restaurare Ecclesiam Cathedralem, resarcire Organa, aliaque facere ad Ecclesiæ fabricam pertinentia, in casu &c.*

VI. *An dicti Archipresbyter, & Canonici in sollemnioribus diebus, quibus Pontificales habentur functiones, levare debeant Episcopum è Palatio Episcopali cum vestibus, quibus in Choro utuntur, eumque associare ad Cathedralem Ecclesiam, & respectivè in regressu ad dictum Palatium, in casu &c.*

VII. *An duo ex dictis Canonicis teneantur associare Episcopum cum vestibus talaribus, quoties ad Cathedralem Ecclesiam accedit pro quacumque alia functione Ecclesiastica, & in regressu respectivè ad Palatium Episcopale, in casu &c.*

Ad I. Quoad interessentiam quotidianam, salva vacatione ad formam Concilii, in reliquis servetur Ædictum, & amplius. Ad II. Præter consuetas punctaturas, quatenus non sufficiant ad contraveniente in Officio continendos, esse cogendos aliis juris remediis ad formam

nam Concilii. Ad III. Affirmativè, dummodò celebret in Cathedrali, vel in Capella Episcopali, & ad mentem. Mens est, ut Episcopus provideat Sacrarium Ecclesiæ juxta præscriptum in Literis Apostolicis, & amplius. Ad IV. Quoad Supellectiles, & Ornamenta Cathedræ Episcopalis, ut in tertio: Quoad ornatum Ecclesiæ Affirmativè, quatenus adsit, & juxta solitum: In reliquis Affirmativè, & amplius. Ad V. Dilata, & firmetur Status redituum Mensæ Terracinen., Privernen., & Setin. juxta instructionem. Ad VI. Affirmativè ad formam Cœremonialis Episcoporum, & amplius. Ad VII. Affirmativè ab ostio tamen, & usque ad ostium Ecclesiæ.

GERUNDEN.. Per actum inter vivos fundavit Sacerdos Bonaventura Pararols anno 1755. Beneficium ad Altare Beatæ Mariæ Virginis nuncupat. de Porticù Villæ de Olot. Patronatum activum post sui obitum deferri voluit ad Hieronymam Anglada, & Pararols Sororem suam, ejusque hæredes in infinitum, tributa Patrono facultate præsentandi intra terminum trium mensium a die vacationis Episcopo, vel Vicario Generali Sacerdotem, vel Clericum beneviſum ad idem Beneficium assequendum. Leve Beneficiato onus imposuit adimplendi per se, vel per alium celebrationi trium Missarum quolibet anno, iis tamen diebus, quibus minores Litaniæ in Ecclesia recitari solent; quod si Missarum celebratio ad supradictum Altare exequi non potuisset, tunc eadem Missas præscriptis diebus ad aliud Altare Beatæ Virginis de Altira celebrari mandavit. Hæc summa est fundationis Beneficii, Ordinarii auctoritate postea erecti. *Sess. 22. cap. de Reform.*

Quemadmodum verò Fundator, qui Patronatum activum, hæreditarium esse voluerat, nihil de passivo Patronatu disposuerat, nullumque verbum adjecerat quoad fructus, qui vacationis tempore decurrissent, idcircò de utroque disponere statuit per aliud Instrumentum, quod sub reservatione Beneplaciti Apostolici anno 1768. confecit. In hoc autem Instrumento Patronatum quoque passivum, nec non bona, ac reditus Beneficii contulit favore descendentium supra relatæ Familiæ de Anglada: Declaravitque, quod si vacationis tempore nullus de eadem Familia idoneus adesset, tunc a præsentatione esset abstinendum usque dum habilis ex ea aliquis evaderet, & interim fructus investirentur, donec Beneficii reditus ad summam librarum centum monetæ Barchinonensis augerentur. Sequuto autem hujusmodi investimento decurrentes fructus quousque Beneficium vacaret, erogari voluit in subsidium dotale, alicui Puellæ ex memorata Sororis Familia conferendum.

Tan-

Tandem beneficium, de quo agitur compatibile esse voluit cum alio quolibet Ecclesiastico Beneficio, & Beneficiatum minimè teneri dixit ad recitationem Horarum Canonicarum, donec saltem ad ætatem annorum 24. non pervenisset, *o altrimenti gli si commuti il detto obbligo della recita delle Ore Canoniche in altra orazione vocale a disposizione del Superiore*. In reliquis ea omnia servari mandavit, quæ in fundationis Instrumento exposuerat. De singulis ex intervallo appositis conditionibus quæritur, utrum sint approbandæ, prout ipse met Fundator enixis precibus exorat.

Inquit non solum Fundatoribus, sed Patronis ipsis licere jus activum nominandi ad Beneficia de hæreditario in gentilitium commutare juxta *Text. in Clement. Plures de Jurepatron.*, *Piton. controv. Patron. allegat. 92. num. 4. ad* 11., *& n. 70. cum seq.*. Idque ea ratione, quia gentilitium ad solos transit de Familia, hæreditarium verò ad Hæredes quoscumque transfertur, unde magis Ecclesiæ favet Patronatum de hæreditario gentilitium facere, ut hoc modo Patronatus coarctetur *Card. de Luc. de Jurepatron. disc. 60. num. 22.*, *Piton. citat. allegat. 92. num. 70.*, neque hujusmodi variatio ullam præseferat fundationis immutationem *Piton. ibid. num. 11.*, *Rot. in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum 8. Martii 1696. §. Et tale objectum apud Bertacchin. vot. decis. 47. num. 36. & 37.*

Quo verò ad Patronatum passivum, sustinet, permissum esse Fundatoribus, non solum in limine fundationis, sed etiam ex intervallo favore certi generis personarum illud reservare; neque id Sacros prohibere Canones, cum Patroni Beneficia propria auctoritate non conferant, sed tantùm præsentent Episcopo, qui postea instituit: Nihilque Ecclesiæ interesse ex una potius, quam ex alia Familia idoneum habere Beneficiatum *Piton. de controv. Patron. alleg. 82. n. 12.*, *Rot. in Recent. dec. 122. num. 14. par. 11.*

De altera conditione respiciente suspensionem collationis Beneficii, quousque inveniatur aliquis de prædilecta Familia, erogatis interim fructibus, qui deductis oneribus superfunt, primum in augumentum redituum ipsius Beneficii usque ad summam librarum centum, deinde in subsidia dotalia favore Puellarum de Familia Anglada, ait, quoad primum consentire Ordinarium, & similem gratiam fuisse a Sacra Congregatione concessam in *Satrianen.*, *seu Potentina* 27. *Januarii* 1748.: quo verò ad secundum, promptum se exhibet judicium Sacræ Congregationis amplecti, tum si postulata concedat, tum etiam si sequi existimaverit votum Episcopi, qui ablegato onere conferendi subsidium dotale, fructus vacantis Beneficii semper in augumentum fundi investiendos censet.

Denique quoad commutationem Officii in aliam breviorem Orationem, usque dum Beneficiatus ad ætatem annor. 24. per-

pervenerit, affirmat, id juxta Doctorum sententiam posse concedi *Suarez de Relig. Dom. cap.* 15. *de oblig. recit. Offic. ex vi Beneficii num.* 3., *Fargu. de Jurepatron. par.* 2. *can.* 27. *cas.* 3. *num.* 4.

Petitioni in omnibus amplissimè adhæret Joseph Anglada, qua filius, & hæres defunctæ Hieronymæ Anglada, & Pararols Fundatoris Sororis.

Episcopus precibus annuendum putat tum quoad Patronatum activum, & passivum, tum quoad suspensionem collationis Beneficii, quousque aliquis idoneus de prædilecta Familia existat, tum quoad erogationem fructuum interim decurrendorum in augumentum reditum ipsius Beneficii, supportatis tamen oneribus, & data administratione uni ex Parochis Oppidi de Olot, sive alteri Presbytero ab Ordinario approbato, tum demum quoad commutationem recitationis Divini Officii. Deinde sic prosequitur = *Negandæ prorsus autem sentio, quod adjectis per modum prædictum annuis reditibus Beneficii ad summam librarum centum, posita ex eisdem vacationibus applicentur ad opus, liceat alias pium, dotalium subsidiorum pro Filiabus ejusdem Domus de Anglada. Hoc enim nimis diversificat Beneficium, & licet de summo jure fieri possit, negatum tamen id fuit pluribus Fundatoribus id ipsum expetentibus, ne Beneficia confundantur, & alia vitentur inconvenientia. Bene verò fieri poterit, si EE. VV. placuerit, quod præfatus modus augendi reditus Beneficii non terminetur ad relatam summam librarum* 100. *, sed extendatur in futurum perpetuò ad aliam quamcumque summam; quanto enim pinguius erit Beneficium, tanto melius, atque id ipsum peroptat hodiernus Patronus.*

Certa res est, atque unanimi Doctorum firmata consensione, Fundationes post decretum legitimè interpositum, nullo modo alterari posse, aut immutari. Si verò Fundator hanc facultatem in actu fundationis sibi reservaverit, tunc novæ leges, ac novæ conditiones adjici possunt, quia vigore reservationis conditiones, & leges ex intervallo adjectæ retrotrahuntur, & appositæ censentur eodem tempore, quo variandi facultas fuit reservata, cum reservatio importet prorogationem perfectionis fundationis, & conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem, ita *Conrad. in prax. benefic. lib.* 11, *cap.* 10, *quæst.* 5, *num.* 151.

Si autem in fundatione reservata non fuerit variandi facultas, tunc existimant Doctores, permitti posse, de consensu tamen Episcopi, ut adjiciantur conditiones, quæ non sint juri contrariæ. Ita censent *Gagliard. de Benefic. cap.* 3, *num.* 4., *Vivian. de Jurepatron. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 10., qui idcircò licere putat apponere ex intervallo conditionem, quod Beneficium conferatur alicui de gremio, quia conditio hujusmodi non est contra jus, dummodò Episcopus non dissentiat.

Quoad

Quoad deletionem, seu commutationem oneris Officii Divini, ponderandum non inopportunè erit, antiquissimum in Ecclesia fuisse usum recitandi Horas Canonicas *Ferrar. Bibliothec. Jur. Canon. verb. Officium Divinum num.6.*, idque prioribus Ecclesiæ sæculis non majoribus tantum, sed minoribus etiam Clericis fuisse præscriptum, quia constituti in minoribus Ordinibus alicui Ecclesiæ erant adscripti *ibidem in addit. num.1.*. Certa res est Beneficiatos ratione Beneficii teneri ad Divini Officii recitationem *Cap. Dolentes 9. de celebrat. Miss.*, *cap. Quia 15. de rescriptis in 6.*, & desumitur quoque ex *Constitut.7. Leonis X. Supernæ dispositionis*, atque ex alia *Constitut. S. Pii V. la 135.* incipien. *Ex proximo*, de quibus apud eundem *Ferrar. loc. citat. num.25.*, videndum proinde quid intelligatur nomine *Officii*, de quo *Fargn. loc. sup. cit.*, & ulterius an deletio, seu commutatio hujusce oneris sit contra jus, & an post sequutam Beneficii erectionem illud ex intervalo deleri, aut immutari possit.

Dijudicent ergo Emi PP.

An sit locus approbationi Instrumenti, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus,

Sess.24. cap.12. de Reform.

BRICTINORIEN. SERVITIORUM. Ex dispositione Sacerdotis Nicolai Pretini Archipresbyteri S. Mariæ de Castro Novo erecta fuit in Cathedrali Ecclesia Brictinorii Capellania in titulum perpetui simplicis Beneficii, cujus onera ipse Fundator his verbis expressit = *Vult dictus D. Nicolaus, quod Rector dictæ Capellæ ultra celebrationem Missarum singulis diebus, teneatur, & obligatus sit, nisi infirmitate aliqua, vel alio legitimo impedimento impeditus fuerit, dictos Reverendissimos Episcopos* (scilicet Brictinorienses) *a Palatio Episcopali ad Ecclesiam, & ab Ecclesia ad Palatium Episcopale deducere, & reducere, si tamen pedestres venient Rmi Domini Episcopi, & dum Rmus Dominus Episcopus reperitur in sua Ecclesia Cathedrali, sive in alia in Civitate tam Brictinorien., ac Suburbiis, & vacet Divinis Officii, & aliis muneribus Episcopalibus, idem Rector prædictæ Capellaniæ teneatur assistere, & inservire dicto Domino Episcopo, & ad arbitrium illius perinde ac si esset unus ex familiaribus suis.*

Prohibuit tamen, ne Successores post erectionem Episcopi, Capellaniam conferrent alicui de sua familia, neque ei, qui illius familiaris jam fuisset, aut imposterum futurus esset. Reservavitque Patronatum Episcopo pro tempore, cui facultatem quoque dedit erigendi dictam Capellaniam in Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, *firma tamen remanente obligatione de celebrandis Missis singulis diebus, & deducendo, & reducendo dictum Reverendissimum Episcopum, eidemque in Ecclesia inserviendi.*

Pri-

Primus Capellaniæ Possessor fuit ipse met Fundator Nicolaus Pretini, cujus favore facta collatio fuit sine ulla prorsus obligatione, dum ipse viveret. Eo autem defuncto anno 1609. Episcopus Brictinorien. de consensu Capituli Capellaniam in unum erexit ex iis tribus Canonicatibus, quos Episcopus Antecessor suppresserat, illumque contulit Sacerdoti, qui ipsi a Secretis inserviebat, recepto juramento adimplendi fundationis onera.

Anno 1636. vacavit iterum Canonicatus, collatusque fuit Petro Paulo de Mastris, qui tamen cum subinde electus fuisset Rector Parochialis Ecclesiæ S. Appollinaris de Collina, nec idcircò posset personaliter degere Brictinorii, & Episcopo inservire in ejus functionibus Episcopalibus in Ecclesia Cathedrali, ac in aliis ejusdem Civitatis Ecclesiis, illum anno 1660. permutavit cum simplici beneficio a Jacobo Ventura de Fabris possesso.

Aliæ deindè sequutæ sunt Canonicatus vacationes. Interim verò instante anno 1676. Dataria Apostolica, discussi debuit in Sacra Congregatione dubium = *An talis Canonicatus sit ita residentialis, ut hac ratione sit incompatibilis cum alio Beneficio residentiali* = responsumque fuit = *Affirmativè* = Qua de re anno 1701. provisus de Canonicatu extitit Philibertus Benaglia ea expressa lege, ut decreto Sacræ hujus Congregationis obtemperaret. Anno autem 1741. fan. mem. Benedictus XIV. motu proprio, ac Litteris in forma Brevis expeditis Canonicatum contulit Antonio Mariæ Presi Familiari suo, ob cujus resignationem sa.me. Clemens XIII. ad illum anno 1759. promovit Stephanum Bertaccini Cœremoniarum Magistrum Episcopi Brictinorienſis. Denique sequuto istius obitu Canonicatus anno 1765. collatus fuit Petro Carolo Paolucci, cujus reluctantia subeundi munia in fundatione imposita, hodiernæ disputationi præbet occasionem.

Inquit Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Brictinorii, Canonicatui Pretini obligationem incssse inserviendi Episcopo, De hac autem obligatione constare ex clara littera Fundationis. Onus hujusmodi fuisse ab Ordinario approbatum, eo ipso, quod instante Nicolao Pretini, suamque voluntatem patefaciente quoad singulas conditiones, & onera beneficio injungenda, idem Ordinarius decretum erectionis adjecit, quo omnia narrata tacitè repetita, & approbata censentur *Card. de Luca de Regal. disc. 5. num. 4., Pacion. allegat. 150. num. 6., & allegat. 152. num. 4., Rot. in Colonien. Abbatissatus 25. Aprilis 1757. §. 6. coram Frangipane.* Præsertim quia Ordinarius tenetur omnes conditiones Fundatori benevisas, etsi juri contrarias approbare, dummodò turpes non sint, impossibiles, & contra substantiam Beneficii *Piton. de controvers. Patron. allegat. 65. num. 24., & allegat. 80. num. 7., Rota coram Emerix jun. decis. 1241. num. 6.*

Tanto magis, quia neque aliæ conditiones a Fundatore appositæ de quotidiana Missæ celebratione, aut de facultate Episcopo tributa in Canonicatum erigendi simplex Beneficium ab eo institutum, repetitæ, aut expressè confirmatæ fuerunt in decreto factæ erectionis, & nihilominus de hisce conditionibus nulla unquam orta est controversia.

Provocat deindè ad status, qui fundationem immediatè subsequuti sunt, & quorum vis maxima esse debet ad fundationis qualitatem interpretandam *Amostaz. de Causis piis lib. 2. cap. 3. num. 21.*, *Piton. disceptat. Eccles. 17. num. 48.*. Animadvertit, in prima post obitum Fundatoris sequuta Canonicatus collatione præstitum a novo Canonico fuisse juramentum de adimplendis omnibus Canonicatus oneribus, eumdemque Canonicum monitum ab Episcopo fuisse, ne sine Episcopi licentia abesset. Observat insuper, Petrum Paulum de Mastris, post obtentum Beneficium Curatum S. Appollinaris, Canonicatum ea de causa resignasse, quia adimplere non poterat oneri personaliter degendi Brictinorii, ut Episcopo inserviret. Addit, Sacram hanc Congregationem innixam tum litteræ fundationis, tum subsequutæ observantiæ, quorum utrumque anno *1676.* fuit expositum, Canonicatum hujusmodi declarasse residentiale, & cum alio quolibet Beneficio prorsus incompatibile.

Idque servatum fuisse dicit post decretum Sacræ Congregationis, cum Canonicatus anno *1701.* collatus fuit Sacerdoti Philiberto Benaglia. Perperamque opponi tres postremas provisiones, tum quia quadragenariam non complent, tum etiam quia si prima excipiatur, aliæ potius favent, cum provisi aliqua ex parte, ac per aliquod tempus suo muneri satisfecerint, & personale servitium Episcopo præstiterint.

Pergit hinc ad præcisam servitiorum qualitatem, & peculiares casus, in quibus illa præstanda sunt, contenditque Canonicatus possessorem non solum teneri ad inserviendum Episcopo in sollemnioribus functionibus, quemadmodum quilibet Canonicus ex juris dispositione tenetur, ut in *Cærem. Episcop. cap. 15.*, *Sac. Cong. Rituum in Hispalen. 1592.*, sed etiam ad alias quascumque functiones minus sollemnes, quas Episcopus quovis in loco Civitatis peragere voluerit. Ampliora hæc servitia ex eo deducere conatur, quod Fundator eadem servitii onera firma manere voluerit etiam in casu, quo Beneficium in Canonicatum erigeretur, cum inanis fuisset hujusmodi expressio, si onera tantummodo cuilibet Canonico inhærentia iniungere intellexisset.

Addit insuper, Fundatorem non unam, vel alteram sollemnem functionem indigitasse, sed generice servitium de-

man-

mandasse præstandum Episcopo *dum vacat Divinis Officiis, & aliis muneribus Episcopalibus*. Id autem verificari putat, quoties Episcopus Ordinis, Chrismatis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta administrat; ac præterea cum Sanctimoniales visitat, easque religioso habitu induit, cum Conciones habet, vel aliud quodlibet pietatis, ac Religionis opus in quavis Ecclesia exercet, alias inutiliter Fundator Episcopo jus tribuisset utendi ministerio Canonici *ad ejus arbitrium, periudè ac si esset unus ex Familiaribus suis*. Tanto magis, quia ad servitia Episcopo a Canonicis *de jure* præstanda referri non potest vel arbitrium ipsi tributum, exigendi servitium a Beneficiato, quasi *esset unus ex familiaribus suis*, aut facultas eidem relicta puniendi Canonicum; quippe quia ministeria Canonicis a Cæremoniali indicta nec ab arbitrio pendent Episcopi, nec quasi familiaritatem inducunt, nec contravenientes pœnis subiacent arbitrio Episcopi infligendis.

Advertit etiam, Fundatorem prohibuisse, quominus Episcopus *alicui de sua Familia* beneficium conferre posset, idque non alia de causa factum asserit, nisi ut Familiarium numerus novi Beneficiati accessione Episcopo augeretur. Observat, Fundatorem Episcopo facultatem tribuisse erigendi beneficium in Canonicatum, atque ex hoc infert, quod sicuti ante beneficii erectionem in Canonicatum, servitia a Beneficiato præstanda diversa erant ab iis, quæ Canonicis ex juris dispositione inhærent, ita post erectionem similia quoque esse debeant servitia non ratione Canonicatus, sed ex causa veri famulatus præstanda.

Et hac etiam in re provocat ad observantiam, qua constare dicit, Petrum de Mastris anno 1660 Canonicatum dimisisse tanquam incompatibile, eo quia degere teneretur Brictinorii ad effectum inserviendi Episcopo: Et Canonicum Bertaccini licet Foropompilii commoraretur, ibique Canonicatum possideret, nihilominus suum semper famulatum ex lege fundationis Episcopo exhibuisse.

Nihilque obstare putat, quod Capellaniæ possessor ex decreto Visitationis anni 1616. teneatur ultimam Missam in Cathedrali celebrare. Existimat enim, onus huiusmodi non esse incompatibile cum lege fundationis, vel quia nunquam accidit, ut servitia in meridie Episcopo exhibeantur, vel quia Episcopus juri suo cedere potuit, & permittere, ut ea hora a servitio recederet. Cæterum concludit, quod si grave nimis videatur onus celebrandi ultimam Missam, fas erit agere in congruo judicio pro iftius oneris abrogatione.

Atque hæc quoad primum dubium respiciens servitia Episcopo præstanda, quo verò ad alterum super celebratione Missæ quotidianæ, Promotor Fiscalis ab illius examine *pro nunc* abstinendum censuit, prout ex ejus declaratione

in actis emissa, & EE. VV. forsan circumferenda. Id autem factum dicit, quia ob redituum tenuitatem usque ab anno 1641. vigore Pontificii Brevis sequuta est Missæ quotidianæ reductio ad tres Missas qualibet hebdomada, ea tamen lege, ut si reditus augeantur, quotidianæ Missæ celebratio reassumatur.

Hinc caute procedendum existimavit, ne perpetuæ reductioni adhærere videretur, sed liberum esse voluit Episcopo, Canonicatus possessorem compellere ad quotidianam Missæ celebrationem, quatenus decursu temporis reditus fuissent adaucti. Verum Sacerdos Paolucci temporaneæ hujusmodi suspensioni non acquiescens, alterum quoque dubium subscribi curavit, quod ipso instante, ac mordicus urgente, proponitur. Verùm nec super primo, nec super secundo dubio, quamvis pluries monitus, & a longo jam tempore expectatus, quidquam adhuc deduxit.

Duo hac in causa potissimum expendenda videntur. Primum scilicet an Possessori Canonicatus Pretini onus incumbat præstandi Episcopo servitia, qua quidem in re habenda pra oculis est fundationis Littera, subsequuta observantia, & Sac. hujus Congregationis responsum anno 1676. editum. Alterum verò respicit modum, & peculiares functiones, in quibus teneatur inservire. Non incongruum proinde erit ante omnia recensere servitia ab omnibus Canonicis ex juris dispositione præstanda.

A Concilio Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* id unum cautum reperitur, ut Canonici debeant *Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire*. Hoc servitii genus clarius exprimitur in Cæremoniali Episcoporum *Cap.* 15. his verbis= *Cum Episcopus rei Divinæ peragendæ causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum Ecclesiastico, & Canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere, eumdemque Cappa indutum ex ea Aula, sive Camera, quam ad hoc destinaverit, ad Ecclesiam progredientem comitari, & deducere*= Et paulo infra = *In redeundo idem ordo servetur* = Idque a Canonicis observandum esse, quamvis Episcopi Palatium ducentis passibus ab Ecclesia Cathedrali distaret, pluries declaravit Sac. Rituum Congregatio, præsertim in *Turritana* 26. *Aprilis* 1704. *ad VI.*, apud *Monacell. tom.* 4. *Supplem. ad tom.* 3. *num.* 193.

Verùm quia Cæremoniale Episcoporum indistincte loquitur de accessu Episcopi ad Ecclesiam s idcirco sæpius hac de re subortæ sunt controversiæ judicio Sac. Rituum Congregationis pro definitione subiectæ. Præcipuè autem anno 1592. nonnulla proposita fuerunt dubia ab Archiepiscopo, & Capitulo Hispalensi, relata a *Pignattel. consult.* 83. *num.* 3., atque inter cætera quæsitum fu t III. *An quando contigerit, ut Missa per eumdem Archiepiscopum sollemniter celebranda, vel*

vel aliæ functiones Pontificales sint exercendæ extra Metropolitanam in alia Ecclesia ejusdem Civitatis, vel Suburbiorum, possit similiter compellere complures, ut sibi inserviant, & assistant, etiamsi ipsa Ecclesia esset Collegiata, & in ea Dignitates, & Canonici existerent? IV. *An Dignitates, & Canonici, & Capitulum teneantur Archiepiscopum accedentem ad Ecclesiam diebus festis Cappa indutum comitari, & ex qua loco?* V. *An etiam in reditù debeant eum reducere, & ad quem locum?* VI. *An si privatim ad Ecclesiam venerit, sit ei obviam eundum, rediens sit reducendus, & quomodo?* Sacra Congregatio respondit. Ad III. *Licere Archiepiscopo eosdem compellere, quoties ad alias ejusdem Civitatis, & suburbiorum Ecclesias accedit ad aliquod speciale munus exercendum.* Ad IV. V., & VI. *Dignitates, Canonicos, & Capitulum debere ad cubiculum accedere, ubi Archiepiscopus induitur Cappa, & eum ad Ecclesiam venientem debito cum honore comitari. In reditu debere etiam saltem usque ad ostium domus ipsum Archiepiscopum associare. Si vero venienti sine Cappa nonnullos ex Dignitatibus, & Canonicis ad Ostium Ecclesiæ, & in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiæ ipsum comitari debere* = Et hujusmodi responsa sa.mem.Clemens V. die 17. Junii ejusdem anni Apostolica auctoritate confirmavit.

Præterea ad Dignitates, & Canonicos Cathedralis pertinet Episcopo assistere Pontificalia exercenti etiam in Ecclesia Collegiata, vel Parochiali, neque id incumbere Canonicis Collegiatæ, vel Presbyteris Parochialis, etiamsi sufficiens adsit Presbyterorum numerus, quemadmodum declaravit Sac. Rituum Congregatio in *Calaguritana* 1. *Iulii* 1601., in *Bononien.* 20. *Aprilis* 1602., & in *Brundusina* 15. *Julii* 1617. apud Ferraris *verb. Canonicus art. 6. num.* 52.. Hinc cum pro parte Capituli Cathedralis *Isernien.* narratum fuerit, quod Episcopus Pontificalia exercens extra Cathedralem adhibere consueverat simplices Presbyteros inservientes, neglectis Canonicis Cathedralis, petitumque extiterit, ut declararetur, an id conveniret? Eadem Sac. Congregatio respondit: *Non convenire, sed Canonicos Cathedralis in casu propositio inservire debere etiam extra Cathedralem, & non alios inferiores.*

Hæc sunt servitia a jure præscripta, quæque a Canonicis Cathedralis sunt Episcopo exhibenda. Comparanda modò sunt, quæ fundator Canonicatus Pretini iniunxit, ut indè dijudicari valeat, an illius possessos ad ea tantùm subijciatur, seu potius ad graviora teneatur. Id autem ex fundatione, & ex aliis omnibus circumstantiis serio perpendendis desumi poterit. Prohibuit Fundator, ne Episcopus *possit conferre dictam Capellam alicui de sua Familia, neque alicui, qui alias fuerit ejus familiaris, nec futurus sit in futurum.* Mandavit insuper, quod *Rector d. Capellaniæ teneatur, & obligatus sit, nisi infirmitate aliqua, vel alio legitimo impedi-*

pedimento impeditus fuerit, Id. Reverendiſſimos DD. Epiſcopos à Palatio Epiſcopali ad Eccleſiam, & ab Eccleſia ad Palatium Epiſcopale deducere, ſi tamen pedeſtres venient Reverendiſſimi Epiſcopi; & dum Reverendiſſimus Epiſcopus reperitur in ſua Eccleſia Cathedrali, ſive in alia in Civitate tam Briſtinorien., ac ſuburbiis, & vacet Divinis Officiis, & aliis muneribus Epiſcopalibus, idem Rector prædictæ Capellaniæ teneatur aſſiſtere, & inſervire d. D. Reverendiſſimo Epiſcopo, & ad arbitrium illius, perinde ac ſi eſſet unus ex familiaribus ſuis. Hujuſmodi verò onus firmum manere voluit etiam in caſu, quo d. Capellania in Canonicatum erigeretur; ac tandem addidit: *ſi dictus Rector negligens fuerit, puniatur ad arbitrium Rmi D. Epiſcopi, qui pro tempore erit.*

Ex his itaque verbis deducenda eſt ſervitiorum qualitas a Canonico præſtanda, & ex iis dijudicandum, quibus in caſibus teneatur Epiſcopum comitari. Ac demum non eſt prætereundum, quod ſequuta anno 1676. diſcuſſione ſuper reſidentia a poſſeſſore Canonicatus præſtanda, ejuſque incompatibilitate cum alio reſidentiali beneficio, inter cætera, quæ deducta tunc extiterunt, narratum quoque fuit, aſſignatum quidem fuiſſe iſtius Canonicatus poſſeſſori ſtallum in Choro, ſed ſemper infimum, eumque conſiderari tanquam Canonicum ſupranumerarium, nec notari præſentem, nec punctari abſentem, neque habere vocem in Capitulo, neque ad functiones, vel actus Capitulares vocari.

Omnibus proinde perpenſis, quæ hac in cauſa notatù digna occurrunt, EE. VV. dijudicabunt:

I. *An, quomodo, & in quibus functionibus Poſſeſſor Canonicatus Pretiri teneatur præſtare ſervitia Epiſcopo in caſu &c.*

II. *An ratione ejuſdem Canonicatus teneatur ad celebrationem Miſſæ quotidianæ in caſu &c.*

Seſs. 22. cap. 8. de Reform.

PERUSINA MONTIS PIETATIS. Mons Conſolinus ex hæreditariis bonis Raynerii Conſoli Perufiæ erectus, & a ſa. mem. Clemente VIII. confirmatus, exigere ab oppignorantibus, Apoſtolica auctoritate, conſuevit ſcuta duo pro centenario; Sed cum deinde impar comperta fuerit tenuis hujuſmodi exactio gravibus expenſis, quibus Mons ille ſubiiciebatur, & ob id per aliquod tempus clauſus remanſerit, idcircò ad exercitium fuit revocatus, prævia tamen facultate a ſa. mem. Clemente XII. ad decennium tributa, exigendi ſcuta tria pro centenario; quæ quidem facultas a ſa. mem. Benedicto XIV. fuit ad aliud decennium prorogata. Exiſtimantes autem ejuſdem Montis Adminiſtri, neceſſarium omninò fore ad illius ſubſiſten-

tiam

tiam, ut exactio in ea quantitate deinceps prosequeretur, novam prorogationem, nulla tamen temporis præfinitione circumscriptam, postularunt.

Preces ablegatæ fuerunt Sac. huic Congregationi; quare die 20. Aprilis labentis anni quæsitum fuit ab EE. VV. = *An Rectoribus Montis Consolini sit concedendum Indultum perpetuò exigendi scuta tria pro quolibet centenario in casu &c.* = Sed, suspensa resolutione, sequens prodiit rescriptum = *Dilata, & prævia firmatione status, & redituum Montis, Episcopus cogat Ministros ad redditionem rationis, non retardata interim provisionali exactione ad rationem scutorum trium pro centenario, & ad D. Secretarium juxta mentem* = Mens autem fuit, ut nomine Sac. Congregationis a me iniungeretur Episcopo sollicita demandati muneris exequutio, ne res tam gravis diutius in ancipiti versaretur.

Mandata protinùs Sac. Congregationis adimplevit Episcopus, transmittitque folia continentia Statum tum activum, tum passivum Montis Consolini, quæ EE. VV. circumferuntur, ex iisque deprehenditur, bona omnia ad eumdem Montem pertinentia constituere capitale scut. 12780. 15., fructus vero tum certos, tum incertos provenientes ex interusuriis pignorum perceptis in ratione trium pro centenario, ducto calculo ab anno 1742. ad totum annum 1769. summam æquare scut. 9185. 05. Expensas autem tam certas, quam incertas per totum id tempus computari in scutis circiter 7349., itaut eo temporis decursu Mons fuerit in lucro quantitatis circiter scut. 1835. 13., & hæc summa in intermedios annos divisa, constituit lucrum Montis in annuis scutis 53. 97. ÷

Hac super re animadvertit Episcopus, quod si præteritis annis ejusdem Montis indemnitati non consuluissent Summi Pontifices ope Indulti facultativi percipiendi scuta tria pro centenario, non modò nullum compendium Mons retulisset, sed immò aliquid ex Capitali amisisset. Observat præterea, quod inter expensas connumerantur etiam extraordinariæ, quas ex inopinato rerum eventu, aut ex infortuniis quandoque subire cogitur. Hinc ad suppliendum hisce indigentiis, quæ non raro occurrere possunt, omnino servandam putat eam pecuniæ summam, quæ unoquoque anno, deductis expensis, reliqua est favore Montis.

Quibus in facto relatis, ultra ea, quæ jam perpensa sunt in folio istius Causæ distributo pro Congregatione diei 20. elapsi mensis Aprilis nunc opportunè resumendo, ponderare præstat, Montem Consolinum circa finem præteriti sæculi erectum, ob illius paupertatem clausum per aliquod tempus mansisse, quo quidem tempore tum Loca Montium, tum censuum fundi alienati comperiuntur, & ignoratur an in hujusmodi alienationibus intercesserit Beneplacitum Apostolicum, quòd tamen ex diuturno temporis lapsu præsumi

sumi potest. Ignoratur etiam, qua ratione alienationes factæ fuerint, sed probabiliter censeri potest, fuisse sequutas, vel ut æs alienum a Monte forsan contractum extingueretur, vel ut ad exercitium revocaretur, quod non prius, quam anno 1735. evenit.

Restat modo, ut EE. PP. decernant.

An Rectoribus Montis Consolini Civitatis Perusiæ sit concedendum Indultum perpetuò exigendi scuta tria pro quolibet centenario in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FAVENTINA TRANSLATIONIS. In publico Oratorio Divo Joanni Baptistæ dicato, quod in Regione Angognani sub Parochia S. Mariæ de Rontana Territorii Brischellæ construxerat anno 1645. Oliverius Padovani, istius germanus Frater Dominicus Vincentius onus sex Missarum qualibet hebdomada sequenti anno 1646. adjecit. Cum verò Familia de Padovanis domicilium transtulerit ad Parochiam S. Hilarii, hinc Sacerdos Raphael Padovani hodiernus Capellanus gratiam a SSmo D. N. reportavit translationis ad quinquennium oneris Missarum ab Oratorio S. Joannis Baptistæ ad Sacellum S. Josephi intra limites ejusdem Parochiæ S. Hilarii situm. Sed reclamantibus Incolis Angognani, & Archipresbytero Rontanæ, Sanctitas sua rem totam, cum necessariis, & opportunis facultatibus, remisit Sac. Congregationi, quæ dubio die 31. Augusti proximè elapsi proposito = *An translatio ad quinquennium oneris celebrationis Missarum sex in qualibet hebdomada ab Oratorio S. Joannis Baptistæ in Angognano Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ de Rontana ad Oratorium Divi Josephi sustineatur in casu &c.* = respondit = *Negativè* =

Obtenta autem a Capellano nova audientia, dilataque præsidio novorum Jurium Causæ propositione ad hodiernam Congregationem, cum nihil adhuc deduxerit, & Incolæ Angognani graviter conquerantur de deficientia Sacrificii in Oratorio S. Joannis Baptistæ, & de incommodo adeundi Parochialem, quæ multum distat, & ad quam hyemali præsertim tempore perdifficilis patet accessus, idcircò resumpto folio præcedentis Congregationis diei 3. Augusti, in quo Causa fusius expenditur, rogantur Emi PP. decernere.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

FINIS.

IN-

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1771.

A

Abortum procurantes graviſſima olim pœna puniendi erant ex jure tum Civili, tum Canonico *pag.* 106. §. *Juxta*.

Ex Innocentio III. procurantes abortum fœtus animati irregularitatem incurrebant, & gravibus pœnis afficiebantur, mitius vero puniebantur, ſi fœtus non fuiſſet animatus *pag. ead.* §. *Verum*.

Si tamen dubium ſit, an fœtus eſſet animatus, vel non, irregularitas non incurritur *pag.* 117. §. *Quando*. Vid. etiam *Fœtus*.

Verum diſtinctionem inter fœtum animatum, & inanimatum ſubſtulit Sixtus V., qui abortum quoquo modo procurantes eadem pœna plectendos decrevit *pag.* 106. §. *Verum*.

Hunc rigorem moderatus poſtea fuit Gregorius XIV. *Ibid.*

Inter cauſas abortus recenſetur timor gravis Mulieri pregnanti incuſſus *pag. ead.* §. *Inter*.

Abſentia aliquorum non attenditur, quoties Conſilium, vel Capitulum fuit legitimè indictum *pag.* 143. §. *Nec attendendas*.

Ætas ſeptem annorum ſufficit ad primam conſuram, & tres primos minores Ordines conſequendos *pag.* 183. §. *Contendit*.

Ad matrimonium ex parte Mulieris debet eſſe duodecim annorum completorum *pag.* 49. §. *Ex triplici, & ſeq.*

Requiritur enim ætas, quæ ſecum ferat diſcretionem ad conſenſum explicandum, & & aptitudinem ad generandum *Ibid.*

Ea ſiquidem deficiente ætate præſumi nequit habilitas ad Matrimonium, niſi concludenter probetur *pag.* 50. §. *Defuiſſe*.

Fieri tamen poteſt, ut etiam ante dictam ætatem ſuperaccedat naturalis pubertas, ideſt mentis diſcretio, & aptitudo ad copulam *pag.* 55. §. *Quamvis*.

Affinitas ex matrimonii conſummatione contrahitur *pag.* 118. §. *His itaque*.

Nec niſi impropriè, latoque modo dicitur ex matrimonio tantum rato *Ibid.*

Alienandi facultas facilè conceditur, quando in evidentem Eccleſiæ utilitatem cedit *pagin.* 167. §. *Hanc autem, & pag.* 168. §. *Bonorum*.

Sequus tamen, ſi hominis prohibitio ſuperaceſſerit *Ibid.*

Quia decedentium voluntas nonniſi raro, & ex urgenti cauſa debet immutari *Ibid.*

Si vero hominis prohibitio nulla honeſta, & rationabili cauſa nitatur, tunc alienatio permittitur *Ibid.*

Eamque ideirco juxta varias circumſtantias quandoque Sacra Congregatio permiſit, & quandoque denegavit *pag.* 169. §. *Sacra*.

Alienatio Patrimonii, ad cujus titulum quis fuit ordinatus, ſine licentia Epiſcopi ſuſpenſionem non inducit *pag.* 180. §. *Concilium*.

Alimenta primo loco ſubminiſtrari debent hæredi paupertate laboranti, poſtpoſitis aliis piis diſpoſitionibus *pag.* 121. §. *Qua quidem*.

Nobili Mulieri, durante lite ſuper validitate matrimonii, præſtanda ſunt habito reſpectu ad ſplendorem Familiæ, ad qualitatem, & dignitatem perſonarum, pro viribus Patrimonii, & a die, quo fuerunt petita *pag.* 33. §. *Inquit, & pag.* 35. §. *Sacra*.

Nurus habet actionem pro alimentorum aſſequutione contra hæreditaria Soceri bona *Ibid.*

Etiam Privignus tenetur alimenta præbere Nouercæ in paupertatem delapſæ *pagin.* 34. §. *Immo, & ſeq.*

Illorum quantitatem S. Congregatio remiſit arbitrio Emi Præfecti *pag.* 35. §. *Ad determinandam*.

Aperitio Oris adverſus Breve. Vid. *Oris aperitio*.

In aſſociatione Cadaverum, quando ſimul interſunt Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochi aliarum Eccleſiarum, præcedentia competit Archipresbytero, & Canonicis Collegiatæ etiam ſupra proprium Defuncti Parochum *pag.* 128. §. *De præcedentia*.

Parocho tamen competit jus faciendi officium in propria Eccleſia *Ibid.*

Salva ſemper legitima Loci conſuetudine

ne *Ibid.*, & *pagin.* 129. §. *Cum autem*.

Id autem multo magis locum habet, si interfit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, cujus Beneficiatis, & Parochis præcedentia debetur supra alios Parochos *pag.* 129. §. *Itaque*.

Immo præcedentia competit etiam Curatis Cathedralis ad nutum amovibilibus *Ibid.*

Eorumque substitutis, & Vicariis *Ibid.*

Sequus verò si agatur vel de aspergendo Cadavere, antequam è Domo levetur, vel de inchoanda Antiphona *pag. ead.* §. *Sequus*.

B

Beneficii libertas præsumitur, deficiente fundatione *pag.* 163. §. *Inquit*.

Quamvis in Litteris Apostolicis Missarum onus recenseatur *Ibid.*

Collationem suspendi quandoque permisit S. Congregatio, quousque inveniatur aliquis de prædicta Familia *pag.* 246. §. *De altera*.

Beneficium quoad novas conditiones a Fundatore adjiciendas. *Vid. Fundator Beneficii*.

Beneficiorum erectio fieri debet de consensu omnium interesse habentium, ne in aliorum vergat detrimentum *pag.* 38. §. *Et quamvis*.

Expedit enim potius omittere augumentum cultus Divini, quam justitiæ leges conculcare *pag. ead.* §. *Ut itaque*.

At si interesse habentes irrationabiliter dissentiant, iis etiam invitis ad erectionem devenitur *pag. ead.* §. *Et quamvis*.

Hinc S. Congregatio aliquando dissensus rationem habuit, aliquando vero non *pagin.* 39. §. *Quare*.

Et consensum cum justis conditionibus probavit, si vero conditiones injustæ visæ fuerint, illas rejecit *pag. ead.* §. *Quando*.

Beneficiorum status, & indoles mutatur ex observantia per annos 40. protracta *pag.* 163. §. *Quod si*.

Pluralitas utpote Sacris Canonibus inimica improbatur *pag.* 165. §. *Quoniam*.

Etiamsi agatur de Beneficiis simplicibus *Ibid.*

Incompatibilitas quando locum habeat *pag.* 166. *Incompatibilitas*.

Super beneficiorum incompatibilitate dispensari non solet, nisi concurrentibus causis, & quæ esse debent *pag. ead.* §. *Circumspecta*.

Beneficiatus quoad solutionem Cathedratici. Vid. *Cathedraticum*.

Beneficiatum habere idoneum ex una potius, quam ex alia Familia, ni hi interest Ecclesiæ *pag.* 246. §. *Quo vero*.

C

Cancellarius quicumque abhiberi potest ab Episcopo duarum Ecclesiarum, æque principaliter unitarum, in cognoscendis causis alterius ex Diœcesibus *pag.* 60. §. *Demum*.

Verum Cancellario, vel Notario sibi benemisso rarò uti debet, & in arduis tantum gravioribusque causis, cum de cætero conveniens sit, ut adhibeat Cancellarium illius Diœcesis, cujus causa cognoscitur *Ibid.*

Canonicus Jubilatus. Vid. *Jubilatio*.

Jubilatus licet absens, particeps est omnium fructuum, & quotidianarum distributionum, ac si præsens esset *pagin.* 65. §. *Verum*.

Canonicus Pœnitentiarius instituì debet in singulis Cathedralibus, etiamsi fuerint æque principaliter unitæ *pag.* 73. §. *Hoc ipsum*.

Idque declaratum fuit a S. Congregatione *Ibid.*

Canonici non solum debent interesse horis Canonicis, sed etiam alta voce psallere *pag.* 227. §. *Ad I.*, & *pag.* 228. §. *Præter*, & *seq.*

Non interessentes Divinis Officiis, ultra amissionem quotidianarum distributionum, possunt compelli per mulctas pecuniarias *pag.* 229. §. *Quoniam*

Ultra tres menses a suis Ecclesiis abesse non possunt *pag.* 23. §. *Agendo*.

Nec simul eodem tempore ultra tertiam partem *Ibid.*, & *pag.* 229. §. *Præterea*.

Neque vacationibus uti valent diebus Adventus, & Quadragesimæ, aliisque solemnioribus intra annum festivitatibus. *Ibid.*, & *seq.*, & *pag.* 22. §. *In Interamnen.*

Sacra Congregatio interdum indultum concessit, ut alternis vicibus, & etiam per Tertiarias inservirent *pag.* 23. §. *Agendo*.

Canonici nequeunt sua sponte a Choro discedere, vel ad Pœnitentiæ Sacramentum administrandum, vel ad Missam celebrandam, quando divina officia peraguntur, *pag.* 24. §. *Hinc*, & *pag.* 214. §. *Atque*.

Possunt tamen de licentia Superioris, vel Præfecti Chori *Ibid.*, & *seq.*

Qui tamen monendi sunt, ut ab hujusmodi jussu, quoad fieri potest, abstineant *Ibid.*

Idque etiam decrevit S. Carolus Borromeus in Concilio Provinciali IV. Mediolanen. *pag.* 24. §. *Non Latuit*.

Nec ab hac praxi recessit S. Congregatio *pag.* 25. *Ab hac norma*.

Excipitur tamen a communi lege Canonicus Pœnitentiarius *pag. ead.* §. *Excipitur*, & *pag.* 214. §. *S. Carolus*.

Atque etiam ille, quem Episcopus in locum

cum Pœnitentiarii pro excipiendis Confessionibus fuffecerit *l. cit.*

Dummodo in actuali administratione Sacramenti Pœnitentiæ detineatur, *Ibid.*

Canonici Ecclesiæ Cathedralis tenentur subministrare Episcopo suppellectiles pro Pontificalibus, aliisque sacris functionibus peragendis tam in eadem Cathedrali, quam in Episcopali Sacello *pag.* 229. §. *Quoad, & seq.*

Non tamen si in alia Ecclesia, vel Capella celebret *Ibid.*, & *pag. cad.* §. *Tandem.*

Quod si Canonici renuant, potest Episcopus propria auctoritate illas adsportare *pag.* 230. §. *Id etiam.*

Canonici quando, a quo loco, & usque ad quem locum debeant Episcopum comitari *pag.* 231. §. *Demum.*

Debent inservire Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti *pag.* 252. §. *A Concilio.*

Etiamsi in aliqua Collegiata, vel Parochiali Pontificalia exerceat *pag.* 251. §. *Præterea.*

Quando Palatium Episcopi adire debeant *pag.* 252. §. *A Concilio & seq.*

Canonicorum numerus etiamsi taxativè designatus, augeri pro libro potest *pag.* 133. §. *Quod vero.*

Capitulum quoad onus subministrandi Episcopo Sacras suppellectiles *Vid. Canonici.*

Cathedraticum quid sit *pag.* 42. §. *Cathedraticum.*

Nullum jus Episcopale est antiquius Cathedratico *Ibid.*

Nullumque magis privilegiatum, quod præscriptionem non admittat *Ibid.*

Exigi tamen hodie non potest in visitatione *pag.* 43. §. *Præstari.*

Ejus quantitas desumenda est ex recepta in qualibet Ecclesia consuetudine *pag. cad.* §. *Quantitas.*

In Concilio Romano præfinita fuit quantitas duorum solidorum, seu juliorum viginti *pag. cad.* §. *Verum.*

Præter Cathedraticum nil aliud percipere possunt Episcopi vel fixorum munerum, vel Xeniorum nomine *Ibid.*, & *pag.* 44. §. *Hæc eadem.*

Ab Ecclesiis, ubi plures de communi massa participant, ab omnibus in communi persolvi debent julii 20. titulo Cathedratici, salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis, & Episcopis magis favorabilibus *Ibid.*

Hæc tamen consuetudinum præservatio referri nequit ad Cathedratici quantitatem, sed potius ad modum solutionis *pag.* 45. §. *Denique.*

Varia S. Congregationis decreta referuntur *pag.* 44. §. *In Congregatione, & seq.*

Centenaria inducit præsumptionem novi Pontificis rescripti præcedentis destructivi, *pag.* 164. §. *Hisce.*

Cohabitatio Triennalis. Vid. *Triennalis.*

Cives dicuntur, & sunt non modo, qui in Civitate, sed etiam qui in Suburbiis nati fuerint *pag.* 78. §. *Civium.*

Civica qualitas non acquiritur ob occasionalem tantum, & accidentalem moram in aliqua Civitate *pag.* 77. §. *Hinc.*

Acquisita a Patre, prodest etiam filiis *pag.* 235. §. *Ambigi.*

Civium funus nullo certo loco consistentium, integrè pertinet ad Ecclesiam Cathedralem *pag.* 241. *Ex jure.*

Clausula *Volumus quod Familiares &c.* apposita in Indulto Oratorii privati, quid importet Vid. *Indultum Oratorii privati.*

Proposito dubio, quot Familiares Indulto gaudere possent, S. Congregatio censuit petendam esse declarationem a Papa *pag.* 14. §. *Denique.*

Collatio Ordinum renuente Episcopo. Vid. *Episcopus.*

Commensales domestici qui dicantur *pag.* 9. §. *Necesse.*

Commutatio voluntatis Testatoris permittitur, quando nonnisi cum gravi difficultate impleri potest eo præcise modo, quo ille disposuit *pag.* 151. §. *Ultimarum.*

Difficultas tamen non debet esse physica, sed sufficit etiam moralis *Ibid.*

Facilius conceditur, quando fit in melius, intacta remanente dispositione *pag.* 7. §. *Hinc.*

Et quoties vergit in majus bonum, & uberius suffragium animæ Testatorum *Ibid.* & *pag.* 8. §. *Atque.*

Atque etiam quando magis conformis deprehenditur Testatoris menti, ac desiderio *Ibid.*

Hujusmodi desiderium viventium arbitrio debet interpretari *Ibid.*

Commutatio juris activi nominandi ad beneficia ad hæreditario in gentilium permissa est Patronis *pag* 246. §. *Inquit.*

Nec ullam præfert fundationis mutationem *Ibid.*

Concursus ad Parochias in Ecclesiis Cathedralibus æque principaliter unitis fieri debet coram Examinatoribus Synodalibus illius Diœcesis, in qua existit Ecclesia Parochialis vacans *pag.* 59. §. *Postea.*

Episcopus tamen non tenetur se conferre ad Diœcesim, in qua existit Parochialis vacans, sed potest concursum indicere in Diœcesi, in qua moratur *Ibid.*

Tenetur tamen adhibere Cancellarium Civitatis, & Diœcesis Parochiæ vacantis *pag.* 60. §. *Demum.*

Conditio tristis, odiosa, & publicam lædens libertatem facilè rejicitur *pag.* 62. §. *In nubila.*

Apposita legato relicto Mulieri *Si non nupserit*

pserit, tanquam inefficax olim ex jure communi habebatur *pag. ead. §. Inquit*.

Idque confirmavit Justinianus Imperator *pag. ead. §. Hæc autem*.

Hoc tamen jus fuit deindè abrogatum, & revocatum *Ibid.*

Contra conditionem legati relicti Mulieri, *quatenus vitam viduilem servasset*, non esse locum transactioni declaravit S. Congregatio Concilii *pag. 63. §. Sacra Congregatio*.

Atque etiam S. Congregatio Episcoporum, & Regularium *pag. 64. §. Item S. Congregatio*.

Conditiones Fundatori benevisas, etiamsi juri contrarias, tenetur Episcopus approbare, dummodò non sint turpes, & impossibiles *pag. 249. §. Inquit*.

Tacita Episcopi approbatio interveniisse censetur, quoties decretum erectionis interponit *Ibid.*

Appositæ ab interesse habentibus, qui consensum tradiderunt, aliquando fuerunt a S. Congregatione admissæ, aliquando vero rejectæ *pag. 39. §. Quando*.

Novas tamen beneficio addere non potest Fundator post decretum legitimè interpositum, nisi hanc facultatem in fundatione sibi reservaverit *pag. 247. §. Certa*.

Verum illas potest adjicere de consensu Episcopi, dummodo non sint juri contrariæ *pag. ead. §. Si autem*.

Congrua Parochi non præsumitur insufficiens nisi insufficientia probetur *pag. 192. §. Neque*.

Coercenda est intra limites moderatæ, honestæque sustentationis *pag. ead. §. Inficiunt*.

Præfiniri debet habita ratione onerum, Loci, & Personæ Parochi *Ibid.*

Et habenda quoque ratio est bonorum Patrimonialium *Ibid.*

Nec spectari debet quantitas scut. 100., quia hanc quantitatem Concilium præfinivit, ut Parochiæ essent immunes a pensione *Ibid.*

Consanguinitas pro assequendis subsidiis dotalibus. Vid. *Subsidia dotalia*.

Consensus pro erectione Beneficiorum. Vid. *Beneficiorum erectio*.

Pro matrimonio non tantum verbis, sed nutibus etiam, & signis extrinsecis expressus attenditur *pag. 4. §. Contendit*.

Infertur quoque ex ipso alterutrius ex contrahentibus silentio *Ibid.*

Præsertim si sponsalia, & de ineundo matrimonio tractatus præcesserint *Ibid.* Vid. etiam *Matrimonium*, *Parochus*.

Constitutiones Synodales. Vid. *Synodales Constitutiones*.

Consuetudo contra Synodum Diœcesanam, & Ecclesiæ præjudicialis non admittitur, nisi sit immemorabilis, vel centenaria *pag. 42. §. Perperamque*.

Contradictor legitimus ad impediendum matrimonium a filio contrahendum non est Pater, cujus voluntas hac in re non attenditur *pag. 3. §. Ex oppositis*.

Conventualis Missa. Vid. *Missa Conventualis*.

D

Dictio *etiam* est ampliativa *pag. 117. §. Inquit*, & *pag. 119. §. Unica*.

Et communionem, & promiscuitatem importat *pag. 121. §. Nec obesse*.

Saltem indigitat tantum casum subsidii *pag. 143. §. Qui verò*.

Vel æqualitatem denotat in alternatis *pagin. 140. §. Post hanc*.

Et per utrumque ex alternatis Testatoris dispositio adimpletur *Ibid.*

Potest tamen etiam prælationem indicare, si agatur de personis, inter quas militat ratio ordinatæ charitatis *Ibid.*

Ex aliorum sententia dictio *vel* importat dumtaxat vocationem disjunctivam, ex igitque, ut scripturæ ordo servetur *pag. 143. §. Qui vero*.

Dispensatio matrimonialis non verificata forma in Pontificio Brevi præscripta, nulla est *pag. 50. §. Addit*.

Pro retentione beneficiorum compatibilium, quas causas requirat *pag. 166. §. Circumspecta*.

A suscipiendo infra annum Sacerdotio non solet iis concedi, qui vigesimum ætatis annum excesserint *pag. 187. §. Denique*.

Quin immo post annum 25. nunquam S. Congregatio dispensare consuevit *Ibid.*

Ab impedimento publicæ honestatis, Vid. *Honestatis publicæ impedimentum*.

Dissensus interesse habentium in erectione novi beneficii, si irrationabilis sit, non attenditur *pag. 38. §. Et quamvis*, *& seq.*

Dissolutio Matrimonii rati, & non consummati ab ingressum in religionem. Vid. *Matrimonium ratum*.

In distributiones quotidianas converti debet tertia pars fructuum Præbendarum Canonicalium *pag. 134. §. Nondum*.

Non tamen si sufficientes adsint distributiones *Ibid.*

Idque declaravit etiam S. Congregatio *pag. 135. §. Idque*.

Domicilium non acquiritur, nisi adsit animus perpetuo habitandi in Loco *pag. 78. §. Civilitas*.

Proindeque qui degunt in Urbe ratione tantum officiorum, nunquam contrahunt domicilium, aut incolatum *Ibid.* Vid. etiam *Habitatio*.

Dotalia Subsidia, Vid. *Subsidia dotalia*.

E

Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ quoad onus Missæ Conventualis. Vid. *Missa Conventualis*.

Communitativæ, & receptitiæ quoad idem onus. Vid. *Ibid.*

Ecclesiarum Cathedralium unio æque principaliter facta. Vid. *Unio*.

Quoad eas concursus fieri debet ab Examinatoribus Synodalibus Diœcesis, in qua vacans Parochia existit *pag.* 59. §. *Posita*.

Episcopus tamen non tenetur ad illam se transferre, sed potest concursum indicere in loco ubi moratur *Ibid.*

Sed debet ut plurimum uti opera Cancellarii Episcopalis Diœcesis, ubi Parochia vacans sita est *pag.* 60. §. *Demum*.

Ecclesiæ reparatio. Vid. *Reparatio*.

Patronatus non infertur ex jure Feudi, nisi probetur illum adnexum esse Feudo *pag.* 194. §. *Perperamque*.

Neque ex jure præsentandi ad Beneficia *Ibid.*

Nec ex Stemmate Baronis in fronte Ecclesiæ, vel alio loco insculpto *pag. eod.* §. *Denique*.

Matricis nomen cui propriè conveniat *pag.* 241. §. *Ajunt*.

Discrimen inter Ecclesiam verè Matricem, & Ecclesiam primam, seu majorem. *Ibid.* Vid. etiam *Matrix*.

Parochiales integrum habent jus ad funus eorum, qui non electa sepultura decedunt *pag.* 241. §. *Ex jure*.

Et eorum etiam, qui nullo certo loco constituunt *Ibid.*

Nec non illorum, qui extra proprios lares fortè moriuntur. *Ibid.*

Electio facta lite adhuc pendente, & in spretum protestationis Electoribus exhibitæ, irrita est *pag.* 142. §. *Hinc*.

In Electionibus Communicatum Laicorum servandæ non sunt sollemnitates requisitæ a *Cap. Quia de elect. pag.* 144. §. *Nihilque*.

Emolumenta funerum. Vid. *Quarta funeralis*.

Episcopus duarum Ecclesiarum æque principaliter unitarum quoad concursum ad Parochiales Vid. *Concursus*.

Potest per se cognoscere causas alterutrius Civitatis, vel Diœcesis, adhibito Notario sibi beneviso, non tamen passim, sed raro, & in arduis tantum, gravioribusque negotiis *pag.* 60. §. *Demum*.

Ejus judicio maxime deferendum est *pag.* 114. §. *Contendit*.

Ipso invito, non solet S. Congregatio committere viciniori facultatem conferendi Ordines, nisi evidens comperiatur gravamen *pag.* 190. §. *Denique*.

Sed potius prorogare solet tempus ad Ordines suscipiendos *Ibid.*

Si decretum pro erectione Beneficii interponat, censetur omnia narrata tacitè comprobare *pag.* 249. §. *Inquit*.

Præsertim quia debet approbare omnes conditiones Fundatori benevisas, etiamsi juri contrarias, dummodo turpes non sint, & impossibilis *Ibid.*

Non tenetur sibi providere de paramentis pro Pontificalibus exercendis, quatenus adsint in Ecclesia Cathedrali *pag.* 230. §. *Id etiam*. Vid. quoque *Canonici*.

Quomodo a Canonicis debeat associari *pag.* 231. §. *Demum*. Vid. etiam *Canonici*.

Erectio Beneficiorum. Vid. *Beneficiorum erectio*.

Examen ad Ecclesias Parochiales fieri debet ab Examinatoribus in Synodo Diœcesana electis *pag.* 58. §. *Ad* 11. *Advertit*.

Examinatores Synodales deputari debent in singulis Diœcesibus æque principaliter unitis *pag.* 59. §. *Sane*.

Et sic etiam censuit S. Rotæ Tribunal *pag.* 60. §. *Hæc ipsa*.

Exceptio defectus qualitatum in electo iis tantum competit, ad quos electio pertinet *pag.* 76. §. *Inquit*.

Exhæredationis actus gravissimam involvit pœnam *pag.* 50. §. *Alterum*.

Et ideo gravissimum parit metum cadentem in virum constantem *Ibid.*

Experimentum de impotentia conjugali. Vid. *Impotentia*.

F

Factum antiquum conjecturis etiam probari potest *pag.* 121. §. *Certumque*.

Familiares verè dicuntur, qui alicujus expensis tanquam domestici, & commensales continuo vivunt *pag.* 9. §. *Ac primo*.

Hinc ad veram familiaritatem inducendam duo requiruntur, nimirum, ut quis alterius servitio sit addictus, & quod Domini, cui inserviit, vivat expensis *Ibid.*, & §. *Necesse est*.

Non tamen requiritur, ut in eadem domo cum Domino versetur *Ibid.*

Absolute dicti, quomodo distinguantur a Familiari domestico *Ibid.*

Dicuntur etiam Domini commensales, seu domestici commensales *Ibid.*

Qui comprehendantur in Indulto Oratorii privati *pag.* 10. §. *His itaque*, & *seq.*, & *pag.* 11. §. *Quamobrem*.

Episcopus potest juxta qualitatem Familiæ Indultarii, præfinire numerum Familiarium, qui Indulto gaudere debeant *pagin.* 12. §. *Quia vero*.

Quæsitum id alias fuit S. Congregationi, quæ respondit petendam esse declarationem a Sum-

a Summo Pontifice *pag.* 14. §. *Denique*.

Fœtus quando animari incipiat *pagin.* 116. §. *Inter*.

Communior sententia est, ut masculi post 40. dies, fœminæ vero post dies 80. *Ibid.*

In dubio quando fœtus sit animatus vel non, procurantes abortum non censentur a nonnullis irregulares *pag.* 117. §. *Quando*.

Fundator Beneficii, post decretum legitimè interpositum, nequit fundationem immutare, nisi in actu fundationis hanc sibi facultatem reservaverit *pag.* 247. §. *Certa*.

De consensu tamen Episcopi permitti potest, ut etiam absque reservatione, novas adjiciat conditiones juri non contrarias *pagin. ead.* §. *Si autem*.

Fundationis qualitas optime deducitur ex statibus illam immediate subsequutis *pag.* 250. §. *Provocat*.

Ea deficiente omnis militat præsumptio pro beneficii libertate *pag.* 163. §. *Inquit*.

Neque huic regulæ refragantur Litteræ Apostolicæ, in quibus Missarum celebratio recensetur *Ibid.*

Funeris jus spectat ad Ecclesiam Parochialem Vid. *Ecclesia Parochialis*.

Emolumenta. Vid. *Quarta Funeralis*.

Quoad quantitatem emolumentorum standum est consuetudini *pag.* 242. §. *Verum*.

G

Generationi apta esse potest Mulier, quamvis consueta sexus incommoda non patiatur *pag.* 52. §. *Inutiliter*.

H

Habitatio eventualis in aliquo Loco non sufficit, ut quis valide possit coram Parocho ejusdem Loci Matrimonium contrahere *pag.* 51. §. *Tertium*.

Quandoque habita in aliquo Loco vel ratione Artis Agrariæ, vel exerciti muneris Exactoris, vel causa rusticationis, non sufficit ad verum domicilium contrahendum *pag.* 148. §. *Neque*. Vid. etiam *Domicilium*.

Hæredes etiam extranei possunt recedere a prohibitione decedentium, si hæc nulla honesta causa nitatur *pag.* 168. §. *Bonorum*.

Pauperes habent jus ad alimenta, post habitis aliis piis Legatis *pag.* 121. §. *Quæ quidem*.

Honestatis publicæ impedimentum contrahitur ex matrimonio tantum rato *pag.* 118. §. *His itaque*, & *pag.* 170. §. *Impedimentum*.

Ex tunc latius protenditur, quam si ex sponsalibus solum validis oriatur *Ibid.*

Dispensatio ab hujusmodi impedimento non raro concedi solet, & quando *pag. ad.* §. *Adverunt*, & *pag.* 171. §. *Ex consilio*.

Aliquando tamen denegata fuit, & quando *pag.* 9. §. *Nec obesse*.

Horis Canonicis non solum debent interesse Canonici, sed etiam alta voce psallere *pag.* 127. §. *Ad. I.*, & *pag.* 228. §. *Præter & seq.*

Usus illas recitandi antiquissimus est in Ecclesia *pag.* 246. §. *Quoad*.

I

Indultum facilius conceditur, quando agitur de interpretanda, seu de commutanda in melius Testatoris voluntate *pagin.* 70. §. *Hinc*.

Et quando hujusmodi commutatio, seu interpretatio vergit in majus bonum, & uberius suffragium illius Animæ *Ibid.*

Oratorii privati quas personas comprehendat *pag.* 9. §. *Ac primo*, & *seq.*, Vid. etiam *Familiares*.

Hujusmodi Indultum, uti odiosum, stricte debet interpretari *pag.* 12. §. *Addit*.

Spectari tamen debet, an Oratorium privatum concessum fuerit in domo habitationis Civitatis, aut Castri, vel in domo rure constructa *pag.* 12. §. *Cæterum*.

Variæ in hujusmodi Indultis apponi solent conditiones, & quæ *pag.* 13. §. *Hæc sunt*.

Et in his concedendis non solum habetur ratio necessitatis Indultarii, sed etiam decoris, & honestatis *pag.* 14. §. *Quoniam*.

Impedimentum publicæ honestatis. Vid. *Honestatis publicæ impedimentum*.

Impedimentum affinitatis. Vid. *Affinitas*.

Impotentia Viri pro matrimonii consummatione, ex quibus deduci possit *pag.* 202. §. *Præsertim*.

Naturalis, perpetua, & insanabilis requiritur, ut matrimonium dissolvatur *pagin.* 93. §. *Cæterum*.

Quæ deficiente inevitabile est triennalis cohabitationis experimentum *Ibid.* Vid. etiam *Triennalis*.

Judicium Peritorum de impotentia testantium, juramento firmatum, attendi debet *pag.* 91. §. *Constare*.

Maxime si impotentiæ signa haud dubia referant *Ibid.*

Experimentum de potentia Viri Peritorum votis non respondens, repeti potest ab aliis causis, & præsertim a pudore cuique a natura ingenito *pag.* 93. §. *Tertius*.

Maximè in Viro nobili, pudico, ac bene morato *Ibid.*

Incompatibilitas Beneficiorum Vid. *Beneficiorum incomparabilitas*.

Instructio S. M. Benedicti XIV. pro ordinatione

ne ſubſidiorum Regni Sardiniæ recenſetur *pag.* 18. §. *Nec præterunda, & ſeq.*

Irregularitas ex homicidio contrahitur, quando quis proximam morti cauſam præbet conſilio, præcepto vel ope *pag.* 83. §. *Supplex.*

Non tamen ſi homicidium fortuito, & per accidens ſequatur *Ibid.*

Vel ſi quis remotam tantum cauſam homicidio dederit *pag.* 84. §. *Hinc, & §. In Cap.*

Atque hæc fuit S. Congregationis ſententia *Ibid.*

Quoad cauſam remotam qui caſus ſint diſtinguendi *Ibid.*

Non contrahitur ſi mors vulnerati non ex eo vulnere, ſed ex alia urgentiori cauſa proceſſerit *pag.* 85. §. *In præſenti.*

Vel ſi mors ſequatur ex Medici, vel Chirurgi imperitia *Ibid.*

Juxta nonnullos non contrahitur a procurante abortum, quando dubium eſt, an fœtus fuerit animatus, vel non *pag.* 117. §. *Quando.*

In dubio de irregularitate quid S. Congregatio definierit *pag.* 117. §. *De irregularitate.*

Jubilatio poſt annos 40. continui, & laudabilis ſervitii merito conceditur *pag.* 123. §. *Nova.*

Non tamen admittitur ſi divinus cultus detrimentum patiatur *pag.* 124. §. *Licet.*

Et in iſto caſu jubilatus cogi poteſt ad inſerviendum *Ibid.*

Atque ideirco S. Congregatio jubilationem quandoque conceſſit, & quandoque etiam denegavit *pag. ead.* §. *Sacra, & ſeq.*

Judicium Peritorum juramento firmatum attendi debet *pag.* 91. §. *Conſtare.*

Epiſcopi plurimum conſiderari ſolet eique eſt deferendum *pag.* 114. §. *Contendit.*

Juſpatronatus ex dotatione inducitur *pag.* 80. §. *Suſtinent, & pag.* 87. §. *Dotatio.*

Etiamſi expreſſe reſervatum non fuerit *Ibid.*

Diſtinguitur a jure præſentandi ad beneficia *pag.* 194. §. *Perperamque.*

L

Laici alliciendi ſunt ad augendum Eccleſiarum decus, & ad proprias ſubſtantias in pia opera erogandas *pag.* 38. §. *Beneficiorum.*

Libri Parochiales, ſi ad probandam conſuetudinem non exhibeantur, ſuſpicionem præferunt contrariæ probationis *pag.* 241. §. *Impugnant.*

Licentia a proprio Parocho tributa Parocho alieno, ut matrimonio aſſiſtat, debet huic annoteſcere, alias matrimonium nullum eſt *pag.* 51. §. *Hinc.*

Et de ea etiam contrahentibus conſtare debet *Ibid.*

Contrarium aſſeritur *pag.* 54. §. *Denique.*

Prior tamen ſententia tutior eſt *pag.* 56. §. *Quo verò, & ſeq.*

Concedi poteſt hujuſmodi licentia, etiamſi extra limites ſuæ juriſdictionis matrimonium foret ineundum *pag.* 54. §. *Deique.*

Legatum pium erigi nequit in Capellaniam Eccleſiaſticam ſi Teſtator id prohibuerit *pag.* 239. §. *Quoties.*

An ſuſtineatur, ſi relictum fuerit in Teſtamento ſine ſollemnitatibus Vid. *Teſtamentum.*

Sub conditione relictum. Vid. *Conditio.*

Si *taxativè* fuerit relictum cogi non poſſunt hæredes ad ſupplendum ſtipendium pro eis aſſignatum, quoties fundus perierit, aut fuerit imminutus *pag.* 121. §. *Contendunt.*

Sequus ſi *demonſtrative. Ibid.*

Atque hinc in primo caſu reductio conceditur, non tamen in ſecundo *pag.* 123. §. *Inquirendum.*

M

Matrimonium quoad impotentiam. Vid. *Impotentia.*

Quoad Sponſalia Vid. *Sponſalia.*

Quoad ætatem. Vid. *Etas ad Matrimonium.*

Ratum, & non conſummatum diſſolvi poteſt, ut aliter ex Conjugibus religioſam vitam amplectatur *pag.* 203. §. *Statuit.*

Viro potius, quam Mulieri adhibenda fides eſt, ſi ille Matrimonii conſummationem affirmat, hæc vero neget *pag. ead.* §. *Eo itaque.*

Sequus autem ſi ex aliis probationibus, & conjecturis veritas confeſſionis Mulieris deprehendatur *pag.* 204. §. *Verum.*

Maximam tamen vim habet confeſſio Conjugis Regulare inſtitutum amplecti volentis *pag.* 201. §. *Reperit.*

Multoque magis, ſi accedat juramentum ſeptimæ manus Propinquorum *pag. ead.* §. *Aperte.*

Nec non publica fama de non ſequuta conſummatione *pag.* 202. §. *Præſertim.*

Et argumenta impotentiæ Viri *Ibid.*

Atque accurata inſpectio corporis utriuſque Conjugis *pag. ead.* §. *Addit.*

Contractum coram alieno Parocho de licentia proprii contrahentium Parochi, nullum eſt, ſi delegato licentia non conſtiterit *pag.* 51. §. *Hinc.*

Idem dicendum, ſi unus ex contrahentibus hujuſmodi licentiam ignoraſſet *Ibid.*

Con-

Contrarium tamen asseritur *pag.* 54. §. *Denique*.

Matrimonii contradictor esse nequit Pater, nec istius voluntas attenditur *pag.* 3. §. *Ex oppositio*.

Ad validitatem requiritur, ut uterque contrahens consensum coram Parocho exprimat *pag.* 2. §. *Josephus*.

Et ut Parochus consensum bene intelligat, & de illo testari possit. *Ibid.*

Cum alias Parochus nequeat esse Testis illius actus, quem non intellexit *Ibid.*

Hinc nullum est matrimonium, quando Parochus consensum non intellexerit *pagin.* 3. §. *Neque*.

Ad exprimendum actualem consensum in matrimonium. quid requiratur *pagin. eod.* §. *Advertit*.

Instantia alterutrius ex contrahentibus trahi nequit ad actum matrimonii *Ibid.* Vid. etiam *Consensus*, *Parochus*, *Testes*.

In matrimonialibus causis ubi agitur de dissolutione Matrimonii, Testes examinari debent cum interrogatoriis a Defensore matrimonii datis *pag.* 53. §. *Quo verò*.

Et hujusmodi Testes debent esse omni exceptione majores *Ibid.*

Matrix Ecclesia tunc vere, ac propriè talis dicitur, quando ex una Parochia per divisionem, seu dismembrationem duæ efficiuntur *pag.* 241. §. *Aiunt*.

Sequus vero, si ob Parochiæ amplitudinem aliqua seligatur Ecclesia in illius ambitu sita pro commodiori Sacramentorum administratione, absque formali erectione in titulum *Ibid.*

Aut si Ecclesia appelletur Matrix ob antiquitatem, seu quamlibet honoris præeminentiam *Ibid.*

Si semel fuerit allegatus titulus matricitatis, non potest alius titulus allegari *pag.* 241. §. *Impugnat*.

Missa Conventualis pro Benefactoribus ex juris dispositione injuncta est Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, non verò Communitativis, & receptitiis *pag.* 19. §. *Inquiunt*, & *pag.* 20. §. *Oneris*.

Etiamsi in Ecclesiis Communitativis Divina officia quotidie celebrentur *pag.* 19. §. *Inquiunt*.

Idque pluries declaravit tum Rotæ Auditorium, tum etiam S. hæc Congregatio *pag.* 21. §. *Hæc ipsa*.

Hinc S. Congregatio exemptas ab hujusmodi onere declaravit Ecclesias mere Communitativas, & receptitias *pag. eod.* §. *Quare*.

Ubi celebrari debet, nunquam omitti potest *pag.* 213. §. *Ex Sacrorum*.

Non obstante quacumque contraria consuetudine *Ibi d.*, & §. *Sacra*.

Et quamvis Ecclesia longè ab Habitatoribus, & in loco insalubris aeris sita sit *Ibid.*

Quandoque duæ etiam Missæ Conventuales debent celebrari *ibid.*, & §. *Accedunt*, & *seq.*

Missarum reductio. Vid. *Reductio*, *Onera Missarum*.

Translatio Vid. *Translatio*.

Missæ Sacrificium propitiatorium est, impetratorium, & satisfactorium *pag.* 7. §. *Id autem*.

Ex eo magis, quam ex quocumque alio pio opere Animæ Defunctorum suffragium recipiunt, & assignatur ratio *Ibid.*

In Oratoriis privatis si celebretur diebus festis, quibus Familiaribus interessentibus sufficiat ad satisfactionem præcepti. Vid. *Indultum Oratorii privati*, *Familiares*.

Mœstus gravis inducitur per verborum minas *pag.* 29. §. *Post hæc*.

Simplex reverentialis erga Genitorem, & naturalis Filiæ impotentia ad contradicendum ejus voluntati, gravem mœstum in Puella inducit *pag.* 50. v. *Alterum*.

Montes Pietatis licite possunt aliquid lucri ex pignoribus percipere pro necessariis Ministrorum expensis *pag.* 80. §. *Antiquissima*.

Inter pia loca recensentur, & subsunt visitationi Episcoporum *Ibid.*

Dummodo tamen Sedis Apostolicæ Auctoritas interceserit *Ibid.*

Mulier apta potest esse ad generationem, licet consueta sexus incommoda non patiatur *pag.* 52. §. *Inutiliter*.

Et satis est, ut membra generationi destinata sint rite formata, atque disposita *Ibid.*

O

OBligatio ultro citroque susceptæ omnimodam requirit exequutionem *pag.* 86. §. *Inquit*.

Præsertim dum agitur de dispositionibus causam piam, & divinum cultum respicientibus *Ibid.*

Idque procedit etiamsi conditiones adiectæ nimis graves videantur *Ibid.*

Observantia leges dubias interpretatur *pagin.* 89. §. *Quum*.

Ea præcipue spectanda est in rebus dubiis *Ibid.*

Annorum 40. sufficit ad Beneficii statum, & indolem immutandam *pag.* 183. §. *Quod si*.

Dum de solutione agitur, incipit a tempore, quo solutio fuit petita *pagin.* 67. §. *Neque*.

Obstetricum Judicium de virginitate fallax non est *pag.* 203. §. *Perperam*.

Officium divinum tenetur Beneficiatus recitare *pag.* 247. §. *Quoad*.

Concedi tamen potest ejus commutatio in aliam breviorem Orationem, usque dum Beneficiatus ad ætatem annorum 24. pervenerit *pag.* 246. §. *Denique*.

Onus celebrandi per se ipsum a Fundatore impositum indicat qualitatem Beneficii actu Sacerdotalis *pag.* 187. §. *Quoad* 11.

Onera Missarum detrahi non debent ex redditibus Beneficii, seu Capellaniæ *pag.* 177. §. *Cæterum*.

Et alia potius onera imminui debent *pagin.* 88. §. *Quatenus*.

A contractu correspectivo provenientia adimpleri omnino debent, etiamsi reditus quantitati non respondeant *pag.* 87. §. *Dotatio*.

Dummodo contractus initio justus, decursu temporis injustus non evaserit *pag. ead.* §. *Verum*.

Si tamen ab ultima voluntate proveniant imminutis reditibus, reductio quandoque conceditur *pag. ead.* §. *Dotatio*.

Oratoria privata. Vid. *Indultum Oratorii privati. Familiares*.

Publica intra limites Parochiæ Parocho subjacent *pag.* 242. §. *Quod vero*.

A Parochiali non avulsa, sed solo pietatis intuitu independenter ab illa erecta, tanquam filialia haberi nequeunt *pag.* 241. §. *Aiunt*.

Ordinatus absque sufficienti Patrimonio nullam ex jure canonico pœnam incurrit, sed tantum qui ordines confert *pagin.* 177. §. *Quoad*.

Ita quoque sensit S. Congregatio *Ibid.*

Ordinatis absque titulo suspensionis pœna ex jure antiquo indicta erat *pagin.* 179. §. *Quoad*.

Pœnam hanc sustulit Innocentius III. *Ibid.*

Concilium Tridentinum pœnas veterum Canonum innovavit *Ibid.*

Sixtus V. pœnam suspensionis a priscis Canonibus inflictam confirmavit *Ibid.*

Sed Clemens VIII. pœnas coercuit juxta terminos a Concilio Tridentino præfinitos *Ibid.*

Concilium vero Tridentinum innovavit tantum pœnam indictam in *Cap. Secundum de' Prabend. pag. ead.* §. *Cum itaque*.

Si tamen ordinatus dolo, fictoque titulo ordines susceperit, & Ordinantem decepterit, suspensionem incurrit *pag.* 180. §. *Si tamen*.

Atque ita declaravit S. Congregatio. *Ibid.*

Ordinum, seu Tonsuræ collationem demandare non consuevit S. Congregatio alteri Episcopo, renuente proprio ordinandi Episcopo, nisi renuentia apertum importaret gravamen *pag.* 190. §. *Denique*.

Sed potius prorogata fuit tempus ad suscipiendos Ordines, & testimonium exquisivit de vita, & qualitatibus ordinandi. *Ibid.*

Ori ape ritio adversus Breve conceditur, si proferantur argumenta demonstrantia, Actorem, suspensa Principis gratia, fore audiendum *pag.* 70. §. *Ad.* 1.

Etiamsi gratia ex motu proprio processerit *Ibid.*

Et etiamsi probationes sint tantum probabiles *Ibid.*

Multo magis conceditur, quando Apostolicum Breve subreptionis vitio infectum noscitur *Ibid.*

P

Parochialis Ecclesia quoad jus funeris Vid. *Ecclesia Parochialis*.

Parochus habet absolutam auctoritatem in Oratoriis suis intra limites suæ Parochiæ *pag.* 242. §. *Quod verò*.

In sua Ecclesia omnes præcedit *pag.* 37. §. *Ad II. Ait*.

Detentus exercitio curæ Animarum habetur tanquam choro præsens, nec subjacet punctaturæ *pag. ead.* §. *Ad IV*.

Ad effectum contrahendi matrimonium ille proprius non dicitur, in cujus Parochia eventuale tantum quis habet domicilium *pag.* 51. §. *Tertium*.

Non solum materialiter debet esse præsens matrimonio, sed etiam videre debet, & audire, alias matrimonium irritum est *pag.* 5. §. *Ex decreto*.

Et adeo debet esse certus de contrahentium voluntate, ut de illa testimonium perhibere valet *pag.* 8. §. *Id ipsum*.

Sequus tamen, si affectavit non intelligere vel aures sibi obstruendo, vel faciem avertendo, aut velando, ne audiret, & aspiceret *pag.* 5. §. *Ex decreto*.

Potest alium delegare, qui matrimonio assistat *pag.* 54. §. *Denique*.

Etiamsi matrimonium extra limites suæ jurisdictionis foret ineundum *Ibid.*

Negligentia Delegati in adnotanda delegatione in libro matrimoniorum, nil officit matrimonii validitati *pag. ead.* §. *Denique*.

Parochus quoad Quartam funeralem. Vid. *Quarta funeralis*.

Quoad præcedentiam in associatione Funerum. Vid. *Associatio Funerum*.

Quoad onus reparandi Ecclesiam. Vid. *Reparatio*.

Quoad congruam. Vid. *Congrua*.

Pater nequit esse legitimus contradictor in matrimonio filii, ejusque voluntas non attenditur *pag.* 3 §. *Ex oppositis*.

Ejus confessio in exonerationem conscientiæ de metu filiæ incusso, omnium maximam probationem parit *pag.* 51. §. *Immò*.

Contrarium asseritur *pag.* 43. §. *Miratur*.

Patrimonium quoad ordinationem. Vid. *Ordinatus*.

Ejus constitutio quare fuerit demandata ad Ordines suscipiendos *pag.* 117. §. *Caterum*.

Ejus alienatio facta sine licentia Episcopi suspensionis pœnam non inducit *pagin.* 180. §. *Concilium*.

Patronatus Ecclesiæ. Vid. *Ecclesia Patronatus*.

Patroni æque ac Fundatores possunt commutare patronatum de hæreditario in gentilitium *pag.* 246. §. *Inquit*.

Neque hujusmodi variatio ullam præfert fundationis immutationem. *Ibid.*

Magisque Ecclesiæ favet, Patronatum de hæreditario gentilitium facere *Ibid.*

Nilque Ecclesiæ interest ex una potius, quem ex alia Familia idoneum habere beneficiatum *pag. ead.* §. *Quo verò*.

Patronorum præsentationi tavendum est, si Testatoris dispositio sit dubia *pagin.* 142. §. *Ad* 11.

Pauperi, & aliunde non provisò danda prælatio est in concursu Sacerdotis de bonis Ecclesiæ sufficienter provisi *pag.* 156. §. *Addit*.

Pensiones impositæ super reditibus beneficiorum subjiciuntur pro rata oneribus iisdem beneficijs inhærentibus *pag.* 67. §. *Promoshor*.

Sive Pensionarii exteri sint, sive Diœcesani *Ibid.*

Sive gratuito, sive oneroso titulo pensiones obtineant. *Ibid.*

Idque pluries a S. Congregatione fuit decisum. *Ibid.*

Pensionarii tenentur ad solutionem taxæ pro Seminario *pag.* 68. §. *Antiquissimam*, & *seq.*

Nullusque excipitur, nisi peculiarem exemptionis titulum probaverit *pagin.* 68. §. *Neque*.

Peregrinorum funus itineris causa extra prospros lares morientium integre pertinet ad Ecclesiam Parochialem *pagin.* 241. §. *Ex jure*.

Peritorum judicium juramento firmatum attendi debet *pag.* 91. §. *Constare*.

Pietatis Montes. Vid. *Montes Pietatis*.

Pluralitas beneficiorum. Vid. *Beneficiorum pluralitas*.

Possessio fraudolenta, & extorta sub falsa narratione non attenditur, sed rejicitur *pag.* 153. §. *Nec obesse*.

Præbendæ diversitas non versatur circa universalitatem, & genus jurium canonicalium, sed solum quoad particularia, & speciem proventuum. *pag.* 133. §. *Quod verò*.

Theologalis. Vid. *Theologalis Præbenda*.

Præsbyteri nomine in beneficiis, & Capellaniis præsertim laicalibus, veniunt etiam simplices Clerici *pag.* 154. §. *Advertendum*.

Maxime si injunctum non fuerit onus celebrandi per se ipsum. *Ibid.*

Præscriptio induci nequit contra Oratorium ob mutationem Officialium in illius gubernio sibi invicem succedentium *pagin.* 241. §. *Impugnant*.

Præsentatio ad Beneficium Sacerdotale facta de aliquo Clerico, sustinetur, si in fundatione nulla præsentationis mentio habeatur *pag.* 142. §. *Ad II.*

Et si qualitas Sacerdotalis superveniat ante institutionem *Ibid.*

Conditionata corruit, si conditio non verificetur *pag.* 144. §. *Hinc ad II.*

Præsumptio militat pro libertate beneficii, quando deest fundatio *pag.* 163. §. *Innuit*.

Neque huic regulæ refragantur Litteræ Apostolicæ, in quibus Missarum celebratio recensetur *ibid.*

Privignus tenetur in subsidium alimenta præberæ Novercæ in paupertatem delapsæ *pagin.* 34. §. *Immò*, & *seq.* Vid. etiam *Alimenta*.

Privilegium *præter Legem* benigne interpretari debet, sequus si privilegium sit *contra legem pag.* 13. §. *Qua quidem*.

Professio Religiosa ante completum annum 16 est irrita *pag.* 29. §. *His quoad*.

Emissa per vim, & metum nullam in professente inducit obligationem *pagin.* 30. §. *Ex alia*.

Ad hoc tamen requiruntur certæ, & evidentes probationes *Ibid.*

Quæ percutiant præcisum tempus emissæ professionis *Ibid.*

Hujusmodi probationes deficere videntur si Puella suam repugnantiam non patefecit Episcopo, qui illius voluntatem explorare debuit antequam ad Professionem admitteretur *pa.* 31. §. *His ergo*.

Nec valent conquestiones post professionem, quia procedere potuerunt ex animi inconstantia *pa.* 32. §. *Conquestiones*.

Ejus ratificatio raro contingit post Concilium Tridentinum *pag.* 29. §. *Ad hunc autem*.

Multoque minus, si quis reclamare non cessaverit *Ibid.*

Censeri tamen potest ratificata ex permanentia, gestisque Relligionis officiis *pag.* 32. §. *Concludit*.

Pubertas pro matrimonio contrahendo consistit in aptitudine ad generandum, & in discretione *pag.* 52. §. *Defensor*.

Ejus cognitio, & verificatio non a Testibus, aut Medicorum relatione, sed ab uno Ordinarii judicio pendet *pag.* 52. §. *Præterea*.

Vid. etiam *Ætas ad matrimonium*.

Publicæ honestatis impedimentum. Vid. *Honestatis publicæ impedimentum*.

Q

QUalitas Civica non acquiritur ex nativitate tantum occasionali *pagin.* 77. §. *Hinc*.

Nec acquiritur a Filiis, & descendentibus ob munus Consiliarii in humili loco a Patre exerciti *pag.*243. §. *De falsitate*.

Nec per officium Exactoris publicorum proventuum *Ibid.*

Qualitas Fundationis colligitur ex statibus illam immediatè subsequentibus *pag.* 250. §. *Provocat*.

Sacerdotalis actu requiritur in beneficio, quando Beneficiato onus impositum est celebrandi per se ipsum *pagin.* 187. §. *Quoad* II., & *pag.* 188. §. *In* III. *dubio*.

Si superveniat ante institutionem non obest electioni factæ de Clerico, si in fundatione nulla præsentationis mentio habita fuerit *pag.* 142. §. *Ad* II.

Sequus si adjecta sit verbo *nominandi pag.* 144. §. *Hinc*.

Non est necessaria in Magistris Grammaticæ, & Seminariorum *pagina* 141. §. *Idemque*.

Qualitates Tonsurandorum quæ sint *pag.*183. §. *Contenit*, *pag.* 184. §. *Ad Scientiam*, & *pag.* 188. §. *De Qualitatibus*.

Promovendorum ad Ordines minores. *Ibid.*

Item promovendorum ad majores Ordines, & Presbyteratum *pag.* 188. §. *De qualitatibus*, & *pag.* 189. §. *Sed*.

Item promovendorum ad Dignitates, & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus *pag.* 183. §. *Si verò*.

Ordinandorum in Ditionibus Sardiniæ Regi subjectis juxta Benedictinam instructionem *pag.* 189. §. *Nec prætereunda*, & *seq.*

Quarta Decimarum olim Episcopis tradita, in desuetudinem ferè ubique abiit *pag.* 41. §. *Maximè*.

Solvenda tamen est ubi adest consuetudo, vel Episcopis favet quasi possessio. *Ibid.*, & *pag.* 44. §. *Præter*.

Ab omnibus Diœcesis Parochis solvi deberet *pag.* 42. §. *Quin immò*.

Funeralis tantum tribui debet Parochiali Ecclesiæ, si Defunctorum corpora tumulentur in alia Ecclesia *pag.*241. §. *Verùm*, & *pag.* 242. §. *Quod verò spectat*,

Consuetudo tamen servanda est *pag.ead.* §. *Verum*.

Tradi debet Parocho Defuncti ab Ecclesiis tumulantibus *pag.* 129. §. *De emolumento*.

Servari tamen debet consuetudo legitimè probata, quæ Parocho magis faveat, *pag. ead.* §. *Illud*.

In Urbe portio Canonica Parocho debita est medietas totius Cæræ, etiam illius, quæ in Altaribus accenditur *pag. eadem* §. *Juxta*.

R

REductio Missarum, si per contractum fuerint acceptæ, non admittitur *pagin.*86. §. *Quo verò*.

Neque si reditus fuerint imminuti. *Ibid.* Vid. *Onera Missarum*.

Conceditur tamen si taxativè fuerint relictæ *pa.* 121. §. *Contenduns*, & *pag.* 122. §. *Inqirendum*, Vid. etiam *Legatum*.

Regulares non habent facultatem reducendi onera Missarum *pag.*86. §. *Quo verò*.

Contrarium asseritur *pag.* 87. §. *Controverti*.

Quæcumque sit eorum facultas, trahi nequit ad onera per contractum suscepta. *Ibid.*

Non tenentur, nec cogi possunt accedere ad publicas supplicationes, si eorum Monasteria ultra dimidium Milliarii a Civitate distent *pag.* 12. §. *Cæterum*.

Reparatio Ecclesiæ Cathedralis primariò incumbit Episcopo, deficientibus propriis Fabricæ reditibus *pag.*231. §. *Ad reparationem*.

Parochialis primariò incumbit Parocho *pag.* 192. §. *Ex parte*.

Vel etiam Canonicis pro eo tantum, quod superest deducta congrua pro alimentis *pag.* 191. §. *Archipræsbyter*.

Nec deficientia congruæ opooni potest, nisi concludenter probetur *pag.* 192. §. *Neque*. Vid. *Congrua*.

Cogendus præsertim est Parochus ad reparationem si damnum ex ejus negligentia fuerit illarum *pag. ead.* §. *Præterea*.

Atque in isto casu tenetur etiam in bonis propriis *pag.* 193. §. *Maximè*.

Deinde onus reparationis inhæret Populo, qui Sacramenta recipit *pag.* 191. §. *Adigendum*.

Eadem procedunt quoad reparationem Sacratii, Domus Parochialis, & Turris Campanariæ. *Ibid.*, & *pag.* 192. §. *Ex paste*.

Quid Concilium Tridentinum hac de re disposuerit *pag.* 193. §. *Concilium Tridentinum*.

Ritus Græcus Sacerdotibus Latinis. & vicissim Sacerdotibus Græcis ritus Latinus facilè olim concedebatur *pag.* 95. §. *Ignotum*.

Id verò acriter deinde prohibuit Eugenius IV. *ibid.*

Et Concilium Tridentinum. *Ibid.*

Atque etiam S. Pius V., & Gregorius XIII. *pag.* 96. §. *Hæc tamen*.

Nihilominus nonnulli existimarunt, quod quod Græci . vel Latini peregrinantes, ubi non viget ritus propriæ Ecclesiæ possent se conformare ritui Ecclesiæ , in qua versantur *pag. ead. §. Verum* .

Isti tamen confutantur *Ibid., & pag.97. §. Animadverti* .

Et unumquemque propriæ Ecclesiæ ritum quolibet in loco servare præcepit Benedictus XIV. *pag. ead. §. Disciplinam* .

S

SAcerdos actu præferri debet simplici Clerico in Beneficio præfertim Magistrali , *pag.* 143. *§. Quia verò* .

Sacrificium Missæ . Vid. *Missæ Sacrificium* .

Sepultura non electa jus funeris integre pertinet ad Parochialem Ecclesiam *pa.* 241. *§. Ex. Jure* .

Idem dicendum de Civibus nullo certo loco consistentibus , & de Peregrinis *Ibid.*

Seminarium erigi debet in utraque Civitate , ubi unus idemque præest Episcopus *pag.* 71. *§. Pergit* .

Obligatio erigendi Seminarium inhæret singulis Ecclesiis Cathedralibus , etiamsi æque principaliter sint unitæ *pag.* 72. *§. Concilium* .

Ac proinde tot erigi debent Seminaria quot sunt Ecclesiæ Cathedrales *Ibid.*

Idque declaravit etiam S. Congregatio *pag. ead. §. Animadvertendum* .

Si Diœcesis sit ampla , duo erigi debent Seminaria *pag.* 71. *§. Pergit* .

Seminarii taxam solvere tenentur etiam Pensionarii . Vid. *Taxa* , *Pensionarii* .

Servitium Chori alternis vicibus præstitum sublatum fuit a Concilio Tridentino *pag.* 65. *§. Cæterum* .

Silentium unius ex contrahentibus , dum alter exprimit consensum actualem in matrimonium , ritè probat utriusque consensum *pag.* 4. *§. Contendit* .

Præsertim si sponsalia , & tractatus matrimoniales præcesserint *Ibid.*

Synodales Constitutiones nisi revocatæ fuerint afficiunt etiam post obitum Episcopi *pag.* 179. *§. Certa* .

Quibus modis vim amittant *ibid.*

Socer tenetur in subsidium ad subeunda onera filio inhærentia *pag.* 33. *§. Inquit* .

Hinc pendente lite super validitate matrimonii Nurus habet subsidiariam actionem pro alimentis contra hæreditaria bona Soceri *ibid.* Vid. *Alimenta* .

Sollemnitates præscriptæ in Cap. Quia de elect. sunt servandæ in electionibus , quæ fiunt ab Ecclesiasticis , non vero in iis, quæ fiunt a Laicis *pag.* 144. *§. Nihilque* .

Sponsalia vi , metuque inita nulla sunt *pagina 99. §. Inquit , & pag.* 104. *§. Ambigi* .

Etiamsi juramento firmata fuerint *Ibid.*

Ipsorum vigore Mulier moneri solum debet , non autem cogi ad ineundum matrimonium *pag.* 100. *§. Contractus* .

Contra vero Vir cogi potest per censuras, aliasque pœnas *pag. ead. §. Contra* .

Ratio discriminis affertur *pag. ead. §. Et ita* .

Quod si Judex non crediderit Virum esse cogendum , adigere eum debet ad dotandam Puellam *pag.*101. *§. Perpendendum* .

Status etiamsi unicus , sufficientem parit probationem *pag.* 141. *§. Observat* .

Et si faveat Clerico , sufficit ad excludendam qualitatem Sacerdotalem *ibid.*

Subsidia dotalia constituta sunt ad facilius conciliandas Nuptias *pag.* 18. *§. Ponderandum* .

Et ideo eo magis requiruntur , quo provectior est Puellarum ætas *pag.* 151. *§. Ultimarum* .

Horum quantitatem pluries adauxit Sac. Congregatio , juxta indigentiam , & paupertatem *pag.* 18. *§. Res modo est* .

Prout quoque S. Congregatio in eorum assequutione persæpe prætulit consanguineas extraneis *pag.* 111. *§. Sac. Congregatio* .

Quando agitur de consanguineis expresse vocatis , seu ex justitia venientibus , consanguinitas protrahitur usque ad decimum gradum *pag. ead. §. Communis* .

Dummodo conjecturæ aliud non suadeant, aut verba Testatoris aliquationem , seu Familiam non respiciant *ibid.*

Deficiente autem expressa consanguineorum vocatione , ac sola naturali charitate inspecta , consanguinitas non protrahitur ultra quartum gradum jure civili computandum *pag. ead. §. Si verò* .

Quando actum est de consanguineis expresse vocatis , quandoque factus fuit cumulus subsidiorum ad congruam dotem ipsis constituendam *pag.* 112. *§. Salvator* .

Atque in his casibus S. Congregatio præfinire consuevit dotis quantitatem , habito respectu ad ætatem , conditionem, aliasque circumstantias *pag. ead. §. In his* .

Interdum vero illam Ordinarii arbitrio præfiniendam remisit *ibid.*

Sumptus litis super validitate matrimonii Mulieri debent subministrari *pag.* 35. *§. Sacra Congregatio* .

Quantitatem autem decernendam S. Congregatio remisit arbitrio Eminentissimi Præfecti *pag. ead. §. Ad determinandam* . Vid. etiam *Alimenta* .

Suppellectiles Sacræ Episcopo subministrandæ Vid. *Canonici* , *Episcopus* .

Suspensio collationis Beneficii , quousque aliquis de prædilecta Familia idoneus evadat , quandoque conceditur *pag.* 246. *§. De altera* .

Suspensionis pœna ex jure antiquo indicta fuit suscí-

suscipientibus Ordines absque titulo *pagin.* 179. §. *Quoad*. Vid. *Ordinatus*.

A jure lata non incurritur, nisi in casibus a jure expressis *pag.* 176. §. *Ad* 1.

Quæ vero ab homine, quando incurratur *ibid.*

Sententia suspensionis in scriptis proferri debet *pag. ead.* §. *Observat*.

Præcedere tamen debet trina monitio, vel necessitate urgente saltem una *pag.* 178. §. *Perperamque*.

T

TAxæ pro Seminario subjiciuntur etiam Pensionarii *pag.* 68. §. *Antiquissimam, & seq.*

Nullusque ab ea eximitur, nisi peculiarem exemptionis titulum probaverit *pag.* 67. §. *Neque*.

Ad Episcopum spectat inquirere de hujus taxæ congruitate *pag. ead.* §. *Reyciendam*.

Testamentum ad pias causas valet, etiamsi destitutum sit juris sollemnitatibus *pag.* 221. §. *Inquiunt, & pag.* 222. §. *Pervulgatum*.

Quamvis a solo Testatore scriptum sit, & subscriptum, dummodo constet de illius voluntate *Ibid.*

Et licet irritum sit ex aliquo sollemnitatis defectu, nihilominus quoad pia Legata sustinetur *pag.* 222. §. *Quæ*.

Verum pia Legata relicta in testamento sollemni, moderari possunt per posterius testamentum minus sollemne *pag. ead.* §. *Neque*.

Non tamen in hoc Doctores conveniunt *pag. ead.* §. *Disputatur*.

Sed in hoc omnes convenire videntur, quod testamentum minus sollemne neque quoad Legata pia subsistat, si constet Testatorem condere voluisse testamentum cum omnibus sollemnitatibus *Ibid.*

Testatoris dispositio, si dubia sit, ita debet interpretari, ut Patronorum præsentationi faveat *pag.* 142. §. *Ad II.*

Commutatio voluntatis. Vid. *Commutatio*. *Indultum*.

Testes negativi posthabendi sunt affirmativis *pag.* 4. §. *Addit.*

Extrajudiciales sunt rejiciendi *pagin.* 53. §. *Quo verò*.

Item qui sunt de plebe, & humillimis, abjectisque muneribus addicti. *Ibid.*

Item singulares in dicto, & de auditu deponentes. *Ibid.*

Item si in causa Matrimonii fuerint examinati absque interrogatoriis a Defensore matrimonii datis. *Ibid.*

Iisque posthabitis deferri debet Episcopo, ejusque Vicario generali *pag. eadem* §. *Maximè*.

In Causa dissolutionis Matrimonii debent esse omni exceptione majores *pag. ead.* §. *Quo verò*.

Hinc Affines, Familiares, Consanguinei, Domestici, & infames prohibentur testimonium perhibere *pag.* 4. §. *Addit*, & *pag.* 52. §. *Defensor*.

Qui matrimonio interfuit debent esse certi de actuali contrahentium consensu *pag.* 6. §. *Id ipsum*.

Testificationes extrajudiciales nullius sunt momenti *pag.* 203. §. *Contra Defensor*.

In Causa Matrimonii editæ non citato, nec interpellato Defensore matrimonii, nullius sunt roboris. *Ibid.*

Theologalis Præbenda in Cathedralibus Ecclesiis erigi debet *pag.* 220. §. *Concilium*.

Id tamen locum non habet, quoties in Cathedrali stipendium pro Lectore S. Theologiæ fuerit destinatum. *Ibid.*

Tituli plures incompatibiles cumulari possunt in re beneficiaria *pag.* 142. §. *Pergens*.

Pro Tonsura sufficit ætas septem annorum *pag.* 183. §. *Contendit*.

Quid ulterius requiratur *pag.* 184. §. *Ad Scientiam*.

Translatio Missarum injuriam irrogat menti Fundatorum, & cultum prædilectæ Ecclesiæ imminuit *pag.* 173. §. *Quamvis*.

Hinc ea non conceditur, nisi justa, & necessaria causa concurrat *pagina* 174. §. *Translationes*.

Nec conceditur quando adest Tertii præjudicium *pag. ead.* §. *Sacra*.

Quandoque justis de causis concessa fuit *pag.* 138. §. *Sacra*.

Quæ præcipue in ea concedenda inspecta fuerint. *Ibid.*, & *pag.* 137. §. *Nec obesse*.

Facilius concedi solet quando nec testamentariæ dispositioni repugnat, neque in ullius vergit præjudicium *pagina eadem* §. *Inquit*.

Et quando Testatorum Cadavera tumulata non sunt in Ecclesia, ubi Missæ celebrari deberent *pag.* 138. §. *Sacra*.

Triennalis cohabitatio injungitur, quando deest evidens probatio impotentiæ naturalis, perpetuæ, & insanabilis *pag.* 93. §. *Cæterum*.

Huic repugnat separatio Mulieris a Viri thalamo per plures menses *pag.* 92. §. *Post hæc*.

Et ideo intermissio notabilis suppleri debet sequenti tempore, donec triennium compleatur *pag. ead.* §. *Fatetur*.

Computari debet a die, quo fuit demandata, *pag.* 91. §. *In jure*.

Id tamen non procedit in casu impotentiæ naturalis, sed ex maleficio. *Ibid.*

Ex aliquorum sententia incipit a die, quo post Judicis decretum fuit incohata *pag.* 93. §. *Deindè*.

Et hæc est verior, ac tutior sententia *Ibid.*

Eamque sequuta est Rota, & S. Congregatio *Ibid.*

Contrarium nonnulli existimarunt *p.* 94. §. *Hujusce*.

Sacra Congregatio illam præscribere consuevit nulla habita ratione temporis, quo Conjuges prius cohabitarunt *pag. ead.* §. *Sacra Congregatio*.

Interdum vero triennio nondum completo, judicium protulit de nullitate matrimonii *pag.* 91. §. *Extraneam*.

Tuscanensis Ecclesia Cathedræ dignitatem habuit ante Viterbium *pag.* 57. §. *Ad I. Inquit*.

Est æque principaliter cum Viterbiensi unita *pag.* 59. §. *De unione*.

Hinc debent pro ea deputari Examinatores Synodales distincti ab illis Viterbii *pagin.* 58. §. *Si propterea*, & *pag.* 59. §. *Sanè*.

V

Visitationum decreta, quamvis eorum plura subscriptione careant, nihilominus sufficiunt ad rem antiquissimam probandam, *pag.* 133. §. *Addit*.

Virginitatis signa adsunt certa, & indubia *pag.* 203. §. *Perperam*.

Et disrupto semel claustro virginali nunquam ad primævum statum restitui potest *Ibid.*

Nihilominus ejus probatio fallax magnopere est, incerta, & inconcludens *pag.* 52. §. *Inutiliter*.

Unio duarum Ecclesiarum æque principaliter facta non mutat statum cujuslibet Ecclesiæ respectu sui *pagin.* 72. §. *Animadvertendum*.

Ratione tamen Episcopi, qui duabus illis Ecclesiis præest, pro una Ecclesia habentur *Ibid.*

Voluntas Testatorum quoad commutationem. Vid. *Commutatio*.

Servata præsumitur, nisi contrarium demonstretur *pag.* 133. §. *Quod verò*.

Nec præsumitur fuisse acceptatam in favorabilibus, rejectam vero in odiosis *Ibid.*

Si dubia sit ita interpretari debet ut Patronorum præsentationi faveat *pag.* 142. §. *Ad II.*

X

Xenia recipere non possunt Episcopi, qui Cathedraticum percipiunt *p.* 43. §. *Verum*, & *seq.*

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis propoſitis in Sac. Congregatione Concilii anno 1771.

A

ÆTas pro aſſequendo ſubſidio dotali, ſi a Teſtatore præfinita non fuerit, neque ab Epiſcopo poteſt præfiniri *Fanen. ſubſidii dotalis* 3. *Auguſti pag.* 161.

Alienatio Locorum Montium pro reedificanda Eccleſia Parochiali quomodo fuerit permiſſa in *Amerina* 28. *Septembris pag.* 207.

Si a Teſtatore prohibita fuerit non permittitur, quamvis cedat in utilitatem Eccleſiæ *Veliterna permutationis* 31. *Auguſti pag.* 175.

Alimenta, & ſumptus litis actæ a Muliere pro tuenda validitate Matrimonii defuncto Viro, & Viri Patre ſolvenda ſunt a Privigno *Cæſarauguſtana* 16. *Martii pag.* 47.

Præfinitio autem ſummæ liquidanda remittitur indicio Eminentiſſimi Præfecti *Ibid.*

Aperitio Oris adverſus Breve Apoſtolicum non conceditur, quando non conſtet de vitio ſubreptionis, vel obreptionis *Privernen.* 20. *Aprilis ad I. dub. pag.* 75.

Seminarii, fuit denegata in Civitatibus Priverni, & Terracinæ, & quare *Ibid. ad II. dub.*

Aſſignatio Patrimonii Sacri ſuper bonis hæreditariis fieri debet juxta mentem Teſtatoris *Spoletana aſſignationis Patrimonii* 31. *Auguſti pag.* 182.

Aſſociatio a Canonicis exhibenda Epiſcopo ad Eccleſiam accidenti. Vid. *Canonici*.

Cadaveris. Vid. *Cadaver*.

B

BEneficio erecto in rurali Eccleſia Caſtri Plumbinariæ ineſt onus celebrationis Miſſæ ſingulis diebus Dominicis, & feſtis *Signina Beneficii* 3. *Auguſti ad I. dub. pagin.* 167.

Et hujuſmodi onus expleri debet a Rectore per ſe ipſum *Ibid. ad II. dub.*

Ab hoc onere quibus de cauſis fuerit Rector aliquando diſpenſatus *Ibid. ad III. dub.*

Ad Beneficium coadjutorale Communitatis Bellinzonæ præſentandus eſt actu Sacerdos, vel infra annum promovendus, & iis deficientibus etiam Clericus in aliquo Ordine Eccleſiaſtico conſtitutus *Comen Beneficii* 13. *Julii ad. I. dub.* 146.

Hinc reprobata fuit electio Clerici. *Ibid. ad II. dub.*

Reprobata etiam fuit electio Sacerdotis facta pendente lite in S. Congregatione *Ibid. ad III. dub.*

C

CAdaver. In aſſociatione Cadaverum, quæ in Civitate Narniæ deferuntur ad propriam Parochialem Eccleſiam, ſive ad aliam, vocato Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, an ſemper competat præcedentia Parocho defuncti, S. Congregatio coadjuvari mandavit probationes ſuper conſuetudine. *Narnien.* 13. *Julii ad I. dub. pag.* 131.

Eccleſiæ tamen Parochiali debetur mediedietas cereæ, exceptis cereis Altaris, quoties defunctus extra illam tumulatur ex propria electione, vel alibi in Sepulchro Majorum *Ibid. ad II. dub.*

Cadavere præſente nequeunt Parochi in Dominicis, aliiſque feſtis diebus Miſſam pro defuncto applicare, & omittere Miſſam pro Populo. *Feſulana* 26. *Januarii ad I. dub. pag.* 1.

Neque ad aliam diem transferre Miſſam pro Populo *Ibid.*

Neque applicationi iſtius Miſſæ ſupplere per alium Sacerdotem *Ibid. ad II. dub.*

Canonici quoad Miſſam Conventualem. Vid. *Miſſa Conventualis*.

Debent quotidie intereſſe Choro, ſalva vocatione ad formam Concilii *Terracinen. & Setina* 14. *Decembris ad I. dub. pagin.* 244.

Et præter conſuetas punctaturas poſſunt ad id cogi aliis juris remediis ad formam Concilii *Ibid. ad II. dub.*

Tempore divinorum officiorum nequeunt Miſſas celebrare, niſi de legitimi Superioris licentia, non obſtante contraria conſuetudine *Comen celebrationis Miſſarum* 23. *Novembris pag.* 235.

Nec

Nec possunt voluntarie a Choro discedere, excepto Pœnitentiario *Interamnen.* 23. *Februarii ad III. dub. pag.* 28.

Et contravenientes sunt puncandi *Ibid. ad IV. dub.*

Tenentur subministrare Episcopo Sacras suppellectiles, dummodo celebret in Cathedrali, vel in Capella Episcopali. *Terracinen., & Setina* 14. *Decembris ad III. dub. pag.* 244.

Item suppellectiles, & ornamenta Cathedræ Episcopalis *Ibid. ad IV. dub.*

Et etiam ornatum Ecclesiæ, quatenus adsit, & juxta solitum. *Ibid. ad V. dub.*

In solemnioribus diebus, quibus Pontificales habentur functiones, levare debent Episcopum e Palatio Episcopali cum vestibus, quibus in Choro utuntur, eumque associare ad Cathedralem Ecclesiam, & respective in regressu ad dictum Palatium ad formam Cæremonialis Episcoporum *Ibid. ad VI. dub.*

Quoties vero Episcopus ad Cathedralem Ecclesiam accedit pro quacumque alia functione Ecclesiastica, duo Canonici tenentur illum associare cum vestibus talaribus ab ostio, & usque ad ostium Ecclesiæ *Ibid. ad VII. dub.*

Canonici Calaritani nuncupati *de Stallo* servare debent solitum quoad intonationem Antiphonarum *Calaritana* 4. *Maii pagin.* 106.

Canonicus pure, libere, & sine ulla restrictione, vel conditione admissus participare debet de emolumentis post aggregationem superventis *Sabinen* 13. *Julii pag.* 136.

Theologus tenetur ad obeundas Lectiones S. Scripturæ juxta dispositionem Concilii Tridentini *Comen. Canonicatus Theologalis* 23. *Novembris pag.* 225.

Capellania erecta in Ecclesia rurali, si sufficientibus ditata sit reditibus, censetur importare onus celebrationis Missæ Dominicis, & festis diebus pro commodo Agricolarum *Signina Beneficij* 3. *Augusti ad I. dub. pag.* 167.

Capellanus, qui Capellaniam possidet erectam in Parochiali Ecclesia Oppidi Mornici tenetur singulis diebus, etiam festivis, celebrare Missam in Aurora *Placentina celebrationis Missæ* 8. *Junii pag.* 105.

Capitularibus Ecclesiæ Biturtinæ denegatum fuit Indultum explendi Anniversaria per Tertiariam *Biturtina Servitii Chori* 23. *Februarii pag.* 27.

Cathedratici titulo debetur Episcopo Æsino annua præstatio frumenti, & hordei, quæ traditur ab Ecclesia Montis Carotti. *Æsina Cathedratici* 16. *Martii ad I. dub. pagin.* 48.

Nec quidquam aliud eo titulo debetur. *Ibid. ad II. dub.*

Verum censuit S. Congregatio non esse locum restitutioni summæ, quæ pro præterito soluta fuit *Ibid. ad III. dub.*

Census impositio super locis Montium permissa fuit sub quibusdam conditionibus pro absolvenda fabrica Ecclesiæ Parochialis. *Amerina* 18. *Septembris pag.* 207.

Cessio bonorum hæreditariorum facta favore Loci pii, si minus conformis sit menti Testatoris, non sustinetur *Anagnina erectionis Capellaniæ* 28. *Septembris pag.* 199. *ad I. dub.*

Sed inhærendum omnino est voluntati Testatoris *Ibid. ad II. dub.*

Commutatio voluntatis a Testatore expresse interdicta non conceditur *Veliterna permutationis* 31. *Augusti pag.* 175.

Concordiæ approbationi quare S. Congregatio non adhæserit in *Romana* 16. *Martii pag.* 64.

Concursus pro collatione Archipresbyteratus Ecclesiæ Cathedralis æque principaliter unitæ alteri Ecclesiæ Cathedrali fieri debet coram Episcopo, & in Loco ejus arbitrio designando *Tusculanen* 16. *Martii ad I. dub. pag.* 60.

Et examini privative interesse debent Examinatores Synodales illius Diœcesis, in qua vacat beneficium *Ibid. ad II. dub.*

Et acta expleri privative debent a Notario Civitatis, ubi erectum est beneficium *Ibid. ad III. dub.*

D

Derogatio fundationi an, & quomodo fuerit concessa, vel denegata *Urbevetana Canonicatus* 3. *Augusti pag.* 162.

Dispensatio ab irregularitate quare fuerit denegata in *Salernitana, & in Abellinen.* 4. *Maii pag.* 91.

Negata similiter fuit ab impedimento publicæ honestatis *Acheruntina* 8. *Junii pagin.* 120.

Præsertim in primo gradu *Mindonen Dispensationis* 31. *Augusti pag.* 175.

Ab integro triennalis cohabitationis termino concessa fuit ratione periculi, quod Mulieri imminebat *Lucana Matrimonij* 28. *Septembris pag.* 200.

Dos quoad quantitatem præstandam Puellis consanguineis. Vid. in *Nullius Terræ Pontiani* 23. *Februarii pag.* 27., & in *Veliterna* 8. *Junii pag.* 112.

Dotalium subsidiorum collatio non potest ab Episcopo coerceri ad solas Puellas certam ætatem habentes, si nulla a Testatore fuerit ætas præfinita *Fanen. Subsidii dotalis* 3. *Augusti pag.* 161.

E

EMolumenta debita Canonico recens in Capitulo admisso, quæ sint. Vid. *Canonicus*.

Episcopus quoad assoctationem ei a Canonicis præstandam Vid. *Canonici*.

Quoad paramenta eidem a Capitulo subministranda Vid. *Canonici*.

Cogere potest Canonicos ad interessendum Choro adhibitis aliis juris remediis, si punctaturæ non sufficiant *Terracinen.*, & *Setina* 14. *Decembris pag.* 244.

Uti debet jure suo pro investimento Capitalium restitutorum ad Sacrum Clerici Patrimonium pertinentium *Alexandrina Suspensionis* 28. *Septembris pag.* 205.

Præfinire pro ejus arbitrio potest horam ad decantandas Vesperas in Ecclesia Cathedrali. *Interamnen.* 28. *Februarii pag.* 28.

Non tamen potest coercere collationem subsidiorum dotalium ad solas Puellas certam ætatem habentes, si nulla a Testatore fuerit ætas præfinita *Fanen. Subsidii dotalis* 3. *Augusti pag.* 161.

Examen ad beneficia Parochialia Diœcesis, æque principaliter unitæ alteri Ecclesiæ fieri debet coram Episcopo in Loco ejus arbitrio designando *Tusanen.* 16. *Martii ad I. dub. pag.* 60.

Adhiberi tamen debent Examinatores Synodales Diœcesis, in qua vacat beneficium *Ibid. ad II. dub.*

Atque etiam ejusdem Diœcesis Cancellarius *Ibid. ad III. dub.*

Experimentum triennalis cohabitationis prosequi debet per longius tempus, si variis vicibus fuerit intermissum *Lucana Matrimonii* 4. *Maii pag.* 95.

Coercetur tamen si Mulieri immineat periculum *eadem Lucana* 28. *Septembris pagin.* 200.

H

HOra pro decantandis Vesperis in Ecclesia Cathedrali præfiniri potest ab Episcopo *Interamnen* 28. *Februarii pag.* 28.

I

INdultum inserviendi Choro per Tertiarias concessum fuit Capitularibus Cathedralis Ecclesiæ Bituntinæ, exceptis tamen Anniversariis, & festis diebus, aliisque infra annum temporibus *Bituntinæ Servitii Chori* 23. *Februarii pag.* 27.

Inserviendi per mediariam denegatum fuit Capitularibus Ecclesiæ Cathedralis Interamnæ. *Interamnen* 23. *Februarii pagin.* 28.

Jubilationis, Capitulo etiam dissentiente ob parvum Canonicorum inservientium numerum, conceditur *Terracinen.* 20. *Aprilis pag.* 75.

Celebrandi ritu Latino non conceditur Sacerdoti ritus Italo-Græci *Ordinis S. Basilii* 4. *Maii pag.* 99.

Institutio ad beneficium retardari non debet ob suspensionem absque legitima causa inflictam *Alexandrina Suspensionis* 28. *Septembris ad III. dub. pag.* 205.

Instrumentum conventionis ritè confectum servari debet *Firmana* 4. *Maii pag.* 91.

Irregularitas. Dispensatio ab irregularitate fuit denegata in *Salernitana*, & *in Abellinen.* 4. *Maii pag.* 91.

L

LEgatum pium Missarum, quod Testator vetuit ne erigeretur in Capellaniam Ecclesiasticam, vel Laicalem, erigi non potest in Mansionariam *Cingulana Erectionis Mansionariæ* 14. *Decembris pag.* 243.

Hinc transactionem initam pro erectione Mansionariæ S. Congregatio reprobavit *Ibid.*

Litis sumptus actæ a Muliere pro tuenda Matrimonii validitate, defuncto Viro, & Viri Patre, subministrari debent a Privigno *Cæsaraugana Matrimonii* 16. *Martii pagin.* 47.

M

MAtrimonii nullitas non bene ex eo solum desumitur, quod Parochus mutuum contrahentium consensum non intellexerit *Taurinen* 26. *Januarii pag.* 6.

Mediariæ Indultum quoad Chori servitium Vid. *Indultum*.

Missa pro Populo. Vid. *Parochi*.

Pro Defuncto. Vid. *Parochi, Cadaver*.

Pro Benefactoribus quotidie applicare non debent Confortiales Communiæ S. Pauli Missæ Lombardorum *Imolen. Missæ Conventualis* 23. *Februarii pag.* 28.

Celebrari singulis diebus etiam festis debet in Aurora a Capellanos, qui Capellaniam possidet erectam in Ecclesia Parochiali Oppidi Mornici *Placentina celebrationis Missæ* 8. *Junii pag.* 115.

Per se ipsum a Capellano celebrari debent si adsit observantia, quamvis ignoretur fundatio *Signina Beneficii* 3. *Augusti ad II. dub. pag.* 167.

Duæ Conventuales canendæ sunt a Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum, diebus in Rubrica præscriptis *Comen. celebr-*

brationis Missarum 23. *Novembris ad I. dub. pag.* 225.

Neque ab hujusmodi onere eos excusare potest pontraria consuetudo *Ibid.*

Sacra tamen Congregatio aliquando indulsit, ut una Missa canatur, reliquæ Conventuales lectæ celebrentur *Ibid.*

Missarum reductio. Vid. *Reductio.*

N

NOminatio ad beneficium facta de eo, qui requisitis a Fundatore qualitatibus destituatur, irrita est. *Urbevetana Canonicatus* 3. *Augusti pag.* 262.

O

OFficiorum divinorum tempore nequeunt Canonici celebrare Missas, nisi de legitimi Superioris licentia *Comen celebrationis Missarum* 23. *Novembris ad II. dub. pag.* 225.

Onerum Missarum reductio. Vid. *Reductio.*

Translatio ab Ecclesia Parochiali, in qua Testator sepulturam elegerat, & ad quam suam hæreditatem deferri mandaverat, denegata fuit, licet designata in testamento non fuisset Ecclesia, ubi Missæ essent celebrandæ *Forosempronien* 4. *Maii pag.* 92.

P

PAramenta a Canonicis Cathedralis Episcopo subministranda. Vid. *Canonici.*

Parochi quoad præcedentiam in associatione Cadaverum. Vid. *Præcedentia.*

In Dominicis, aliisque festis diebus præsente Cadavere nequeunt celebrare Missam pro defuncto, & ad aliam diem transferre Missam pro Populo *Fesulana* 26. *Januarii ad I. dub. pag.* 1.

Neque celebrationi Missæ pro Populo supplere possunt per alium Sacerdotem *Ibid. ad II. dub.*

Patrimonii Sacri assignatio super bonis hæreditariis fieri debet juxta mentem Testatoris *Spoletana assignationis Patrimonii* 3. *Augusti pag.* 182.

Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis unam tantum Missam pro Populo tenentur per turnum applicare imo unaquaque Ecclesia *Nescastren.* 26. *Januarii pag.* 2.

Pensionarii tenentur ad solutionem taxæ favore Seminarii. *Veliterna Taxæ Seminarii* 20. *Aprilis pag.* 75.

Permutatio si a Testatore fuerit expresse prohibita non conceditur. *Veliterna permutationis* 31. *Augusti pag.* 175.

Præbenda Theologalis in Cathedrali Ecclesia Comen. jamdiu legitime fuit erecta. *Comen. Canonicatus Theologalis* 23. *Novembris pagin.* 225.

Præsentatus ad beneficium de cujus vocatione, scientia, & moribus non constet, retineri per aliquod tempus debet in Religiosa domo, antequam instituatur *Alexandrina Præpositura* 31. *Augusti ad I. dub. pag.* 190.

Et interim tempus non currit. *Ibid. ad II. dub.*

Præstatio annua frumenti, & hordei, quæ traditur Episcopo Æsino ab Ecclesia Montis Carotti, eidem debetur titulo *Cathedratici Æsina* 16. *Martii ad I. dub. pag.* 48.

Nec quidquam aliud eo titulo præstari eidem debet *Ibid. ad II. dub.*

R

REductionem, & suspensionem Legati Anniversariorum denegavit S. Congregatio in *Bonomen* 26. *Januarii pag.* 1.

Oneris Missarum similiter denegavit in *Spoletana* 8. *Junii pag.* 12.

Illam tamen concessit in *Nullius Terræ Pontiani* 8. *Junii pag.* 109.

Restitutio in integrum potest lapsum quinquenii conceditur, quando constat de vi, & metu injuste incusso *Gratianopolitana* 23. *Februarii pag.* 33.

S

SEminarii taxam solvere debent Pensionarii *Veliterna* 20. *Aprilis pag.* 75.

Aperitio in Civitatibus Priverni, & Terracinæ æque principaliter unitis Cathedrali Sitinæ, ubi adest Seminarium, fuit denegata *Privernen.* 20. *Aprilis ad II. dub. pagin.* 75.

Servitium Chori per Mediariam. Vid. *Indultum.*

Per Tertiarias. Vid. *Ibid.*

Subsidia dotalia relicta a Testatore Puellis absque ulla ætatis præfinitione, non possunt conferri iis tantum Puellis, quarum ætas fuit ab Episcopo præfinita *Fanen. Subsidii dotalis* 3. *Augusti ad I. dub. pag.* 161.

Et relicta pro Puellis unius suburbii non possunt omnibus indistincte Puellis etiam extra Suburbium tradi *Ibid. ad II. dub.*

Applicatio in certa summa conceditur descendentibus a Testatore *Veliterna* 3. *Junii pag.* 112.

Suppellectiles, & alia Sacra ornamenta an debeant a Capitulo subministrari Episcopo. Vid. *Canonici.*

Suspen-

Suſpenſionis pœna abſque legitima cauſa inflicta non attenditur *Alexandina ſuſpenſionis* 28. *Septembris ad I. dub. pag.* 205.

Neque impedit inſtitutionem ad beneficium *Ibid. ad III. dub.*

T

TErtiariæ Indultum quoad ſervitium Chori Vid. *Indultum*.

Translatio oneris Miſſarum ab Eccleſia ubi Teſtator Sepulturam elegerat, & ad quam ſuam hæreditatem deferri mandaverat, denegata fuit, quamvis deſignata non fuiſſet Eccleſia, in qua Miſſæ celebrari debuiſſent *Foroſempronien* 4. *Maii pag.* 92.

Etiam ad quinquennium fuit denegata, juſtis deficientibus cauſis *Faventina Translationis* 31. *Auguſti pag.* 175.

Ab Eccleſia Confraternitatis Mortis ad Oratorium Seminarii Auximani fuit conceſſa in Auximana *Translationis Miſſarum* 8. *Junii pag.* 127.

Triennalis cohabitatio non dicitur completa, ſi Mulier interpolatis vicibus a Viro diverterit ruſticationis cauſa *Lucana Matrimonii* 4. *Maii pag.* 95.

Ideoque prorogari debet tempus, ut compleatur. *Ibid.*

Ob periculum Mulieri imminens fuit coercita in *eadem Lucana* 28. *Septembris pag.* 200.

V

VOluntas Teſtatoris permutationem expreſſe prohibentis adimpleri debet, licet permutatio utilis comperiatur *Veliterna permutationis* 31. *Auguſti pag.* 175.

Voluntatis commutatio non conceditur, niſi urgente neceſſitate *Fanen Subſidii dotalis* 3. *Auguſti pag.* 161.

Unio Beneficii fuit denegata in *Macerate.* 16. *Martii pag.* 47.

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXXII.

Rmo P. D.

FRANCISCO XAVERIO
DE ZELADA
ARCHIEPISCOPO PETRENIS

SECRETARIO.

TOMUS XXXXI.

ROMÆ MDCCLXXII.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1772. per Diœceses dispositus.

A

Alben. Irregularitatis. 8. Augusti *pag.* 166., 29. Aug. *pag.* 171., & 19. Septembris *pag.* 188.

Albintimilien. Commutationis oneris Missarum. 25. Januarii *pag.* 26., & 15. Februarii *pag.* 34.

Alexandrina Suspensionis. 11. Januarii *pag.* 2.

Anagnina Erectionis Capellaniæ. 14. Martii *pag.* 68., & 4. Aprilis *pag.* 79.

Aquen. Reductionis. 30. Maji *p.* 125., 27. Junii *pag.* 134., 21. Novembris *pag.* 216., & 19. Decembris *p.* 221.

Aquipendien. Oneris Missarum. 14. Martii *pag.* 75., & 4. Aprilis *p.* 80.

Aster. celebrationis Missarum. 30. Maji *pag.* 122., & 27. Junii *pag.* 134.

Augustana Irregularitatis. 19. Decembris *pag.* 225.

Auximana Translationis Missarum. 15. Februarii *pag.* 44., & 14. Martii *pag.* 49.

B

Brictinorien. Servitiorum. 11. Januarii *pag.* 1., 4. Aprilis *pag.* 86., & 9. Maji *pag.* 93.

C

Calaritana. 18. Julii *pag.* 149., 8. Augusti *pag.* 154., & 29. Augusti *p.* 169.

Camerinen. 4. Aprilis *pag.* 87., & 9. Maji *pag.* 93.
Eadem Cappellaniæ. 19. Septembris *pag.* 196., & 21. Novembris *pag.* 220.

Casalen. Concordiæ. 19. Decembris *pag.* 222.
Eadem Translationis Missarum. 11. Januarii *pag.* 13., & 25. Januarii *pag.* 30.

Cingulana Missæ Conventualis 27. Junii *pag.* 137., 18. Julii *pag.* 142., & 8. Augusti *pag.* 153.
Eadem Servitii Chori. 15. Februarii *pag.* 47., & 14. Martii *pag.* 49.

Civitatis Castellanæ Commutationis voluntatis. 21. Novembris *p.* 218., & 19. Decembris *pag.* 222.

Comen. Beneficii. 9. Maii *pag.* 96.
Eadem Translationis Cappellaniæ. 30. Maii *pag.* 129., 27. Junii *p.* 134., & 8. Julii *pag.* 141.

F

Fanen. Subsidii Dotalis. 15. Februarii *pag.* 40.

Faventina. 9. Maii *pag.* 99., & 30. Maji *pag.* 111.
Eadem Redditionis Rationis. 8. Augusti *p.* 159., 29. Augusti *p.* 170., & 19. Septembris *pag.* 187.
Eadem Translationis. 11. Januarii *pag.* 2.

Firmana. 18. Julii *pag.* 142., & 8. Augusti *pag.* 103.
Eadem Capellaniæ. 29. Augusti *pag.* 182., & 19. Septemb. *p.* 188.

G

Gerunden. 11. Januarii *pag.* 1.
Eadem Jubilationis. 15. Februarii *pag.* 34., & 9. Maji *pag.* 94.

I

Imolen. Distributionum. 9. Maji *p.* 103., & 30. Maji *pag.* 111.

L

Leodien. 21. Novembris *pag.* 205.

Lucana Jubilationis. 19. Septembris *pag.* 189.

Lunen. Serzanen. celebrationis Missæ. 4. Aprilis *p.* 80., & 9. Maji *pag.* 93.

Me-

M

Mediolanen. Professionis . 18. Julii *pag.* 150. , 8. Augusti *pag.* 154. , & 29. Augusti *pag.* 169.

Melevitana Legati pii. 18. Julii *p.* 150., 8. Augusti *pag.* 154. , & 29. Augusti *pag.* 169.

Montis Falisci Distributionum . 19. Decembris *pag.* 234.

N

Neapolitana Matrimonii . 27. Junii *pag.* 135. , 18. Julii *pag.* 141. , 19. Augusti *pag.* 118. , & 19. Septembris *pag.* 188.

Neocastren. Applicationis Missæ pro Populo . 25. Januarii *pag.* 23. , & 15. Februarii *pag.* 33.

Nepesina Reductionis Missarum . 25. Januarii *pag.* 24. , & 15. Februarii *pag.* 33.

Eadem Restaurationis Ecclesiæ . 30. Maji *pag.* 112. , & 27. Junii *p.* 133.

Nullius Lepriniani Capellaniæ . 14. Martii *pag.* 61.

Nullius S. Ædisti . 30. Maji *pag.* 128. , 27. Junii *pag.* 134. , & 18. Julii *pag.* 141.

Eadem Capellaniæ . 30. Maji *pag.* 119. , & 27. Junii *pag.* 133.

Nullius Trium Fontium Missæ Conventualis . 14. Martii *pag.* 72. , & 4. Aprilis *pag.* 80.

O

Olomucen. Matrimonii . 14. Martii *pag.* 49.

P

Paderbonen. Applicationis . 21. Novembris . *pag.* 209. , & 19. Decembris *pag.* 221.

Perusina Montis Pietatis . 11. Januarii *pag.* 1.

Pisauren. 11. Januarii *pag.* 5. , & 25. Februarii *pag.* 19.

Eadem Reintegrationis , & Reductionis Missarum . 19. Decembris *pag.* 228.

R

Romana . 18. Julii *pag.* 147. , 8. Augusti *p.* 154. , & 29. Augusti *p.* 169.

Eadem distributionis Dotium . 11. Januarii *pag.* 14. , & 25. Januarii *pag.* 20.

Eadem Subsidiorum Dotalium. 11. Januarii *pag.* 16. , & 25. Januarii *pag.* 20.

Eadem 21. Novembris *pag.* 202.

Eadem seu Tudertina Admissionis ad Collegium . 14. Martii *pag.* 62. , & 4. Aprilis *pag.* 79.

S

Sarsinaten. Erectionis Oratorii 19. Decembris *pag.* 231.

Senogallien. Commutationis . 30. Maji *pag.* 115. , & 27. Junii *pag.* 133.

Eadem Irregularitatis . 25. Januarii *pag.* 20. , & 15. Februarii *p.* 33.

Syracusana Reductionis Missarum 4. Aprilis *pag.* 89. , & 9. Maji *pag.* 94.

T

Taurinen. Irregularitatis . 14. Martii *pag.* 63. , & 4. Aprilis *pag.* 79.

Terracinen. , & Setina . 9. Maij *p.* 94.

Eadem , seu Privernen. Missæ Conventualis. 19. Septemb. *p.* 193. , & 21. Novembris *pag.* 201.

Theatina Matrimonii. 8. Augusti *p.* 155. & 29. Augusti *pag.* 170.

Toletana Irregularitatis . 25. Januarii *pag.* 30. , & 15. Februarii *pag.* 34.

Tudertina Restaurationis Domus Parochialis . 21. Novembris *pag.* 214. , & 19. Decembris *pag.* 221.

V

Vrbanien. Exemptionis . 19. Septembris *pag.* 190. , & 21. Novembris *pag.* 201.

Die Sabbathi 11. *Januarii* 1772. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

PRæter Cauſas deſcriptas in folio poſtremæ Congregationis diei 14. Decembris anni nuper elapſi, aliæ in hodierno recenſentur, de quibus ſapientiſſimum EE. VV. judicium deſideratur.

GERUNDEN.

An ſit locus approbationi Inſtrumenti, in caſu &c. *Seſs. 22. cap. 8. de Reform.*

Affirmativè juxta modum: Modus eſt, quod ex conditionibus in Inſtrumento adjectis ſerventur tantum diſpoſitiones quoad Patronatum activum, & paſſivum, ita tamen, ut nunquam ſuſpendatur præſentatio favore paſſivè vocatorum, & quatenus non adſint favore cujuſcumque etiam extranei.

BRICTINORIEN. SERVITIORUM.

I. *An, quomodo, & in quibus functionibus Poſſeſſor Canonicatus Pretini teneatur præſtare ſervitia Epiſcopo in caſu &c.* *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

II. *An ratione ejuſdem Canonicatus teneatur ad celebrationem Miſſæ quotidianæ in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè in omnibus ad formam Fundationis.
Ad II. Satis proviſum in Brevi Apoſtolico anni 1641.

PERUSINA MONTIS PIETATIS.

An Rectoribus Montis Conſolini Civitatis Perusiæ ſit concedendum Indultum perpetuò exigendi ſcuta tria pro quolibet centenario in caſu &c. *Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.*

Affirmative ad decennium facto verbo cum Sanctiſſimo, & Epiſcopus incumbat inveſtimento faciendo.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FAVENTINA TRANSLATIONIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

Sess. 21. cap. 2. de Reform.

ALEXANDRINA SUSPENSIONIS. Tribus de causis Rmus Episcopus Alexandrinus suspensum declaravit Sacerdotem Alexandrum Gamalero: Primum, quod celebrare omiserit Missas cuidam Beneficio, seu Legato pio, quod possidet, adnexas; Secundo, quia sine sufficienti Patrimonii titulo ad Ordines fuerit promotus; & demum quia hujusce Patrimonii bona nonnulla distraxerit. Hinc rejecit quoque ejusdem Sacerdotis Alexandri præsentationem a legitimis Patronis factam ad Canonicatum in Cathedrali Ecclesia Alexandrina ex dispositione Alexandri Sen. Gamalero erecti. Devoluta autem per appellationem Causa ad Sac. Congregationem, tria proposita fuerunt dubia die 31. Augusti anni nuper elapsi, nempe I. *An constet de legitimis causis suspensionis, in casu &c.*. Et quatenus Affirmative II. *An sit locus absolutioni, in casu &c.*. III. *An Canonicatus sub titulo S. Petri erectus in Cathedrali Ecclesia Alexandrina sit adjudicandus Sacerdoti Alexandro Gamalero, itaut per Episcopum sit et danda institutio, in casu &c.*; sed rogante Episcopo pro dilatione, illorum resolutio protracta fuit ad diem 28. Septembris, qua die responsum prodiit Ad I. *Negative, & quoad investimentum capitalium restitutorum Episcopus utatur jure suo.* Ad II. *Provisum in primo.* Ad III. *Affirmative.*

Beneficio autem novæ audientiæ, Promotho'r Fiscalis iterum insurgit contra Sacerdotem Alexandrum, quem ob omissam per triennium Missarum celebrationem incidisse sustinet in suspensionis pœnam inflictam a Synodis annorum 1617., & 1652. contra negligentes per tres menses Missarum onera beneficio inhærentia adimplere. Nec contra hujusmodi Synodales sanctiones allegari posse aut ignorantiam, aut inobservantiam, tum quia ignorantia juris non præsumitur *Barbos. axiom.* 113. *num.* 10., *Rot. in Romana assignamenti Prælatitii* 2. *Junii* 1754. §. 5. *coram Figueroa*; & lex omnes afficit statim ac fuit promulgata *Gloss. in cap. Ut animarum verb. Statuto de constit. in 6.*, *Barbos. de offic., & potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 93. *num.* 24., tum etiam quia inobservantia non probatur, immo ex eo excluditur, quod earumdem Synodalium Constitutionum vigore suspensus ob omissam celebrationem Missarum fuit declaratus quidam Sacerdos Archinus Cathedralis Ecclesiæ olim Canonicus, eisque postea robur adjecit Episcopus Gattinara, qui anno 1711. illas Typis edidit, ac confirmavit, & præterea non-

bonnisi in ipsarum exequutionem circulares litteræ singulis annis mittuntur ad Vicarios Foraneos, ut notulam Missarum, quarum celebratio neglecta fuerit, ad Episcopalem Curiam transmittant.

Nec prodesse excusationem de prætermissa ex necessitate, & ex causa paupertatis Missarum celebratione tunc solum cum Sacerdos Gamalerus Augustæ Taurinorum degebat, ut jura sua contra Episcopum super Canonicatus Patronatu tueretur: Neque compositionem, & absolutionem a Rev. Fabrica obtentam. Contendit enim ad primum, assertam paupertatem non subsistere, cum Gamalerus pecunias in ludis consumpserit, & monitus ab Episcopo, nullam paupertatis, aut necessitatis causam proposuerit, sed in omittenda Missarum celebratione perrexerit. Ad secundum verò respondet, preces Tribunali Rev. Fabricæ porrectas subreptionis, & obreptionis vitio fuisse coinquinatas, quia verum Missarum, quas prætermiserat, numerum reticuerit. Insuperque advertit, etiam post Rescriptum Tribunalis Rev. Fabricæ Missarum celebrationem neglexisse, & in suspensionem denuò hac de causa incidisse.

Alterum demandatæ suspensionis caput deducit Promothor Fiscalis ex insufficientia Patrimonii in Instructione fan. me. Benedicti XIV. præfiniti. Perperamque opponi sustinet, eam intelligi debere de promovendis ad titulum Patrimonii, non autem de iis, qui ratione beneficii ad Ordines ascenderint, cum eadem Instructio indistincte expresè loquatur de omnibus, qui vel ad titulum Beneficii, vel Patrimonii promoventur, omnesque, qui prima saltem tonsura insigniri cupiant, probare debeant Beneficii, seu Capellaniæ reditus ad medietatem Patrimonii pertingere.

Hanc autem probationem nequaquam expleviisse dicit Sacerdotem Gamalerum, immò dolo, ac fraude Testes induxisse asserit ad deponendum de reditibus bonorum ad Beneficium spectantium, qui illorum situm, & qualitatem ignorabant; cum tamen ipse non ignoraverit, nec ignorare potuerit, idem beneficium a Canonico Lazzari beneficiato Antecessore ob redituum tenuitatem renunciatum, ab anno 1747. ad annum usque 1755. vacuum remansisse, eademque de causa tenuitatis redituum Episcopum Miroglio per biennium primam Tonsuram denegasse. Neque attendenda esse proclamata, quia edita non fuerunt in loco, ubi bona sunt sita. Nec approbationem duorum Vicariorum Capitularium, quia decipi & ipsi potuerunt.

Inane vero esse diffugium mutuatum ex additione in titulum Patrimonii pii Legati Prandi, & ex obligatione per Avum emissa subministrandi quidquid ad illius perfectionem fuerit necessarium. Observat enim Patrimonium consistere debere in bonis stabilibus, ut in Benedictina Instructione

præcipitur, & a jure Canonico ad tradita per *Garz. de benef. part.1. cap.2. num.112.*, *Gonzal. ad reg.8. Cancell. glos.5. num.31.*, *Vrsaya disceptat.7. num.152.*, *& seq.* Hinc admitti nequaquam potuisse legatum pium Missarum oneri obnoxium, præsertim quia bona administrantur a Confratribus SS. Luciæ, & Pauli, qui illarum eleemosinam Capellano persolvunt, prout alias declaravit Sacra Congregatio in *Ulyxiponen. Occidentalis 23. Novembris* 1723., *& 19. Augusti* 1724. Multoque minus Avi obligationem, quam SS. Canones reiiciunt *Rigant. ad reg. Cancell. num.24. §.5. num.* 112., Sacra Congregatio in *Florentina 28. Junii* 1704. ; maximè quia decoctus interiit. Denique Episcopi silentium nihil suffragari posse putat, quia Episcopus scire non poterat, quæ sui Antecessoris tempore gesta fuerant, nec nisi occasione omissæ Missarum celebrationis ullam de iis notitiam habuisse.

Ad tertium quod attinet suspensionis caput desumptum ex alienatione bonorum beneficii, eam hac de causa incurrisse contendit Sacerdotem Gamalerum ex dispositione Concilii Tridentini *sess.22. cap.11. de Reform.*. Et quamvis præpediri non potuerit censuum ad beneficium pertinentium retrovenditio, necessarium tamen fuisse affirmat pecuniarum investimentum, quod si neglexerit beneficiatus, bona Ecclesiæ alienasse dicitur, quia suorum bonorum fructuum eidem ademit *Van-Espen jus Eccles. uniu. par.2. tit.35. de administrat.*, *& alienat. num.22.*, & in suspensionem incidit *Rigant. in comment. ad reg.24. Cancell. §.5. num.127.* Nec excusari posse Gamalerum ex quo Patruus omnia administraret, cum etiam ipse censuum fructus exegerit, pecuniasque restitutas aliquando investierit, proindeque non solum sequutam censuum extinctionem non ignoraverit, sed immò, quia non reclamavit, pecuniarum usurpationi consenserit.

Ex his ergo rationibus sustineri contendit suspensionem Sacerdoti Alexandro inflictam, etiamsi scripto edita non fuerit, nec ulla monitio præcesserit, quam non requiri existimat, quoties culpa ex sui natura suspensionem inducit, & agitur de suspensionis pœna a jure inflicta *Cap. Reprehensibilis de appellat.*, *Fagnan. in cap. Non potest de Sent.*, *& re judicat. num.17. & 18.*, *Covarruv. in Cap. Alma Mater de sentent. excommunicat. in 6. par.1. §.9. num.5. & 6. vers. trina monitio.*

Infert proinde ad II. dubium, locum non esse absolutioni, nisi emendatis causis *Cap. Nullus de Foro competenti*, *Cap. Ex parte in Christo de verb. signif.*. Hinc Sacerdoti Gamalero impertiendam non esse absolutionem, nisi Missarum, quç omiserat, celebrationi adimpleverit, & censuum, quas consumpsit, sortes reintegraverit.

Quoad III. repetit, quæ contra ejusdem Gamalero vitam, ac

ae mores objecerat. Advertit, tres a Fundatore Canonicatus fuisse requisitas qualitates, scilicet *bonos mores*, *litteraturam*, *ac prudentiam*, quas etiam requisivit Concilium Tridentinum *sess.22. de Reform. cap.2.*. Hisce autem omnibus qualitatibus destitutum declarat Sacerdotem Alexandrum, qui in ludis, in chorcis, in commessationibus coinquinatus, pravam etiam cum Mulieribus familiaritatem prosequi, cum eisque vitam ducere non erubuit, quemadmodum præter Episcopi relationem, ex Testibus quoque desumi asserit. Despiciendam verò esse depositionem Parochi Taurinensis, nec non Capituli Ecclesiæ Cathedralis, & Magistratus Alexandriæ, quia Parochus ignorabat quid ille in Civitate Taurini egerit; Capitulum verò Cathedralis nullam de probitate vitæ in suis testimonialibus litteris mentionem habuit; Ad Magistratum autem non pertinet de vita, & moribus Clericorum inquirere.

Accedere etiam suspensionem ex superius relatis causis incursam, ex qua assequendi Ecclesiasticum beneficium incapax evaserat *Cap. Cum dilectus*, ibique *glos. de consuetudine*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcop. alleg.8. num.14.*, *Monacell. formular. legal. in prælud. num.105. tom.3.*. Meritò proinde, excluso Sacerdote Alexandro, concludit, Canonicatum jure devolutionis fuisse collatum Hieronymo Villavecchia, eamque collationem sustineri utpotè factam post elapsum terminum ad appellandum, quem ritè Episcopus potuit præfinire *Cap. Cum sit Romana de appellat.*, *Antonel. de regim. Eccles. lib.3. cap.6. §.8. num.57.*. Nec ullo modo de sequuta tempore habili collatione posse dubitari, cum ea ex testimonio Secretarii Officii Oeconomatus generalis resultet.

Sacerdos Alexander, cui perspecta adhuc non sunt, quæ Promothor Fiscalis contra ipsum in hac nova Causæ propositione deduxit, totum se refert ad ea, quæ in præteritis Scriptis proposuerat. Hæc autem exposita sunt in folio diei 31. Augusti anni præteriti, ubi etiam nonnulla animadverti, quæ ad rem, de qua agitur, conferre posse existimavi. Resumpto proinde hujusmodi folio, dignabuntur EE. VV. decernere

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In Decisis, & amplius.

PISAUREN. Quæ in Oppido S. Angeli Diœcesis Pisaurensis olim simplex erat Ecclesia Parochialis D. Michaeli Archangelo dicata, anno 1717. in Collegiatam erecta fuit a san. mem. Clemente XI., commissa Animarum cura ipsius Collegiatæ Priori. Hoc nuper graviter ægrotante, contentio orta est inter Canonicos ejusdem Collegiatæ, & Pa- *Sess.24. cap.18. de Reform.*

& Parochum Ecclesiæ Montis Sicardi, tanquam viciniorem, super jure administrandi Infirmo Sacramenta, eoque defuncto peragendi funus, & emolumenta funeralia percipiendi. Hinc sequuto Prioris obitu, Vicarius Generalis ad quem controversia delata fuerat, *per modum provisionis, & sine præjudicio jurium Partium*, deputavit Vicarium Foraneum Geneštreti, qui parentalia ageret circa cadaver defuncti; depositā tamen cera, prævia illius ponderatione, ad effectum consignandi cui de jure.

Causa hæc fuit, cur modò exhibeant prædictæ Collegiatæ Canonici sex definienda dubia, quæ præsentem non modò casum respiciunt, sed alios etiam, qui in posterum contingere possent.

Inquiunt ad I. nefas esse, Parochum munia Parochialia exercere in aliena Parochia *Barbos. de Parocb. par.1. cap.19. num.14.*, *Vrsaya disceptat.14. tom.5. part.2. num. 20.*, *Rot. in Ravennaten. Jurium Parochialium 25. Aprilis 1755. §.2. & 9. coram Borull.*, iis præsertim renuentibus, ad quos spectat usus Ecclesiæ, in qua alienus Parochus functiones Parochiales agere prætendit *Pelliz. manual. Regul. tract.2. cap.5. sect.6. num.263.*, *Rot. in Vicen. Juris admittendi Presbyteros super bono jure 12. Februarii 1734.* §. *Subsistere coram Corio*.

Nec obesse Synodales Diœcesis Pisaurensis Constitutiones, Parochi viciniori eam potestatem in certis casibus facientes. Observant enim, eas loqui de Parochialibus Ecclesiis, earumque Rectoribus, nec proinde trahi posse ad Collegiatam Ecclesiam licet Curatam, nec ad personam Prioris, quæ prima ejusdem Collegiatæ, totiusque Capituli Dignitas est *Cap. Licet 14.*, *Cap. Statutum 22. de elect.*, *gloss. ibidem num. 12.*, *Rot. decis.117. num.8. par.13. Recent.*. Et quamvis Ecclesia Sancti Michaelis Archangeli Parochialis olim fuerit, nihilominus cum in Litteris Apostolicis erectionis Collegiatæ suppressus omnino extiterit, atque extinctus titulus collativus, ac denominatio, natura, & essentia Parochialis, contendunt idcircò eam comprehendi amplius non posse sub denominatione Parochialis, nec iis dispositionibus subjici, quæ ad Parochiales referuntur, *Gonzal. ad reg. Cancell. gloss.5. §.7. num.13.*, *Conrad. in prax Benef. lib.3. cap.3. sub num.5.*, nec primi status qualitatem fore ulterius attendendam *Vrsay. disceptat.28. tom.6. par.1. num. 7.*

Idque erui quoque affirmant ex ipsis Synodalibus Constitutionibus, quæ defuncti Parochi funus a viciniore Parocho fieri præcipiunt *cum omnibus Clericis tam suæ, quam demortui Parochiæ*, quæ quidem Constitutiones de Clericis tantùm, non verò de Canonicis possunt intelligi *Rot. in Cracovien. Præpositurae S. Floriani 18. Martii 1757. §.7. coram Frangipane, & in Constantien. Subsidii Parochialis 9. Junii ejusdem anni §. 12. coram Buffo*. Nec dictas Constitutiones quid-

quidquam officere, immò opitulari Capitularibus, qui suum in Synodo assensum præstiterunt.

Neque similiter obstare censent, quod in Litteris Apostolicis erectionis Collegiatæ adjecta fuerit clausula = *Sine alicujus præjudicio* =, cum ea comprehendat quodcumque extrinsecum præjudicium, non tamen illud, quod in concedenda gratia Pontifex voluit inferre, seu quod ex natura rei resultat *Corrad. in Prax. Benefic. cap. 4. lib. 2. num. 75. verb. Quare, Card. de Luc. de Præeminent. disc. 9. n. 4.*

Perperam verò opponi dicunt, quod occasione ultimæ infirmitatis, atque obitus Parochi Ecclesiæ Montis Sicardi, Prior Collegiatæ S. Michaelis Archangeli Sacramenta administraverit, funus peregerit, & funeralia emolumenta perceperit, proindeque ad servandam æqualitatem idem jus Parocho Montis Sicardi respectu Prioris Collegiatæ sit tribuendum. Respondent enim primò, nullum præjudicium ex iis, quæ a prædefuncto Priore gesta sunt, successoribus Prioribus inferri potuisse *Rot. decis. 298. num. 9. coram Dunozett. jun.*, & *dec 10. de retinen. possess. num. 2. coram Falconer.*. Deindeque maximum inter utrumque casum intercedere putant discrimen, cum Parochia Montis Sicardi non potiatur qualitate Collegiatæ insignis, qua Ecclesia S. Michaelis Archangeli donata est.

Excluso proinde Parocho viciniori, jus administrandi Sacramenta, & funus peragendi defuncto Priori competere sustinent Seniori Collegiatæ Canonico ad excipiendas Confessiones approbato, cui, deficiente prima, atque unica Dignitate, jus esse contendunt exercendi omnes sacras functiones, quæ ab illa exercebantur *Barbos. de Canon.*, & *dignit. cap. 5. num. 43.*, & *Sac. Rituum Congregatio apud eund.* Præsertim quia cum in funeribus Parochianorum Canonicis Cathedralis, vel Collegiatæ præeminentia competat supra Parochos defunctorum *Pignattell. tom. 3. consultat. 53. num. 3. & seq.*, *Sac. Rituum Congregatio apud Barbos. de offic.*, & *potest. Parochi part. 1. cap. 9.* potiori sane jure ipsis competere existimant præeminentiam supra Parochum viciniorem, qui defuncti Parochus non sit.

Tandem advertunt, id jugiter servari in proximis Diœcesibus Senogallien., & Fanen., & in Terra Meldulæ; atque huic consuetudini proximarum, & comprovincialium Ecclesiarum in omni ambiguitate esse inhærendum *Card. de Luc. de regal. discur. 97. num. 12. & 13.*, *Vrsaya disceptat. Eccles. tom. 6. part. 2. disceptat. 26. num. 40.*

Ex his quoad II. dubium inferunt, nonnisi Seniori Canonico adjudicanda esse emolumenta funeralia, quæ debentur in præmium, & mercedem laboris pro administratione Sacramentorum, & funere peracto *Cap. Relatum*, *Cap. Debis de Sepultur.*, *Ricc. in prax. part. 4. resol. 299. num. 2.*, *Barbos. de Paroch. part. 3. cap. 25. num. 1.*. Et quamvis etiam aliqua emo-

emolumentorum pars competere posset Parocho viciniori, non tamen major portio huic esset assignanda, quam quæ assignatur unicuique ex Presbyteris funus cum aliis peragenti, quia agitur de defuncto Priore, qui semper in propria Parochia, nunquam verò in illa Parochi vicinioris domicilium habuit; quique a suis Capitularibus, non a viciniori Parocho Sacramenta recepit; quique demum non in aliena, sed in propria Ecclesia erat tumulandus.

Addunt, nihil viciniori Parocho deberi ratione Sepulturæ, quia cum Prior nulla electa Sepultura decesserit, in Collegiata Ecclesia sepeliri debuerat, *Petrus de Ubaldis de Canonic. Paroch. cap. 9. num. 36.*, *Antonell. de regim. Eccles. lib. 1. cap. 10. num. 21.*, *Piton. disceptat. Eccles. 51. tom. 2. num. 20.*. Neque ratione quartæ funeralis, nam ejus percipiendæ fundamentum cum sit administratio Sacramentorum, dum defunctus viveret, ratio hæc Parocho viciniori nullo pacto conveniat *Cap. 1. de Sepultur.*, *Vrsaya disceptat. Eccles. 14. tom. 2. par. 2. num. 71.*

Ad III. negant locum esse posse deputationi Oeconomi post mortem Prioris, cuius vices supplere dicunt Seniorem Canonicum ad Confessiones approbatum. Id erui sustinent ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 18. de Reform.*, ubi Statutum legitur, ut vacante Ecclesia Parochiali deputandus sit idoneus Vicarius, *si opus fuerit*; In isto autem casu nulla opus esse Vicarii deputatione, quia Collegiata Ecclesia Sacris abundat Ministris, qui Spiritualibus Parochianorum indigentiis possunt occurrere *Garz. de Benef. part. 9. cap. 2. num. 13.*, *Barbos. ad citat. loc. Concil. Trident. num. 39.*, *Vrsaya disceptat. 15. num 26. tom. 8. part. 5.*

Nec difformes esse Synodales Pisaurenses Diœcesis Constitutiones, quæ non aliter Oeconomi deputationem præscribunt, quam deficiente Capellano, qui sane non deficit in Ecclesia Collegiata, ubi tot numerantur Sacerdotes, quot sunt Canonici, & ubi præterea adest Canonicus Senior, qui pro excipiendis Fidelium Confessionibus, vivente etiam Priore, fuerat approbatus.

Necessariam verò non esse putant Episcopi approbationem, ut Senior Canonicus munus assumat, cum agatur tantummodò de ministeriali, & temporali exercitio Curæ Animarum, absque ullo titulo, aut novæ qualitatis additione, ad quod quilibet ad excipiendas Confessiones idoneus, censetur approbatus.

Inquiunt ad IV., quod etiamsi locus esset deputationi Oeconomi, nullus, nisi de gremio Capituli, esset eligendus, *Cap. In nona 16. quæst. 7.*, *Cap. Quoniam 21. eod. quæst.*, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 46. num. 5.*, *Rot. decis. 286. n. 13. part. 10. Recent.*, cum non deceat, ut inter Canonicos unius Capituli alius simplex Sacerdos cooptetur, qui defunctum Priorem, & primam Dignitatem quodammodò reprehesentet. Fa-

fatentur quidem, licitum fuisse Priori quemlibet sibi benevisum Capellanum extra gremium Capituli deputare; sed non leve intercedere fustinent discrimen inter Capellanum a Priore vivente subrogatum, & Oeconomum defuncto Priore eligendum; cum Capellanus Prioris huic dumtaxat servitium præstet, Oeconomus verò in demortui Prioris locum suffectus, communicare in pluribus debeat cum Capitulo, & Canonicis, immò in multis, saltem in Parochiali munere, præesse. Cæterum advertunt, Priores Collegiatæ semper consuevisse sibi in adjutorem eligere aliquem de gremio Capituli, quod ipsum in aliis conterminis Collegiatis Ecclesiis fieri solet.

Sed quamvis simplex extraneus Sacerdos in Oeconomum deputari posset, censent nihilominus ad V., ipsum nonnisi eas peragere debere functiones, quæ Animarum Curam concernunt, nunquam tamen, quæ Dignitatis, & Canonicorum officium respiciunt, *Rot. decis.* 400. *num.* 33. *part.* 18, *tom.* 1. *Recent.*

Denique ad VI. præmittunt, insignes Collegiatas Ecclesias Cathedralibus comparari *Ceccoper. lucubrat. Can. lib.* 1. *tit.* 5. *num.* 15., *Rot. decis.* 19. *num.* 8. *part.* 2. *diverf.*, ac proinde Parochiali quacumque Ecclesia, aliisque inferioribus esse digniores *Barbos. in Sum. Apostol. decis. verb. Collegiata collect.* 181. *num.* 4., *Card. Petra ad Constitut. Innocentii IV. sect. unic. num.* 21. *tom.* 3.; Hinc in Synodalibus Processionibus, aliisque omnibus functionibus, quibus interest universus Diœcesis Clerus, Canonicos Collegiatæ S. Michaelis Archangeli, quæ unica est in tota Diœcesi, præcedere post Capitulum Cathedralis debere omnibus Parochis, aliisque Presbiteris *Barbos. de Canon., & Dignit. cap.* 18. *num.* 67., *Sperell. decis.* 167. *num.* 11. *&* 12.

Et hanc præcedentiam sibi competere contendunt Canonici, etiamsi Ecclesia S. Michaelis Archangeli, priusquam in Collegiatam erigeretur, locum aliis Ecclesiis cedere consueverit, & licet in Bulla erectionis addita fuerit clausula *sine alterius præjudicio*. *Barbos. loc. cit.*, *Rot. coram Seraphin. decis.* 1445., S. Congregatio in *Illerden. Præeminentiarum* 26. *Junii* 1603.

Hæc sunt Capituli jura. Ex parte verò Rectoris Ecclesiæ Montis Sicardi nihil fuit deductum, immò attenta ipsius Ecclesiæ paupertate, judicialem suorum jurium defensionem assumere non posse fatetur, atque idcircò ad ea se refert, quæ Episcopus in suis litteris ad Sac. Congregationem datis, exposuit.

Episcopus itaque Rectori favens, animadvertit ad I., & II. dubium, Synodalibus Diœcesis Constitutionibus sancitum esse, ut ægrotante aliquo Parocho, vicinior Parochus ex eadem Vicaria Sacramenta administret, assistentiam morienti præstet, mortuo funus peragat, funeralia

omnia emolumenta percipiat, & donec de Oeconomo provisum fuerit, Parochialem curam assumit. Addit, quod sicuti nullum, vivente Rectore, ita neque ullum eo defuncto jus competat, Canonicis Parochialia munia exercendi. Putat autem qualitatem Collegiatæ superadditam Ecclesiæ prius Parochiali, nihil penitus ademisse de primæva Parochialitatis substantia, nihilque innovasse quoad liberum, & plenum Parochialium munerum exercitium.

Refert præterea, Synodalibus Constitutionibus assensum præbuisse Canonicos Collegiatæ S. Michaelis Archangeli, qui Synodo interfuerunt, earumque vigore non semel, sed iterum occasione ultimæ infirmitatis, atque obitus præcedentium Rectorum Ecclesiæ Montis Sicardi, Parochiales functiones peractas fuisse a Priore Collegiatæ, qui funeris etiam emolumenta percepit: Hinc infert idem quoque servari oportere favore Rectoris Montis Sicardi. Maximè quia huic prædicta omnia peragenti antequam Ecclesia S. Michaelis Archangeli in Collegiatam erigeretur, jus est quæsitum, quod præservatum fuit per clausulam litteris Apostolicis adjectam *Sine alicujus præjudicio*.

Quo verò ad III., & IV. dubium advertit, liberum fuisse Priori quemlibet pro suo arbitrio etiam extra gremium Capituli eligere Capellanum, qui ei in Animarum Curæ exercitio opem ferret; Atque idcircò hujusmodi facultatem multo minus denegandam esse Episcopo, qui in præsenti casu, ut idoneum eligeret, Sacerdotem extraneum debuit evocare. Ac tandem ad VI. dubium censet, eam supra Parochos præcedentiam tribuendam esse Canonicis Collegiatæ, quam illis tribuunt Sac. Rituum Congregationis decreta, præsertim in *Verulana* 11. *Decemb.* 1613., *& in Senogallien.* 23. *Martii* 1619., *& 4. Aprilis* 1620.

Ut duo priora dubia definiantur, habendæ præ oculis sunt Synodales Pisaurensis Diœcesis Constitutiones. Iis autem prætermissis, quæ ab Episcopo Alexandro Avio editæ fuerunt, præstat eas referre, quas hodiernus Episcopus promulgavit *tit.* 7. *num.* 53.. Sic itaque dispositum = *Ægrotante Parocho, Parochus vicinior ex eadem tamen Vicaria, ad eum accurrat, Sacramenta ministret, assistentiam morienti præstet, & donec de Œconomo per nos provisum fuerit, Parochiæ curam geret. Ipso mortuo funus ejus peragat, Clericis omnibus tam suæ quam defuncti Parochiæ adhibitis, quos cæteris præferri volumus, quatenus defuncti hæredes in talem numerum consentiant; Eidem præterea viciniori Parocho emolumenta omnia funeralia assignamus.*

Sin autem Parochus ipse in sua infirmitate confidentiorem sibi Sacerdotem Parochum, vel etiam simplicem Confessarium habere maluerit, licet huic sic per infirmum electo, eidem Sacramenta ministrare, eique in agone extrema pietatis officia persolvere. In

hoc

hoc tamen casu funus, & reliqua post mortem, ut supra dictum est, peragenda, adhuc ad viciniorem ejusdem Vicariæ Parochum spectabunt, qui exequiis peractis funeralia emolumenta percipiet. Quando verò a nobis infirmo Parocho Capellanus in adiutorium datus sit, ut ejus vices suppleat, & Parochiam regat, hunc in tali casu loco vicinioris Parochi substituimus, isque funus peraget, & funeralia consequetur. Parochi morte sequuta quilibet ex Assistentibus prædictis sollicitus sit de eadem nos certiores facere, ut Oeconomum deputare valeamus, qui tamen Parochiæ administrationem non suscipiat, nisi post exequias omninò completas = Hæc Synodus.

Expendendum modò est, an quæ de Parochialibus statuta sunt, ad Collegiatam quoque Ecclesiam trahi debeant: Ulterius, an Parochi nomine intelligatur etiam Prior, seu prima Capituli Dignitas, cui Animarum cura adnexa est: Ac demum, an eadem militet ratio tam pro Ecclesia simpliciter Parochiali, quam pro Ecclesia Parochiali simul, & Collegiata, cui cum Sacerdotes, ac præsertim Canonici non desint, omne idcircò abest periculum, ne Priori ægrotanti deficiant Sacri Ministri, qui Spiritualem opem illi ferant, ut in aliis ruralibus Parochiis contingere posset.

Quo verò ad Oeconomi deputationem, in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* decretum fuit ut *debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.* Ac de Vicario, seu Æconomo paulo infra disponitur, quod *Ecclesiæ custodiam, & administrationem* gerere debeat.

Patet ex citato decreto, ad Episcopum pertinere Oeconomi deputationem, idque etiam pluries declaravit Sac. hæc Congregatio apud *Garz. de Benef. part.* 9. *nu.* 8., 11., & 124. Inter cætera tamen statuit, *quod licet constituere Vicarium ad custodiam Ecclesiæ vacantis spectet ad Episcopum; tamen in casibus repentinis, si Vicaria est ad præsentationem alicujus Collegii, illum potest constituere quam primum, donec Episcopus certior sit factus, & providerit.* Verum quia tam a Concilio Tridentino, quam in declarationibus Sac. Congregationis sermo tantummodò habetur de Ecclesiis Parochialibus vacantibus, idcircò recurrit reflexio, an quæ disposita, & explicata sunt, aptari possint Ecclesiæ Collegiatæ, ejusque Priori curam Animarum adnexam habenti.

In relato Concilii Tridentini decreto constituendus dicitur Vicarius *si opus fuerit*: Quæsitum proindè extitit quid hæc clausula importaret, & Sac. Congregatio respondit, ideo fuisse adiectam, *quia in eadem Ecclesia possent adesse alii Ministri Sacramentorum, qui interea curam quoque illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent, vel aliqui vicini Parochi li-*

libenter idem præstarent, aut alii similes casus evenirent, quibus appareret, non opus esse constituere alium Vicarium. Hæc tamen excludunt tantùm necessitatem constituendi Vicarium, non verò adimunt Episcopo facultatem, illum pro suo arbitrio deputandi, etiam ubi alii Sacramentorum Ministri non desint.

Ad præsentem quæstionem quod attinet animadvertenda sunt, quæ monet Ceccoperus *lib. 4. tit. 15. num. 40.* Ait enim, quod vacante prima Dignitate Ecclesiæ Collegiatæ, jurisdictionem in foro tantum interiori habente, ob curam Animarum eidem adnexam, Ecclesia propter ejus mortem dicitur viduata quoad curam Animarum, non tamen quoad Ecclesiam Collegiatam, quæ a majori Canonicorum parte gubernatur, quia Capitulum idem jus retinet in condendis Statutis, rebusque Capitularibus disponendis, sed non in præjudicium jurium Parochialium vacantis Dignitatis. Deindè sic pergit = *Cæterum in Collegiata, ut supra viduata, saltem ex congruitate, in Vicarium, & Oeconomum, quoad jura, & officia Parochialia, & redituum ad dictam primam Dignitatem spectantium exactionem, deputandus est ab Episcopo aliquis idoneus ejusdem met Capituli Canonicus, quod erit in honorem ipsius Ecclesiæ Collegiatæ, ac in recisionem litium, quæ facilius evenire possent inter Vicarium extraneum a Capitulo, & Canonicos Collegiatæ, ut suadetur ex his, quæ tradunt Grat. discept. foren. 1. & 298., ac Rubr. singul. part. 1. ad decis. 126. Lancellot.*

Super VI. dubio perpendendæ sunt plures, quæ ea de re prodierunt Sac. Rituum Congregationis resolutiones, ex quibus apparet, Canonicos Ecclesiarum Collegiatarum præcedere debere omnibus Rectoribus, Plebanis, ac Presbyteris Ecclesiarum Parochialium in publicis supplicationibus, & functionibus etiam Synodalibus, ut in *Verulana 11. Decembris 1613.*, & in *Senogallien. 23. Martii 1620.*, etiamsi antè erectionem in Collegiatam commixtim, ac promiscuè incederent cum dictis Rectoribus, ut in *Syracusana 20. Decembris 1601.*, & licet inferiores Ecclesiæ essent antiquiores, & fuissent in quasi possessione præcedendi ante erectionem, quemadmodum in *Illerden. Præeminentiarum 26. Iunii 1602.*, ac non obstante clausula in erectione adiecta = *Sine præjudicio ulicujus* = ibid.

Post hæc EE. PP. definient.

I. *An jus administrandi Sacramenta infirmo Priori Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli, & eidem mortuo funus peragendi, spectet ad Canonicum Sen. Capituli ad Confessiones approbatum, seu potius ad Parochum viciniorem in casu &c.*

II. *An, & cui debeantur emolumenta funeris in casu &c.*

III. *An post mortem Prioris sit locus deputationi Oeconomi, seu potius succedere debeat in exercitio Curæ Animarum usque ad electionem novi Prioris dictus Canonicus Senior ad Confessio-*

siones approbatus, absque ulla Episcopi approbatione in casu &c.

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

IV. *An Oeconomus deputandus debeat esse de gremio Capituli in casu &c.*

Et quatenus negativè.

V. *An, & quas functiones in Collegiata Ecclesia peragere possit extraneus Oeconomus in casu &c.*

VI. *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli præcedere debeant Parochis, aliisque Presbyteris in Processionibus, & functionibus omnibus etiam Synodalibus in casu &c.*

CASALEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. Cum Marchio Franciscus Mossius emptionis titulo acquisivisset Latifundium di Camporello, onus quoque assumpsit celebrationis Missæ quotidianæ in rurali Ecclesia ibidem constructa adimplendum ex dispositione Antonii Valletta, qui tam pro isto, quam pro aliis nonnullis piis Legatis ejusdem Latifundii medietatem speciali hypothecæ subiecerat. Quamvis autem ratione oneris Missarum illius æstimatio imminuta fuerit in scutis 900., quæ minus justo pretio emptor persolvit, nihilominus ut assumpto oneri, cui nunquam defecit, Mossius satisfaceret, Capellani stipendium fere ad duplum summæ a Testatore præfinitæ debuit augere. Dubitans tamen ne ob aeris insalubritatem ex magna Orizarum copia provenientem, difficilis, vel forte impossibilis reddatur oneris exequutio, deficiantque Sacerdotes, qui ad designatam Ecclesiam celebraturi accedant, Missarum translationem ad aliam Ecclesiam postulavit, proposito dubio = *An, & quibus diebus sit locus translationi oneris Missarum in casu &c.* = Sed suspensa resolutione EE. PP. die 13. Julii anni nuper elapsi demandarunt, ut exhiberetur integrum Antonii Valletta testamentum; Eoque nunc exhibito, idem dubium hodie reproponitur. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Repetit Marchio Mossius, quæ in folio ejusdem diei. opportune resumendo, relata fuerant, aeris scilicet insalubritatem prohibere, ne aucto etiam stipendio Sacerdotes inveniri possint, qui in loco inhabitent, cum Capellani, qui ad aliquod tempus ibidem morati sunt, gravi morbo correpti fuerint, prout Medici Regionis, & Testes deposuerunt. Insuperque ob exiguum Sacerdotum numerum difficile admodum fore aliquem invenire, qui illuc se quotidie conferat, ut Missam celebret. Hinc ne Testatoris dispositio inanis, & sine effectu remaneat, necesse putat petitæ translationi indulgere, cujus ope tutiori illius implemento prospicitur. Præ-

Præsertim quia Testator in demandanda Missarum celebratione, nec Loci Incolarum, nec ullius commodum respexit, sed tantummodò Animæ Suffragium, quod in quacumque Ecclesia consequitur: Ac præterea ruralem Ecclesiam Camporelli non ita absolutè, ac taxativè designavit, ut in ea tantùm, & non alibi Missarum celebrationem indixerit.

Addit non eam fuisse Testatoris mentem, ut omnes omninò medietatis Latifundii reditus in demandatam onerum satisfactionem, sed solum pro aliqua rata in eam cautam erogarentur, prout ex nonnullis Testamenti Locis desumit; proindeque arguit, quod si ex justa aliqua ratione onerum reductio competeret, multò sanè magis ex relatis circumstantiis rationabilis Missarum translatio videatur.

Ex toto Testamenti contextù EE. VV. circumferendo patet, medietatem Latifundii Camporelli pluribus perpetuis oneribus fuisse subiectam. Petitio Marchionis Mossi respicit tantùm translationem Missarum a rurali Ecclesia Camporelli, ut tutiori illarum satisfactioni prospiciatur: Huic autem petitioni an sit annuendum, viderint EE. PP., a quibus quæritur.

An, & quibus diebus sit locus translationi oneris Missarum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ROMANA DISRTIBUTIONIS DOTIUM. Instituta hærede Ven. Societate S. Appolloniæ erecta in Ecclesia Divi Augustini de Urbe, mandavit Petrus Nicolaus Fantotius Civis Matelicanus, ut omnes suæ hæreditatis fructus erogari deberent in tot Subsidia dotalia scut. 35. favore Puellarum *figlie di Vedova, o Vedovo, o Orfane, e che siano povere, ed anche figlie di persone onorate, e che abbino al meno 18. anni*. Addidit tamen = *caso che in Roma vi fossero Zitelle di onesti Parenti, che fossero discesi da miei Paesani, che arrivino all'età sopradetta, siano sempre preferite all'altre*.

Ad tollendas exortas inter concurrentes quæstiones, invectosque abusus, Cardinalis Franzonus auctoritate Apostolica anno 1691. plura edixit. Ac primo quidem, ut præferrentur Puellæ utroque Parente orbatæ, dummodò a Matelicanis descenderent, & in Urbe a quadriennio saltem morarentur. Deindè, ut admitterentur Puellæ alterutro ex Parentibus carentes, & iisdem pollentes requisitis descendentiæ a Matelicanis, & permanentiæ in Urbe a quadriennio. Hæc autem requisita adesse voluit in aliis Puellis utrumque Parentem habentibus, quas tertio loco ad subsidiorum dotalium assequutionem admitti præcepit. Ac demum in quolibet ex relatis casibus præferri jussit Puellas a Matelicanis descendentes, quæ in Urbe natæ fuissent,

sent, exhibita tamen, prout de omnibus disposuerat, fide honestatis, paupertatis, & ætatis testimonio.

Id tamen nec satis fuit ad multiplices tollendas quæstiones, quæ circa remotissimam Puellarum a Matelicanis descendentiam pro assequutione dotalium subsidiorum solent excitari: Quare Societatis Deputati, ut tutius, & absque ullius præjudicio in illorum collatione procedant, Sententiam exquirunt Sac. Congregationis, a qua definiri supplicant, ad quem usque gradum Puellis a Matelicanis descendentibus dotalia subsidia debeantur.

Præferri autem putant, quæ ex utroque Parente a Matelicanis descendente trahunt originem, idque conforme existimant dispositioni Testatoris, qui prætulit Puellas *di onesti Parenti, che fossero discesi da miei Paesani*. Parentum autem appellatione immediatos tantum comprehendi sustinent, quoties de superioribus gradibus distincta habita ratio est; ipsamque Parentum sub plurali numero vocationem, tam Patrem, quam Matrem clare indigitare *Rot. in Tyrasonen. Beneficii de Corella 5. Maii 1745. §.8. coram Canilliac, & in Pampilonen. Beneficii de Asteasù 14. Iunii 1751. §.6. coram Eminentissimo Elephantutio*.

Deficientibus verò Puellis ex utroque Parente a Matelicanis descendentibus, eas tantum admittendas existimant, quæ ex Avo materno, vel etiam Proavo descendunt, rejecta origine Aviæ, vel Proaviæ. Advertunt enim descendentiam a Matelicanis nequaquam referri ad ipsas Puellas, sed ad earum Parentes, eamdemque descendentiam cum adiectione originis nunquam protrahi posse ultra Patrem, & Avum, quos ultra nulla amplius origo consideratur *Rot. decis.193. num.17. part.7. Rec.*, neque ampliari posse ad Matrem, vel Aviam, a quibus nulla origo desumitur *l. Incolæ 29. ff. ad muncip.*, *& l. filios Cod. de municip.*, *& orig. lib.10.*

Addunt, rem esse plenam periculi, summæ que molestiæ, perantiquas descendentias in obscuris familiis perscrutari. Absurdum verò, quod Puellis ex Patre, & Avo Matelicano descendentibus præferantur aliæ nonnisi remotissimè a Matelicanis ducentes originem. Iniquum denique, ut ferè perpetuò arceantur Puellæ Romanæ in prima dispositionis parte vocatæ ob existentiam aliarum ab uno, vel altero Matelicano Parente pervetustam descendentiam proferentium. Ne itaque Testatoris dispositio subvertatur, necesse fore concludunt descendentiæ gradus coercere. *Card. de Luc. de dot. disc.173. num.7.*

Idque consonum esse dicunt tum decreto Cardinalis Franzoni, tum universæ aliorum Locorum Piorum Urbis observantiæ. Ideo enim censent Cardinalem Franzonum moram in Urbe a quadriennio requisivisse, quia prævidit Puellarum ortum in Civitate Matelica. Alia verò Pia Loca Ur-

Urbis, quibus onus ineſt dotalia ſubſidia nationalibus Puellis conferendi, eas omnes arcere; quæ tertium gradum ſunt prætergreſſæ.

Emus Urbis Vicarius de ſua Sententia requiſitus hæc habet = *Verum perpenſo tum Teſtamento, tum decretis Franzonianis, nihil proponi videtur, cur eadem ſit facienda coercitio voluntatis Teſtatoris, qui verbis illis*, che foſſero diſceſi da miei Paeſani, *univerſos utique deſcendentes comprehendit, proindeque omnes Puellas, quæ ſuam repeterent originem etiam a Pronvis, Abavis, aliiſque Majoribus Matelicanis. Quorum ſane verborum infinitam ſuapte natura poteſtatem comprobant decreta Franzoniana, quorum tertio explanatius cavetur, ut admittendæ ſint Virgines a Matelicanis quomodolibet deſcendentes.*

Omnibus itaque perpenſis dijudicandum ab EE. VV. erit.

An, & ad quem uſque gradum Puellis deſcendentibus a Matelicanis debeantur ſubſidia dotalia Fantozzi in caſu &c.

Seſſ. 25. cap. 4 de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Cæteras inter Puellas, quæ præferri petierunt ad Subſidia dotalia relicta a Petro Nicolao Fantozzio, de quibus in priori dubio actum eſt, primum ſibi locum competere exiſtimarunt Gertrudes, & Anna Sorores Rovatti, utpotè a Matelicanis, immò, & a pii Fundatoris conſanguineis deſcendentes. Innitebantur præſertim exemplo Amitarum Thereſiæ, & Angelæ Rovatti, nec non Mariæ Rovatti Sororis, quarum primæ anno 1727., poſtrema verò anno 1753. eadem dotalia ſubſidia obtinuerunt. Cum tamen Oratricum petitioni obſtiterint Deputati Ven. Sodalitii S. Appolloniæ, eique annuendum minimè eſſe deliberaverint; idcirco, ut voti compotes evaderent, judiciale ſuorum jurium experimentum coram Sac. Congregatione proponunt.

Aſſerunt Oratrices, omnibus præditas ſe eſſe qualitatibus a Teſtatore, & a Cardinali Franzono requiſitis, primò quia deſcendunt ex Matelicana Familia, prout evincitur ex Teſtibus, & ab exemplis Amitarum, & Sororis, nec in re favorabili rigidam, & per ſingulos gradus diſtinctam probationem deſiderari. Deindè quia pauperes ſunt, cum ipſarum Pater jam ſenio confectus vix propria lapicidæ arte familiæ indigentiis poſſit occurrere, nihilque præter quintam partem affictus unius fideicommiſſariæ Apothecæ poſſideat. Nullum denique de propria, vel de Parentum honeſtate dubium oriri poſſe: hinc ex clara Teſtatoris voluntate, & vigore decretorum Cardinalis Franzoni aliis omnibus eſſe præferendas.

Ad-

Addunt, certam evinci propriam a Consanguineo Testatoris descendentiam; & hac de causa affictum Apothecæ titulo fideicommissi ab eo instituti possidere. Nimi autem magis consonum esse Testatoris voluntati, quam ut consanguineæ præferantur extraneis; idque agnitum, & definitum fuisse, dum, contradicente Sodalitio, Amitæ, & Soror Oratricum eadem jura deducentes dotalia subsidia sunt assequutæ.

Perperam verò pretendi a Deputatis Sodalitii, descendentiam a Matelicanis ad tertium usque gradum ex linea masculina fore coercendam. Advertunt enim *descendentium* vocationem nullo gradu cohiberi, sed ad omnes in infinitum descendentes protrahi §. 1. *Auth. de hæred. venien. ab intest.*, & sub eadem *descendentium* appellatione etiam fœminas comprehendi per pluries fœminarum gradus provenientes *Rot. in recen. decis. 436. num. 9. par. 5.*

In nihilo demum obstare, Oratricum Parentes adhuc esse in humanis, cum nullibi respectu Puellarum descendentium a Matelicanis præscriptum fuerit, ut debeant esse Orphanæ, sed id solum quoad alias Puellas requiratur. Injuria ergo hujusmodi qualitatem requiri putant in descendentibus a Matelicanis; Maxime quia Cardinalis Franzonus in tertio decreto præferendas edixit *Virgines utcumque Parentem habentes a Metelicanis quomodolibet descendentes*.

Sed contra Sodalitii Deputati deesse in Oratricibus sustinent originem Matelicanam, cum proveniant ex Patre, & Avo in Urbe natis, eamque nonnisi a remotioribus ascendentibus a longo jam tempore defunctis posse desumere. Existimant proindè, habendas esse tanquem origine Romanas, quam ab ascendentibus lineæ masculinæ, Patre scilicet, & Avo sortitæ sunt. Nec allegari posse exempla Amitarum, & Sororis, quæ nonnisi ex gratia, & speciali habilitatione dotalia subsidia obtinuerunt. Gratiam verò, & habilitationem juris defectum supponere *Rot. in Firmana Capellaniæ 6. Decembris 1752. §. 3. coram Buffio*.

Assertam verò consanguinitatem cum Testatore nullibi probari, probatamque nihil relevare, cum undique fallax, & æquivocum sit argumentum ex consanguinearum prædilectione desumptum, præsertim in aliarum Puellarum præjudicium *Vrsaya discept. 2. tom. 3. part. 2.* Sacra Congregatio *in Romana Subsidiorum dotalium 11. Septembris 1717., & in Messanen. Subsidiorum dotalium 19. Novembris 1718.*. Potissimum quia non solum res est de consanguineis remotissimis, ad quas extendi nequit charitatis ratio coercita intra quartum gradum jure civili computandum, *Rot. coram Emerix Iun. decis. 898. num. 2.*, sed etiam quia iisdem consanguineis Puellis peculiare legatum fuit a Testatore relictum, proindeque a cæteris bonis censentur exclusæ.

Denique observant, nec Orphanas esse, nec alterutro Paren-

te orbatas, nec paupertatem, prout Teſtator præſcripſit evincere. Hinc nulla ratione poſſe prælationem efflagitare, ſed eſſe omninò reiiciendas, quemadmodum rejecta olim fuit Eleonora Catharina Fundati, quæ ex titulo originis Matelicanæ, & ex conſanguinitatis prærogativa præferri petierat, prout in *Romana Subſidiorum dotalium* 13. *Aprilis* 1720.

Super hac controverſia Emus Urbis Vicarius poſtquam retulit, quæ ab utraque Parte coram ipſo deducta ſunt, ita concludit = *Quando itaque cum Matelicanis eiſdem Puellis ſupplicantibus, minimeque Orphanis, aliæ non concurrant Matelicanæ Puellæ Orphanæ, vel alia quacumque ratione miſerabiliores, ego quidem exceptiones Deputatorum inſuper haberem.*

Teſtator Matelicanus prætulit Puellas *di oneſti Parenti, che foſſero diſceſi da miei Paeſani*. In tertio decreto Cardinalis Franzoni cautum fuit, ut *admittantur Virgines utrumque Parentem habentes a Matelicanis quomodolibet deſcendentes*. Appellatione verò Parentum non ſolum veniunt omnes deſcendentes per lineam maſculinam in infinitum, ſed etiam per fœmininam, inquit *Gajus in l.* 51. *ff. de verb. ſignif.* = *appellatione Parentis non tantum Pater, ſed etiam Avus, & Proavus, & deinceps omnes ſuperiores continentur, ſed & Mater, & Avia, & Proavia.*

Hanc ſententiam probavit *Vulpianus in l* 4. *§.* 2. *ff. de in jus vocan.* = *Parentes hic utriuſque ſexus accipe; ſed an in infinitum quæritur? Quidam Parentem uſque ad Tritavum appellari ajunt, ſuperiores majores dici. Hoc veteres exiſtimaſſe Pomponius refert, ſed Gajus Caſſius omnes in infinitum Parentes dicit, quod & honeſtius eſt, & merito obtinuit* = *Et in l.* 1. *§.* 1. *ff. de legat. præſt.* habetur = *Generaliter Parentes, & liberos Prætor excepit, nec gradus liberorum, perentumve enumeravit. In infinitum igitur eis præſtabitur. Sed nec perſonas proſequutus eſt, vtrum ex virili ſexu, & ex fœmineo deſcendant. Qui ſquis igitur ex liberis, Parentibuſque fuerit, ad legati petitionem admittetur.*

Verbum *diſceſi* a Matelicanis, quod latinè ſignificat *deſcendentes*, ut etiam explicat Cardinalis Franzonus in ſuis decretis, nullam certè graduum reſtrictionem patitur, ſed omnes deſcendentes in infinitum comprehendit, *§.* 1. *Auth. de hæred. ab inteſt. venien.*. Videndum itaque in præſenti caſu, an validæ urgeant conjecturæ, ex quibus deſumi poſſit, deſcendentiæ vocationem ad certum gradum fuiſſe coercitam.

Veſtrum nunc erit EE. PP. dijudicare.

An Gertrudi, & Annæ de Rovatis debeatur ſubſidium dotale Fantozzi, etiam prælativè quoad alias Puellas in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 25. Januarii 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUæ in præterita Congregatione diei 11. labentis menſis indeciſæ remanſerunt Cauſæ, eæ in hodierno folio priori loco tranſcribuntur, aliæque adjiciuntur, ut ſuper omnibus EE. VV. ſapientiſſimum judicium prodeat,

PISAUREN.

I. *An jus adminiſtrandi Sacramenta infirmo Priori Collegiatæ Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli, & eidem mortuo funus peragendi, ſpectet ad Canonicum Sen. Capituli ad Confeſſiones approbatum, ſeu potius ad Parochum viciniorem in caſu &c.* *Seſs. 24. cap. 18. de Reform.*

II. *An, & cui debeantur emolumenta funeris in caſu &c.*

III. *An poſt mortem Prioris ſit locus deputationi Oeconomi, ſeu potius ſuccedere debeat in exercitio Curæ Animarum uſque ad electionem novi Prioris dictus Canonicus Senior ad Confeſſiones approbatus, abſque ulla Epiſcopi approbatione in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

IV. *An Oeconomus deputandus debeat eſſe de gremio Capituli in caſu &c.*

Et quatenus negativè.

V. *An, & quas functiones in Collegiata Eccleſia peragere poſſit extraneus Oeconomus in caſu &c.*

VI. *An Canonici Collegiatæ Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli præcedere debeant Parochis, aliiſque Presbyteris in Proceſſionibus, & functionibus omnibus etiam Synodalibus in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam. Ad II. Deberi Capitulo. Ad III. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam. Ad IV. Arbitrio Epiſcopi, & ad mentem. Ad V. Functiones tantùm Parochiales. Ad VI. Affirmativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CASALEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.

An, & quibus diebus sit locus translationi oneris Missarum, in casu &c.

Affirmativè pro diebus ferialibus tantùm juxta votum Episcopi.

Sess. 25. cap. 4. de Reformat.

ROMANA DISTRIBUTIONIS DOTIUM.

An, & ad quem usque gradum Puellis descendentibus a Matelicanis debeantur Subsidia dotalia Fantozzi, in casu &c.

Affirmativè usque ad quemcumque gradum in infinitum.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

An Gertrudi, & Annæ de Rovatis debeatur Subsidium dotale Fantozzi, etiam prælativè quoad alias Puellas, in casu &c.

Affirmativè servata dispositione Testamenti, & decretis Cardinalis Franzoni.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

SENOGALLIEN. IRREGULARITATIS. Infantem ex illicito actu susceptum necavit die 22 Septemb. 1770. infamis Fœmina *Maria Antonia Limata* e Terra Corinaldi addicta servitio *Sacerdotis Lucæ Baldoni*, qui una cum Fratria, suaque familia morabatur in Castro Montis Portii Senogallien. Diœcesis, ubi munus Capellani gerebat. Vulgato infanticidii rumore, Mulier aufugit, patriamque repetiit. Veritus idcirco *Sacerdos Lucas*, ne molestias a Curia Ecclesiastica pateretur, sollicitus adiit ejusdem Oppidi Montis Portii Baronem, habuitque de delicto sermonem, indicata persona, & loco confugii Delinquentis; mox sceleста Fœmina capta, condignaque capitis pœna mulctata fuit Maceratæ *die 29. Martii anni elapsi*.

Bona fide Sacerdos Lucas per aliquot menses Sacra peregit, sed dein monitus a Religioso Viro de incursa irregularitate, a Missæ celebratione abstinuit, precesque pro dispensatione dedit. Verum modo dubitans, an revera irregularitatem contraxerit, quærit primum de irregularitatis incursu, deinde de dispensatione ad cautelam.

Ad primum inquit duo requiri ad irregularitatem ex defectu lenitatis incurrendam, *alterum* ut quis efficacem, & proximam in necem Delinquentis causam dederit, *alterum*, ut non

non ſua jura protuendi, & proſequendi cauſa, ſed tantum vel æſtu vindictæ, vel ex levitate, aut protervia in punitionem conſpiraverit. Neutrum vero in caſu concurrere. Delictum enim æquè ac perſonam, & locum confugii ſtatim publicum redditum fuiſſe, omnibuſque innotuiſſe, ipſumque Baronem illicò capturam demandaſſe. Indubiè hæc omnia evinci ex teſtimonio Baronis, Parochorum, aliorumque Sacerdotum Montis Portii. Nihil ergo cooperaſſe vel in capturam, vel in necem delinquentis Fœminæ, nihilque occultum revelaſſe, dum Baronis opem imploravit, ut propriæ exiſtimationi conſuleret.

Hinc nullius momenti ad rem eſſe plura colloquia cum Barone habita: Hæc enim de re publica, ac notoria fuiſſe, nec ad capturam, vel necem Delinquentis directa. Cæterum ea tamqiam extrajudicialiter facta ad ſuum honorem protuendum, moleſtiaque Curiæ Epiſcopalis vitandas, penitus inepta eſſe ad irregularitatem *Gonzalez in Cap. De cætero de homicid. num.* 10., imo ab hac etiam eum excuſari, qui animo tantum res ſuas defendendi judicialem querelam inſtituit *Cap. Prælatis de homicid. in 6.*

Ad II. ſaltem poſtulat in qualibet dubietate diſpenſationem ad cautelam. Non enim malo animo, ſed tantum ad propriam famam, honoremque ſervandum colloquia cum Barone habuiſſe. Rem non eſſe de Sacerdote promovendo, ſed de jam promoto, & provecto, optimorum morum, ſummique exempli, & ædificationis, cui nec minima delicti umbra imputari potuit. Potiſſimum quia convenit judicium Epiſcopi, & ſuadet quoque neceſſitas Populi, qui ob Sacerdotum inopiam petitam diſpenſationem maxime exoptat.

Mulctam vero, quam infligendam, cenſuit Epiſcopus, falſis, ac erroneis facti circumſtantiis innixam eſſe, quia ſcilicet ob indicatum ab Oratore nomen delinquentis, & locum confugii ea Fœmina capta fuerit. Nam perperam expreſſum fuiſſe dicit in precibus ipſius Oratoris nomine ab ejus Agente in Urbe porrectis; Cæterum ubique notoriam fuiſſe tam perſonam, quam locum confugii, ipſumque Baronem ſtatim capturam demandaſſe. Locum ideo non fuiſſe prætenſæ mulctæ, ſtatim ac quævis deeſt Oratoris culpa, & cauſa proxima carcerationis dictæ ſceleſtæ Fœminæ.

Epiſcopus poſt relatam facti ſpeciem hæc habet = *Plura quidem in hac facti ſerie culpabilem hunc Sacerdotem reddunt. Primum quod famulam juvenem male olentem diu Domi retinuerit, nulla adhibita iſtius cuſtodia, nec ulla præhabita licentia ab Ordinario contra edictum ab anno uſque 1760. per me evulgatum ad tramites Sacri Concilii Tridentini, & Inſtitutionis San. Mem. Benedicti XIV. Alterum delatio facta Poteſtati Laicæ, unde Mulier infanticida damnata eſt ad ultimum ſupplicium. Tertium denique ignorantia nimis craſſa Sacrorum Canonum irregularitatis*

tis impedimentum ſtatuentium in eos, qui alterius mortem proxime vel cauſant, vel accelerant. Quibus attentis ne triplicis culpæ, & quidem inexcuſabilis reus a pœna omnino immunis abeat, antequam diſpenſationis beneficium, quod in adjunctis præcibus EE. PP. fretus benignitate, & clementia obtinere exorat, non levi mulcta in pios ejus eroganda, æquo jure puniendum eſſe cenſerem.

Irregularitas ex homicidio contrahitur aut facto, aut præcepto, aut conſilio, juxta *Textum in Cap. Sicut §. Clericos*, ibi = *Et illos, qui conſilium dederunt* = & *Cap. Significaſti* = ibi = *Neque ipſius ſtudio, conſilio, vel mandato tit. de homicid.*, & notabilis eſt *Gloſſa in dicto Cap. Sicut §. Conſilium* ibi = *Nota quod homicidium committitur facto, conſilio, præcepto, & defenſione, & ſic diſtingue circa hanc materiam, aut committitur homicidium voluntate, aut caſu, aut neceſſitate. Si voluntate, quod ſit tribus modis facto, præcepto, aut conſilio.*

Hinc irregulares evadunt Aſſeſſores, & Conſiliarii, qui vel Judici in ferenda ſententia aſſiſtunt, vel ſuo ſuffragio, aut conſilio juridice promovent. Advocati item, Accuſatores, & Teſtes contra reum in cauſa criminali pœnam ſanguinis inducentes *can. aliquantos diſtinct.* 52., & *can. bis a quibus* 30. *cauſ.* 23. *quæſt.* 8. Qua de re Sacra Congregatio in *Dub. irregularitatis* 19. *Januarii* 1687. declaravit, Scribas ſcribentes proceſſus, vi quorum rei ad ultimum ſupplicium damnati fuerunt, irregulares eſſe *lib. decr.* 37. *pag.* 13. Irregularem item declaravit Clericum propter accuſationem, ex qua pœna mortis ſecuta eſt, ut in *Dub. Irregularitatis* 22. *Aprilis* 1673. *lib. decr.* 28. *pag.* 75., & eum quoque Clericum, qui conſuluit ut honor defenderetur ſanguine, & de facto ſecuta fuerit occiſio, ut in *Dub. Irregularitatis* 15. *Decembris* 1674. *lib. decret.* 28. *pag.* 402.

In *Albinganen.* 23. *Martii* 1697., Joannes Baptiſta Aſcherius damnatus fuerat in contumaciam ad Triremes per quatriennium, & varia inferebat damna Territorio cum magno Incolarum terrore. Magiſtratus Loci ſollicitus de illius captura, uſus fuit opera, & machinatione Sacerdotis Alberti Gaſtaldi eius amici, qui emendicato quodam prætextu eum ad aliud Oppidum traduxit, perventiſque ambobus ad quemdam Pontem, cum ad ſignum ſtudioſe datum per Albertum accurriſſent Satellites ibidem latitantes, Joannes Baptiſta, ut illorum manus evaderet, præceps ruit in vicinum flumen, in quo nemine opem ferente infeliciter periit. Sacra Congregatio reſcripſit *diſpenſandum ſuper irregularitate ad cautelam lib. Decret.* 47. *pag.* 112.

In *Roſſanen. Irregularitatis* 20. *Martii* 1734., in qua cum Clericus Antonius Marchiano adſciviſſet Satellites, eoſque vehementer ſtimulaſſet ad Demetrium Piſarra vinculis

Iis, & custodia coercendum, isque interfeciisset hominem a Satellitibus sociatum, propositis. I. *An Clericus Antonius Marchiano ex causa præmissa irregularitatem contraxerit, & quatenus affirmative = An sit cum eo dispensandum?* respondit *pro dispensatione ad cautelam, & amplius.*

Placeat itaque EE. VV. declarare

I. *An constet de irregularitate.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An sit locus dispensationi, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

NEOCASTREN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. Post editam anno 1744. Constitutionem san. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis a quotidiana Missæ pro Populo applicatione cessarunt, eamque diebus tantùm Dominicis, & festis imposterum applicarunt. Dubitatum tamen fuit, jure ne, an perperam ita se gesserint, proindeque die 26. Januarii anni præteriti, Eminentissimi PP. injungendum censuerunt Vicario Apostolico, ut inquireret quibus fundamentis innireretur consuetudo quotidie applicandi in unaquaque Parochia Missam pro Populo, & an ad aliquam dispositionem, seu speciale causam ea referri congruè posset. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

Ut injuncto sibi muneri satisfaceret Vicarius Apostolicus, acta transmisit Pastoralium utriusque Ecclesiæ Visitationum, quæ fusius recensentur in folio diei 13. Julii ejusdem anni, quod opportunè ad Causæ definitionem resumi nunc poterit. Iis autem perpensis non una fuit EE. VV. sententia, sed sciissis in diversa suffragiis, nulla in sequenti Congregatione diei 3. Augusti prodiit resolutio, fuitque demandatum, ut dubium ea de re iterum proponeretur.

Denuo proinde earundem Ecclesiarum Parochi supplicant pro dubii definitione, & innixi memoratæ Constitutioni san. mem. Benedicti XIV., cujus vigore jus sibi fuisse contendunt applicationem Missæ pro Populo ad dies tantùm Dominicos, & festos coercere, sustinent, nulla ratione ad onus gravissimum quotidianæ applicationis posse compelli, attentis præcipuè exiguis Parochiarum reditibus, qui ne ad congruam quidem Parochorum sustentationem sufficiunt.

Nec quidquam obesse perantiquam consuetudinem, quod scilicet prædecessores Parochi quotidie applicaverint, cum difficultas, quæ ex hac consuetudine oriri posset, diluatur

ex

ex actis Visitationum annorum 1612., & 1655., ex quibus deprehenditur, onus tantummodò incumbere Parochis quotidianæ Missæ applicationis in majori utriusque Ecclesiæ Altari celebrandæ, quod quidem ad aliud omninò diversum onus, præterquam ad illud applicationis Missarum pro Populo referri debet, cujus implementum ad certum Altare non est coercitum.

Idque clarius desumi ex actis Visitationis Ecclesiæ S. Mariæ Catholicæ anni 1681., ubi hæc habentur = *Quotidiana Missa ex obligatione Curæ, quæ celebratur per eosdem Curatos per girum* = Neque attendendam esse postremam Visitationem anni 1733., in qua de ejusdem Ecclesiæ oneribus hæc leguntur = *Celebratur Missa in Altari majori pro Populo quotidiè per Rev. Archipresbyterum* = quia cum ex antiquioribus Visitationibus constet, Missam in Altari majori, non quidem pro Populo, sed *ratione Curæ* fuisse applicatam, existimari debet, Visitatorem fuisse deceptum, dum Missarum onus alia ratione majori Altari addictum, ad diversum onus applicationis Missæ pro Populo transtulit.

Sed etiamsi Prædecessores Parochi quotidiè Missam pro Populo applicaverint, contendunt nihilominus, ex voluntaria illorum applicatione, ac nimia erga Parochianos charitate obstringi Successores non posse ad subeundum onus, quod de jure non inest, cum nunquam in necessitatem transeant, quæ ex alicujus voluntate procedunt.

His, aliisque jam alias deductis assueta maturitate perpensis, dijudicandum erit

An Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur Missam applicare quotidie pro Populo, vel tantum Dominicis, & festis diebus, in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

NEPESINA REDUCTIONIS MISSARUM. In Testamento, quod anno 1613. condidit pia Mulier Portia de Paulettis comparandum jussit ex bonis suis censum in forte scutorum quinquaginta, cujus fructus perpetuo inservirent celebrationi duarum Missarum lectarum quolibet mense, & unius annuæ Missæ solemnis in die festo S. Antonii Abbatis, & celebratio fieret a Rectore pro tempore Capellæ S. Joannis Evangelistæ erectæ in Parochiali Ecclesia Terræ Morlupi, jussitque, ut in hanc Capellam transferretur tabula picta Divi Antonii Abbatis imaginem exhibens, ab ipsa Testatrice alibi prius locata.

Testatricis Hæredes loco acquirendi, & addicendi censum Capellæ, curam habuerunt ad mensem usque Majum superioris anni 1771., ut propriis sumptibus onera adimplerentur; occasione vero Pastoralis Visitationis eo mense ab Episcopo peractæ adacti fuerunt, ita petente Capellano, an

ad assignationem census, qui majorem haud reddit fructum quam scutorum 2. 50.. Cum autem hodiernus Capellanus animadverterit, hunc reditum omnibus subeundis oneribus imparem esse, preces exhibuit pro Missarum reductione. Parochus, aliique de Clero Morlupi, quibus præfixus fuit terminus ad jura sua deducenda, renuunt sese in lite implicare, & non impugnantes duarum Missarum reductionem, alienos se profitentur a præstatione consensus reductioni sollemnis officiaturæ, nam quum hæc pro more Regionis importet Missam cantatam cum assistentia Sacerdotum, & Clericorum, quibus omnibus hac de causa stipendium persolvitur, præjudicium exinde sibi eventurum existimant.

Episcopus quoque Parocho, & Clero adhærens, censet duas Missas ad unam quolibet mense redigi posse, firma tamen remanente sollemnis Missæ celebratione.

Perpendendum hac in causa occurrit, Testatricem fundum pro onerum implemento prius designasse, deindeque Missarum numerum præfiniviisse. Voluit enim, *che delli beni della sua Eredità si mettino* 50. *scudi a censo, li frutti delli quali servino, e debbano servire in perpetuo per dire due Messe il mese per l'Anima di essa Testatrice, e suoi passati, ed ogn'anno fur l'offizio nella festa di S. Antonio Abbate*. Hoc autem casu Legatum taxative conceptum dicitur, nec hæredes supplere tenentur, quod ad illius implementum defecerit. *Benedict. XIV. de Synod. Diœcesi. lib.* 13. *cap. ult. num.* 32., quam Sententiam sequuta est Sacra Congregatio in *Camerinen. Reductionis Missarum* 24. *Julii* 1677., *in Firmana Reductionis Missarum* 24. *Augusti* 1686., *in Romana Reductionis onerum* 16. *Maii* 1699., & alibi.

Quatenus idcirco onerum reductio sit decernenda, advertere præstat, eam servari regulam, ut alia potius onera reducantur, quam Missarum numerus imminuatur, *Monacell. formul. legal.* 19. *tit.* 10. *part.* 1. *num.* 25., *& seq.* dummodo Testatoris voluntas diversimode non suadeat *Passerin. de stat. hom. tom.* 2. *quæst.* 187. *num.* 1101. Quod si agatur de reducendis, vel Missis manualibus, vel Anniversariis, ista potius, quam illæ reductioni subjiciuntur, *Fagnan. in Cap. Ex parte de Constitut. num.* 34. cum Sacrificia prosint Defunctis per modum solutionis debiti, ut ait *D. Thomas in* 4. *distinct.* 45. *quæst.* 2. *artic.* 4. *ad* 1., & plus suffragii capiant Animæ Fidelium, si plures celebrentur Missæ, quam si ex eleemosyna pro iisdem Missis præstanda unum fieret sollemne Anniversarium cum assistentia plurium Sacerdotum: quia suffragium, quod provenit ex virtute Sacrificii, & operis operati, prævalet ei, quod ex merito, & virtute operantium resultat *Cap. Utrum de consec. distinct.* 2., & ideo præferenda est ea solutionis, seu satisfactionis species, quæ ex virtute Sacrificii procedit, utpote de-

bitori in Purgatorio existenti magis utilis, atque proficua.

Atque hæc fuit Sententia Sacræ Congregationis, a qua cum quæsitum fuisset, quid agendum esset in casu, quo reditus non sufficerent pro adimplemento onerum tum Missarum, tum Anniversariorum, die 4. Augusti 1625. per modum regulæ definivit, *quando aliquod Legatum est complexivum Missæ cantatæ, & Missarum lectarum, tunc omnes Legati reditus, si non sufficiant pro utroque onere adimplendo, erogandos esse in celebrationem tot Missarum lectarum deleto onere Missæ cantatæ, lib. 75. decret. pag. 431.* Et in *Fanen. Reductionis onerum 27. Aprilis 1720.*, cum ageretur de reducendo onere, vel Missarum lectarum, vel Missæ sollemnis, ad dubium = *An, & quomodo sit faciendæ reductio, in casu &c.* = Respondit = *Pro reductione ad manualem deleta Missa sollemni.*

Testatrix fundum designavit pro celebratione duarum Missarum quolibet mense; nec non pro Missa sollemni, quam appellavit *Offizio*, in die festo S. Antonii Abbatis, & hæc Missa sollemnis juxta morem Regionis canitur cum assistentia Sacerdotum, & Clericorum, quibus stipendium persolvitur. Ponderandum idcircò an sollicita magis fuerit de celebratione Missarum lectarum, quam sollemnis Missæ cum cantu; An speciali quodam pietatis impulsu in festo S. Antonii Abbatis sollemne Sacrum indixerit; An Rectorem Capellæ S. Joannis Evangelistæ, cui celebrationem commisit, magis prædilexerit, quam Archipresbyterum, totumque Clerum Oppidi Morlupi, Hisce omnibus perpensis Eminentissimi Patres definient.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum Missarum, in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ALBINTIMILIEN. COMMUTATIONIS ONERIS MISSARUM. Quo tempore in Civitate Albintimilij minor erat Incolarum frequentia, redditus unici, quod semper habuit Nosocomii S. Spiritus, pares comperti sunt recipiendis, curandisque cujusque Nationis infirmis, Minor enim erat infirmorum numerus, vilius pharmacorum, aliarumque rerum pretium, reditus uberiores; sed aucta decursu temporis plebe, redditibus imminutis, & ampliata Victualium æstimatione, modus Nosocomio deesse cæpit, quo gravius pondus posset sustinere. Cogitantes idcirco vigiles illius Protectores qua via possent pii oneris durationi prospicere, ne advenientes infirmos reiicere cogantur, neve ob illorum copiam in majores conjectum angustias omninò dilabatur, nullum opportunius adesse posse remedium existimarunt, quam si reditus nonnullis celebrationis

Mis-

Missarum oneribus addicti, in alimoniam pauperum, & Hospitalis subsidium convertantur.

Tria itaque sunt Legata quorum petunt commutationem; Unum provenit ex dispositione Angeli Orengo qui in testamento condito anno 1637. reliquit Ecclesiæ Beatæ Virginis ab Angelo Annuntiatæ ejusdem met Civitatis Albintimilii libras 500., cum onere celebrationis unius Missæ in unaquaque hebdomada, & cum substitutione Hospitalis, si Ecclesia prædicta legatum recusasset, additis in hoc casu aliis libris 600., cum onere alterius Missæ in ejus Ecclesia celebrandæ. Casus substitutionis evenit, factusque jamdiu est locus favore Hospitalis utrique legato, atque correspectivo duarum Missarum oneri singulis hebdomadis adimplendo.

Alterum habet originem a dispositione Sacerdotis Hieronymi Lanteri condita anno 1670., in cujus bonis ob sequutum hæredum tam institutorum, quam substitutorum obitum, Hospitale successit. Huic hæreditati adnexum erat onus Missæ quotidianæ; sed quia hæreditarii reditus huic ferendo oneri impares deprehensi sunt, idcircò usque ab anno 1720. auctoritate Sac. Congregationis imminutus fuit Missarum numerus juxta eleemosinam in ratione taxæ perpetuæ; atque Episcopus, cui commissa fuerat exequutio, earumdem Missarum numerum in quantitate 173. præfinivit. Bona autem hæreditaria constituunt tum in libris 6464., quæ fructum reddunt librarum trium pro centenario, tum in scutis 345. monetæ Romanę, ex quâ summa fructus scut. 3. cum dimidio percipiuntur.

Tertii tandem auctor est Joannes Maria Gastaldi qui in Supremis tabulis anno 1672. confectis Hieronymę filiæ suæ sine filiis decedenti memoratum Nosocomium substituit, cum onere uniusMissę in qualibet hebdomada, & jamdiu hęc extitit purificata conditio: Sed Episcopus quoad bona hæreditaria hæc ait= *In quo nam consisteret præd. Gastaldi hæreditas, nec ex testamento, nec ex libris Hospitalis apparet. Verosimile autem est, tum hæreditatem hanc, tum alia bona Hospitali legata, cum reliquis ejusde m fundis incorporata, partim divendita, & alienata, partim ratione diversorum contractuum mutasse naturam, & ea esse nomina debitorum, ut ajunt, seu Capitalia census, quæ modò possidet Hospitale.*

Hæc sunt Legata, atque onera, quę Protectores commutari postulant in solamen Infirmorum, & in commodum Hospitalis, donec ad meliorem statum deveniat. Asserunt enim, annuum illius introitum haud excedere libras circiter 1500.; exitum verò certum, non comprehensa Missarum eleemosina, ad libras 562. ascendere, incertum autem, ducto calculo per decennium, libras 1100. anno quolibet superare. Hinc necessariam putant petitam commutationem ex dispositione Sac. Concilii Tridentini

Seff. 22, cap. 6. de Reform., cum non deficiant cauſę, ob quas illa concedi conſueverit, quod ſcilicet non adverſetur Teſtatoris voluntas *Amoſtaz, de cauſ. piis lib. 1. cap. 14. num. 4.*, ulterius quod ea indulgeatur ob cauſam, quam ſi Teſtator prævidiſſet, utique conſenſum præſtitiſſet, *Mantic. de coniect. ultim. volunt. lib. 13. num. 6.* ac demum, quod ea cedat in utilitatem Civitatis, aut Populi *Amoſtaz. loc. cit. num. 11.*

Concurrere autem ſuſtinent præſumptam diſponentium voluntatem, cum Angelus Orengo Infirmis proſpicere voluerit, quoties duo Miſſarum legata Hoſpitali reliquit, & ex Legatorum pluralitate amor Teſtatoris erga Legatarium ſatis deſumatur *Leg. Prædia §. Affin. de fund. inſtr.*, *Mantic. de Coniect. ultim. volunt. lib. 6. tit. 11. num. 26.* Alios verò Teſtatores Joannem Mariam Gaſtaldi, & Joannem Lantera ægrotos maximè prædilexiſſe, dum bona ſua omnia ad Hoſpitale deferri voluerunt. Hinc arguunt, quod ſi Teſtatores Hoſpitalis deteriorationem prævidiſſent, vel illud tam magnis oneribus non gravaſſent, vel permiſiſſent, ut fructus in auxilium pauperum converti poſſent *Mantic. loc. cit. lib. 7. tit. 1. num. 10.*; Maximè quia in publicam utilitatem hæreditarios reditus erogari vidiſſent.

Addunt, juſtitiam ſuadere voluntatis commutationem in aliud pietatis opus, quod utilius defuncto comperiatur *Gratian. lib. 4. de teſtam. num. 13.* Quamvis ergo admittant Sacrificii valorem ex opere operato immenſum, atque infinitum, & plurimum prodeſſe ad Animarum expiationem; nihilominus demonſtrare nituntur, Purgantium animas æque per Charitatis Officia expiari; Et ideo exhibent congeriem auctoritatum ex SS. Patribus erutam, ut probent, primis Eccleſiæ ſęculis Defunctorum Animas miſericordiæ, & pietatis operibus fuiſſe expiatas, atque effuſam in pauperes largitatem; multum Fidelibus fuiſſe commendatam; quę quidem omnia ex circumferendo libello Emi PP. deprehendere poterunt.

Epiſcopus de ſua Sententia requiſitus ita concludit = *Remanet ergo, ne pereat adeo pium. & charitativum opus, quod in maximum pauperum ægrotantium vergit commodum, ut EE. VV. interpretando mentem ſupradictorum Legantium (qui ſi viverent libere bona legarent ad hoc ut pauparum ægrotantium indigentiis occurrerent) liberent Hoſpitale onere ſupradictarum Miſſarum, illas ad tres reducendo, applicandas ſupradictis tribus Benefactoribus, onere tamen conducendi Capellanum, qui ſingulis diebus Miſſam in Capella dicti Hoſpitalis in commodum ſpirituale ægrotantium celebret, & caſu quo ditius Hoſpitale evadat, & ſuperſint reditus ad adimplenda ſupradicta onera Miſſarum ſufficientes, in tali caſu teneantur Adminiſtratores pro tempore celebrari facere Miſſas, ut ſupra legatas.*

Notum eſt, juſtam, & neceſſariam cauſam requiri ad Teſta-

ſtatorum voluntates immutandas, *Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.6. de Reform.* idque ſemper præ oculis habuit Sac. Congregatio, quæ commutationes juſta, & neceſſaria impellente cauſa conceſſit, eaque deficiente denegavit. Pluries hac de re actum eſt, præſertim in *Caſſanen.* 24. *Septembris* 1763., *in Vicen.* 18. *Januarii*, *in Imolen.* 22. *Martii*, *in Fanen.* 25. *Decembris* 1764., *in Feretrana* 20. *Decemb.* 1766., *& in Eyſtetten.*, *ſeu Bambergen.* 4. *Aprilis* 1767.

In præſenti caſu ponderandum occurrit, an quę allatæ ſunt SS. Patrum auctoritates, procedant, quando agitur de jam factis diſpoſitionibus, & a longo tempore exequutis. Aliud eſt enim alicui ſuggerere, ut loco celebrationis Miſſæ, pauperem fame laborantem, & penè morientem alat, ac foveat, aliud verò, ut Miſſarum legata in diverſum uſum convertantur. Sanè charitatis Officia ſummis laudibus meritò extolluntur, ſed non minor Sacrorum cuſtodia, & commendatio. Divitem Matronam redarguit S. Cyprianus *lib. de Oper.*, *& eleemoſ.* eo quia ad Sacrum faciendum de ſuo nihil conferret = *Locuples es*, *ait*, *dives es*, *& Dominicum celebrare te credis*, *quæ in Dominicum ſine Sacrificio venis*, *quæ partem de Sacrificio*, *quod pauper obtulit*, *fumis* .= Frequens in antiquis Chriſtianarum rerum Scriptoribus ſermo habetur de oblatione panis, & vini, cujus portio pro alimonia Miniſtrorum Eccleſiæ erat deſtinata, eique eleemoſina, ſeu Miſſarum ſtipendium poſtea ſucceſſit. Itaque inter charitatis officia non immeritò numerari poteſt quidquid pro Miſſarum celebratione relictum fuerit, eo etiam excellentius, ac Sanctius, quia, & Religionis actus exercetur, & Sanctuarii Miniſtris proſpicitur.

Demum non eſt prætereunda reflexio, quod commutatio voluntatis remedium dicitur extraordinarium, ac ſubſidiarium, cum Concilium Tridentinum *loc. ſup. citat.* non aliter fieri permittat, niſi *urgente neceſſitate*: Proindeque cum Noſocomii manutentio univerſę Communitati, atque hominum Societati conferat, videndum idcircò an reditus aliorum operum, quę minus utilia fuerint, in eam cauſam erogari poſſint, aliaque etiam remedia adhiberi debeant, prius quam ad imminutionem numeri Miſſarum deveniatur.

Veſtrum nunc erit Emi PP. decernere.

An, *& quomodo ſit locus commutationi Onerum Miſſarum in caſu &c.*

TO-

Sess. 22. Cap. unic. de observan., & evitan. in Celeb. Miss.

TOLETANA IRREGULARITATIS. Missæ Sacrificium duabus vicibus iteravit Sacerdos Bernardus Fernandez della Fuente diebus scilicet 6. Januarii, & 13 Martii anni 1768., quibus primùm in Oratorio Comitis de los Corvos, deindè in Ecclesia S. Hidelphunsi Villæ Matriti celebravit. Curia Archiepiscopalis contra illum inquisivit, eumque carceribus mancipavit. Non negavit Sacerdos iteratam Missæ celebrationem una, eademque die non semel, sed bis peractam, id tamen feciſſe asseruit, quia defuit alius Præsbyter, quem rogaverat, ut in Ecclesia S. Hidelphunsi ejus vices celebrando suppleret. Falsus præterea fuit, ablutionem in utraque Missa sumpſiſſe, immò post primam Missam refentiunculam una die degustaſſe affirmavit. Post aliquod tempus valetudinis causa a carceribus fuit dimissus, & in Domum Missionis reclusus, ac postea patriis laribus restitutus.

Præces deindè exhibuit sa. mem. Clementi XIII. pro dispensatione ab irregularitate, iisque remissis Sac. hujus Congregationis judicio, requisitus fuit cl. mem. Cardinalis Archiepiscopus, qui post expositam rerum seriem, ita votum suum aperuit = *Attesò dunque tutto ciò, e che dalle Costituzioni Sinodali di questo Arcivescovado non si trova disposta cosa alcuna intorno a questo caso, sono di parere, che il riferito D. Bernardo Fernandez della Fuente meriti quella pietà, che implora, senza pregiudizio del Decreto, che deve darsi dal mio Vicario secondo il merito degl'atti* = Prodiit demùm Vicarii Sententia, qua declaratum fuit, *attendendo a quanto ha sofferto, e l'aver fatto gl'Esercizj Spirituali da noi ordinatigli, che ciò a me pare sufficiente castigo, solo lo condanna, che per trenta giorni dica il Rosario di Maria SSma, e con ciò si dia per terminata questa causa.*

Hisce peractis dubia proponuntur in calce transcripta, pro quorum resolutione animadvertendum videtur, liberum olim fuisse cuique Sacerdoti plures Missas pro sua pietate, ac Religione eadem die celebrare, ut nonnullis allatis auctoritatibus, & exemplis ostendit Baronius *tom. 10. Annal. ad ann. 940. in fin.*, aliique plures, quos retuli in voto a me exarato in causa Derthusen. 20. Augusti 1768. *Thesaur. resol. tom. 37. pag. 208. n. 1., & seqq.*

Ad cohibendos tamen abusus, qui irrepserant, trium Summorum Pontificum decretis plurium Missarum celebratio fuit interdicta, nempè Alexandri II., Innocentii III., & Honorii III. Horum primus *Can. sufficit dist. 1. de consecrat.* sic statuit = *Sufficit Sacerdoti Missam unam in die celebrare; quia Christus semel passus est, & totum Mundum redemit* = Alter verò *Cap. Consulvisti 3. de celebr. Miss.* interrogatus a Wigornien. Episcopo, *utrum Præsbyter duas Missas in eodem die valeat celebrare?* Respondit = *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacer-*

cerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare = Tertius autem in *Cap. Te referente* 12. *eod. tit.* ait = *Cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficere*.

Non defuere, qui ex verbo *sufficit*, quod in relatis Decretalibus legitur, arbitrati sunt, illas potius præseferre consilium, quam præceptum, aut legem prohibentem plures Missas eadem die celebrare. Hinc Ludovicus de Ameno *de delict.*, & *pæn. tom.* 3. *tit.* 8. *§.* 3. *num.* 28., & 29., negavit, peccare Sacerdotem Missam iterantem, asserens, nullibi id vetitum reperiri. Fatetur nihilominus graviter peccare, si pluries celebret ex causa vitiosa, nempe cum scandalo, vel non jejunus, aut ob turpe lucrum.

At egregie docet sa. mem. Benedictus XIV, in *Epist. ad Episcopum Oscen.*, quæ incipit *Declarasti* 16. Maii 1746. *tom.* 2. *Bullar. num.* 3. = *Si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissimè cognoscet, id petitum fuisse à Pontifice*: Utrum Præsbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare? *Porrò illud* valeat *idem prorsus significat ac* liceat. *Cum igitur responsum dederit Pontifex*, sufficere Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare, *illud* sufficit, *Sacerdotes adigit præcepto, ne plura Sacrificia uno die faciant*. Hoc modo Decretalem Innocentii III., & alteram quoque Honorii III. intelligendam esse monet laudatus Pontifex, qui rem præterea confirmat Auctoritate Vasquesii *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *quæst.* 83. *art.* 2. *cap.* 5. *num.* 44. Ex his proindè patet, graviter peccare Sacerdotem, qui plures Missas eadem die pro libito celebraverit.

An verò hac de causa irregularitatem incurrat, non una est omnium Sententia. Ludovicus de Ameno *loc. cit. num.* 31. *ad* 34 negativam Sententiam tuetur, innixus argumento desumpto ex *Cap. Is cui de Sentent. excom. in* 6., ubi traditur, nullam incurri irregularitatem, nisi fuerit in jure expressa, nullamque, ait, irregularitatis pœnam fuisse indictam contra Sacerdotes Missæ Sacrificium iterantes. Verùm deinde hæc addit = *Quod si damnetur ratione circumstantiæ modalis, aut finalis, puta iterum celebrando non jejunus, aut ob turpe lucrum, tali casu concedo, quod ex damnatione subiret infamiam, & sic etiam lato modo irregularitatem: tamen hoc non esset ex præcisa ratione Sacrificii iterati, sed ex malitia circumstantiæ*.

Alii verò præcisivè etiam a qualibet circumstantia aut *modali*, aut *finali*, sustinent, quod si Sacerdos Sententia Judicis damnatus fuerit, quia malitiosè, idest non ex ignorantia, Sacrificium iteraverit, infamia juris notetur, & idcirco verè, ac propriè irregularis evadat. Ita habetur ex *Thesaur. de pœnis part.* 2. *verb. Missa cap.* 5. *num.* 4. ea ratione, quod damnatus de crimine publico est a jure infamia notatus *leg.* 1. *§. Qui in judicio ff. De his qui not. infam.*,

Cap.

Cap. Infames §. Porrò 3. quæst. 7. Quoniam verò crimen est publicum, prout est quelibet gravis iniuria contra Religionem *Clar. quæst. 1. prax. crimin.*, & ex dispositione juris Canonici omne crimen dolum continens est publicum, & lata sententia condemnatoria infamiam irrogat, *Angel. verb. Crimen quæst. 6.*, *Sylvester quæst. 3.*, *Castr. de just. hæret. pravit. cap. 9.*, idcircò infertur, Sacerdotem Missam iterantem infamiam juris, & consequenter irregularitatem incurrere.

Quidquid tamen sit de irregularitate ratione tantum repetitionis Sacrificii, in præsenti casu adest circumstantia *modalis* non servati jejunii ante celebrationem secundæ Missæ. Videndum proindè an Sacerdos Bernardus hac de causa infamiam subierit, & in irregularitatem inciderit. Sacra Congregatio in *Senen. Irregularitatis 16. Novemb. 1686.*, apud *Pignattel. tom. 7. Consult. 43.* irregularem declaravit Sacerdotem, qui ob lucrum bis una die celebraverat. Similem resolutionem refert Ursaya *Instit. crimin. lib. 1. tit. 10. num 57.*, qui præterea *num. 37.* asserit, hoc crimen puniri debere a Tribunali S. Inquisitionis; & juxta doctrinam *Genuen. in prax. cap. 79.*, *Bellet. disquisit. Clerical. part. 2. §. 28. num. 1.*, *Menoch. de arbitr. Judic. cas. 407.* delinquentes meritò ad triremes damnari possunt.

Ad dispensationem quod attinet, ponderandum, an facilius ex eo impertiri debeat, quia Sacerdos Bernardus non ob lucrum Sacrificium iteravit, quod quidem gravissimum Simoniæ vitium præseferret, sed ne deesset Sacrum, ad cujus celebrationem tenebatur in Ecclesia S. Hidelphonsi, cui quidem oneri adimplere sui loco promiserat alius Sacerdos, qui tamen promissis non stetit. Indè autem factum est, ut Sacerdos Orator non jejunus celebraverit, quia eidem ne talia cogitanti oblata est celebrandi occasio.

Quæritur proindè.

I. *An constet de irregularitate in casu &c.*

II. *An sit locus dispensationi in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 15. Februarii 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque Cauſæ ex ultima Congregatione diei 25. Januarii proponendæ ſuperſunt: Rogantur itaque EE. PP. folium illius Congregationis reſumere; aliaſque quatuor in præſenti folio adnotatas, definire.

SENOGALLIEN. IRREGULARITATIS. *Seſs. 14. cap. 7. de Reform.*

I. *An conſtet de Irregularitate.*

Et quatenus affirmativè

II. *An ſit locus diſpenſationi, in caſu &c.*

Ad I. & II. Eſse locum diſpenſationi ad cautelam.

NEOCASTREN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. *Seſs. 23. cap. 1. de Reform.*

An Parochi Eccleſiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur Miſſam applicare quotidie pro Populo, vel tantum Dominicis, & feſtis diebus, in caſu &c.

Negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam.

NEPESINA REDUCTIONIS MISSARUM. *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni onerum Miſſarum, in caſu &c.

Eſse locum reductioni ad rationem eleemoſynæ manualis, deleta Miſsa ſollemni, & ad mentem.

Seff. 22. cap. 6. de Reform.

ALBINTIMILIEN. COMMUTATIONIS ONERIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus commutationi onerum Missarum, in casu &c.

Negative.

Seff. 22. cap. unic. de observ., & evitan. in celebrat. Miss.

TOLETANA IRREGULARITATIS.

I. *An conflet de irregularitate, in casu &c.*

II. *An sit locus dispensationi, in casu &c.*

Ad I. & II. Esse locum dispensationi arbitrio Ordinarii ad cautelam.

Seff. 24. cap. 12. de Reform.

GERUNDEN. JUBILATIONIS. Cathedrali Ecclesiæ Gerundensi continuum, ac laudabile servitium præstitit per annos 45. Archidiaconus Major, & simul Canonicus Isidorus de Orteu, qui jam septuagenarius preces obtulit Sacræ Congregationi pro obtinendo Jubilationis indulto. Verùm sicuti in eadem Cathedrali Ecclesia quoddam adest Statutum, cujus observantiam in actu capiendæ possessionis unusquisque jurare tenetur, quo cavetur, ne a Sede Apostolica, vel a Legatis ejusdem privilegia impetrentur percipiendi in absentia fructus Canonicatuum, & Præbendarum, rursus ne quis eis impetratis utatur, denique ne a juramenti vinculo impetretur absolutio; Hinc idem Archidiaconus in suis precibus absolutionem quoque *ad cautelam* postulavit a juramento, quatenus petito Indulto obstaret.

Preces remissæ fuerunt Reverendissimo Episcopo, ut Capitulum audiret, quod tamen pluribus allatis rationibus contradictorem se præbuit. Oportuit idcirco dubia in calce transcripta sapienti EE.VV. judicio subjicere, ut libratis hinc inde juribus, definiantur.

Ad I. advertit Archidiaconus, Jubilationis Indultum, post quadragenarium non interruptum, ac laudabile servitium Ecclesiæ præstitum, ex usu, & universali consuetudine concedi *Bened. XIV. de Synod. lib. 3. cap. 4. §. 6.*, & *lib. 13. cap. 9. §. 5.* Et hanc consuetudinem non solum antiquissimam asserit, & usque a tempore Gregorii XIII., qui eam approbavit, & confirmavit, *Garz. de benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 344.*, *Bened. XIV. loc. citat. lib. 13. cap. 9. §. 1.*, sed etiam

etiam rationabilem, aut ait *Bened. XIV. ibid.*, *Vrſaya diſcept. Eccleſ.4. num. 149. tom.3. part. 2.*, immò & Eccleſiæ ſervitio ſummoperè proficuam, *Fagnan. in Cap. Licet ſub num.166. de Præbend.*, *Scarfant. ad Ceccoper. lib.2. tit.6. numer.10.*. Infert proinde tum ratione ingraveſcentis ætatis, tum etiam longævi ſervitii æquiſſimum ſibi non deeſſe titulum pro obtinenda jubilatione, juxta praxim S. Congregationis, de qua *Fagnan. loc. cit.*

Nec obſtare perantiqua Capituli Statuta annorum 1536., & 1537., quæ prohibent quominus efflagitetur Indultum percipiendi in caſu abſentiæ Canonicatuum, & Præbendarum fructus, vel eo obtento uti non permittunt. Hæc enim Statuta ſtricti juris eſſe dicit, & ſtrictè quoque intelligi debere, paſſivamque interpretationem recipere a jure, & a conſuetudine, Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmata *Rot. deciſ.167. num.34. part.1. deciſ. 178. num. 1. part. 5. tom.1.*, *deciſ.318. num.18. par.16.*, *deciſ.156. num.18. par.18. tom.1. Recent.*. Quare ſuſtinet, eadem Statuta intelligenda eſſe de Indultis abſque juſta cauſa non obtinendis, non autem de iis, quæ ex legitima, & communiter recepta cauſa ſolent concedi, cujuſmodi eſt Indultum Jubilationis, quod ſibi competere putat Archidiaconus tum ob ſenectutem, tum ob longum perſonale ſervitium Eccleſiæ præſtitum.

Interpretationem hanc conſonam eſſe contendit tum Statutorum verbis, tum ſubſequutæ obſervantiæ. Ac verbis quidem, quia ea referri debent ad Indulta, quæ abſque ulla legitima ratione a novo aliquo Canonico, etiam ante adeptam poſſeſſionem obtineri potuiſſent. Obſervantiæ verò, quia non obſtantibus Statutis admiſſæ ſæpius fuerunt Coadjutoriæ ex cauſa ſenectutis, nec non Indulta abeſſendi cauſa Studiorum, atque etiam inducta fuit vacatio trium menſium quolibet anno, abſque ulla diſtributionum jactura.

Addit ex ipſa Capituli confeſſione reſultare, quod abſint *li Sindaci in Madrid, e Barcellona, ed altri occupati per affari, e vantaggio del Capitolo*, abſque eo quod quidquam de fructibus amittant. Plurium inſuper affert exempla Canonicorum, qui ob lites Capituli ad Urbem venerunt, & Indultum abeſſendi a Sac. Congregatione reportarunt: Nec mirum eſſe ſi præciſum jubilationis exemplum non inveniatur, quia Coadjutoriæ tempus prævenerunt obtinendi jubilationem. Concludit itaque nullum Cathedralis Eccleſiæ Statuta præbere obſtaculum Indulto Jubilationis, prout nec cæteris quibuſque Indultis ex juſta, & rationabili cauſa concedendis.

Submoto autem Statutorum obſtaculo, nihil ſibi impedimento eſſe exiſtimat, quominus Indultum Jubilationis, de quo in II. dubio quæritur, aſſequatur, cum nullum deficiat requiſitum ad illud obtinendum. Deſpecto penitus

aliorum Capitularium præjudicio, quibus onus abſentis accreſcere debet, cum id inſeparabile ſit a qualibet Jubilationis gratia, quæ in præmium diuturni, ac laudabilis ſervitii conceditur, & Jubilationis effectus in eo præcisè conſiſtat, ut præſentes eodem modo graventur, quo gravati remanent, donec aliqua vacat Præbenda. Nec attendendum eſſe, quod alii hoc exemplo petituri erunt Jubilationem, quia non ita facile inveniuntur, qui per annos quadraginta laudabile, & non intermiſſum ſervitium exhibuerint. Multoque minus timeri poſſe ne divinus cultus imminuatur, cum Capitulum Gerundenſe ex triginta-ſex Canonicis, & centum quadraginta Beneficiatis conſtituatur, qui omnes Collegium efficiunt *Rot. coram Emerix Jun. deciſ.* 483., & in durioribus circumſtantiis hanc oppoſitionem ſpreverit Sac. Congregatio in *Ripana Jubilationis* 29. *Novembris* 1710. apud *Fargn. de Jurepatron. par* 1. 5. *can.* 7. *caſ.* 2. *num.* 13., & in *Feltren. Jubilationis* 11. *Januarii* 1721. *Theſaur. reſol. tom.* 2.

Denique obſervat nihil poſſe officere pendentiam cujuſdam novæ methodi a Capitulo propoſitæ quoad Canonicatuum, & Beneficiorum reductionem, cum ea non impediat, quominus Archidiaconus jura ſua coram Sacra Congregatione experiatur, immo ſpe certa teneatur fore, ut nihil quoad aſſertam reductionem innovetur.

Contra verò Capitulum petitam ab Archidiacono Jubilationem impugnat ob reſiſtentiam Statutorum Eccleſiæ, ac juramento de illis obſervandis ab eo præſtiti. Suſtinet enim, per hujuſmodi Statuta interdictum eſſe cuilibet Canonico petere, vel uti facultate fructus in abſentia percipiendi; proindeque vetitum cuique eſſe Jubilationis Indultum expoſcere, quod cum non a jure proveniat, ſed ex gratia concedatur, comprehenditur ſub diſpoſitione Statutorum perceptionem fructuum abſentibus prohibentium. Hæc autem Statuta plenam nunc quoque firmitatem habere contendit, cum eorum obſervantia ab unoquoque Capitulari juramento firmata comperiatur.

Negat, remiſſum quoquo modo fuiſſe veterum Statutorum rigorem per novum Statutum anni 1712., quo vacationes trium menſium ſingulis annis in Gerundenſi Eccleſia fuerunt invectæ. Notat enim in primis, novo non obſtante Statuto, Canonicos omnes juramentum pro veterum Statutorum obſervantia exhibere perrexiſſe. Subdit deinde, ad novi Statuti firmitatem neceſſariam fuiſſe Pontificiam approbationem, & confirmationem in forma ſpecifica. Ac demum obſervat, Indultum pro vacatione trium menſium variis ſub conditionibus fuiſſe admiſſum, ut ſcilicet nonniſi quam octo ex Canonicis illo qualibet vice fruerentur, ut inſuper Capituli conſenſus accederet, ut demum alii reſidentes Canonici ſemper inſervirent. Ex quibus infert, in condendis novis Statutis ſervata fuiſſe priora Statuta, quæ

quæ assiduum servitium, & residentiam præscribunt.

Sustinet præterea, Jubilationis Indultum a juris ratione deflectere, quippe quia Canonicales quæcumque Præbendæ personalem residentiam requirunt, ad *Text. in Cap. 3.*, & *tot. tit. de Cleric. non residen.*, *Navar. cons. 12. lib. 3. de Cleric. non residen.*, illudque proinde meram redolere gratiam, cui assequendæ Statuta resistunt. Maximè quia Archidiaconus non solum juravit de observandis Statutis, sed insuper de non petenda absolutione a juramento; atque idcircò nefas esse eamdem petere absolutionem, nisi constet, vel juramentum dolo, & fraude fuisse extortum, vel iniquitatis vinculum continere, vel redire in perniciem æternæ salutis *Cap. Cum contingat 28. de jurejur.*, *cap. 2. de pactis in 6.*, *Gonzal. ibid. num. 15.*

Ad II. dubium quod attinet, Capitulum inquit, petitam Indulti concessionem Statuta subvertere, & laudabiles Ecclesiæ consuetudines, secundum quas Canonici absentes quacumque de causa, aut infirmitatis, aut cujusvis alterius impedimenti a fructuum perceptione fuerunt semper excluſi. Asserit, juxta praxim Sacræ Congregationis Jubilationis Indulta vel nullatenus fuisse concessa, vel nonnisi cum limitatione, quæ Ecclesiarum leges, consuetudines, atque Statuta intacta servaret. Sustinet ulterius, Jubilationem in præsenti casu cessuram fore in præjudicium Canonicorum præsentium, ac residentium, quibus vigore Statutorum augentur onera, quæ absentes subire deberent. Accedere Divini cultus detrimentum, cum etsi magnus videri possit Capitularium numerus, nihilominus si semel Jubilationi via aperiatur, plures, præsertim Beneficiati, illam efflagitabunt.

Pessimum idcircò futurum dicit Jubilationis exemplum, quod nunquam in Gerundensi Ecclesia invectum huc usque fuit; immò contrarium resultare exemplo Antonii Pasqual, quod inter causæ monumenta recensetur. Denique advertit, nunc agi de nonnullorum Canonicatuum, & Beneficiorum suppressione, atque unione, ac idcircò incongruum esse, ut in his circumstantiis quidquam innovetur.

Reverendissimus Episcopus super precibus Archidiaconi demore auditus, hæc habet = *Rem communicavi Capitulo, quod quidem dissentire videtur ex motivis concomitantibus ejus responsum, quod adnecto. Nihilominus tamen cum in hac Ecclesia copiosus sit numerus Dignitatum, Canonicorum, & Beneficiatorum, ita ut ex jubilatione unius, vel alterius notabile aliquod præjudicium servitio divino non sequatur; & Orator in ætate septuaginta annorum constitutus, quadraginta, & ultra ex ipsis habeat in continua, & laudabili residentia peractos, sentio pro concessione præ tensi Indulti, attenta natura ipsa jubilationis, & optimis æquitatis motivis, ex quibus inducta est, nec*

non benigno favore, quo ista Sacra Congregatio solet ejusmodi Indulto proseaui, & remunerare veteranos Residentes. Sanè exemplum jubilationis, quod sciam, hic nullum est, nec mirum, cum antea currentes Coadiutoriæ Jubilationem prævenerint, nunc autem illis sublatis, sola hæc supereſt in levamen, & præmium longævi servitii Ecclesiæ præstiti =

De Jubilationis natura, & effectibus sæpius actum est in Sacra Congregatione, proindeque inutilè videtur quidquam hac de re modò iterum exponere. Perpendenda tamen seriò sunt Gerundensis Ecclesiæ Statuta, circa quæ præsens controversia tota versatur. Die 24. Februarii 1536. proponi primum cæpit ab aliquibus Capitularibus in Capitulo congregatis, *ut fieret Statutum in hac Ecclesia, ut deinde perpetuò omnes Canonici in eorum novo ingressu inter Statuta dictæ Ecclesiæ jurarent, quod nunquam impetrarent privilegium a Sede Apostolica de recipiendo fructus in absentia, vel si impetrassent illo non uterentur.* Placuit id cæteris Capitularibus, sed nullum fuit tunc conditum Statutum. Sequenti autem anno 1537. in Capitulari Congregatione diei 7. Junii ita fuit decretum: *Item fuit factum Statutum perpetuum, quod quicumque de cætero ingrediens de novo ad Capitulum juret cum aliis Statutis, quæ consueverunt jurari, quod ipse non impetrabit privilegium de fructibus in absentia recipiendis, & si illud jam impetraverit, illo non utetur, nec impetrabit absolutionem juramenti.* Hinc in libro cæremoniali descripta fuit formula juramenti, quod Canonici omnes in actu capiendæ Canonicatus possessionis, emittere debent; Est autem hujusmodi = *De non impetrandis privilegiis a Sede Apostolica, seù Legatis ejusdem de fructibus Canonicatuum, & Præbendarum ejusdem in absentia percipiendis, & de non utendo impetratis, ac de non petendo absolutionem ipsius juramenti.* =

Hujusce Statuti interpretatio vel ex verbis ipsis desumi posse videtur, vel ex Statuentium mente, vel ex subsequuta observantia *Leg. Minime, & Leg. Siff. de Legibus*. Sanè verba prohibent, ne impetretur a Sede Apostolica privilegium percipiendi fructus in absentia. Ponderandum tamen, an sub generali privilegiorum nomine comprehendatur Indultum Jubilationis, quod post Statutum per quandam universalem consuetudinem ita invaluit, ut injuria videatur fieri, si denegetur.

Ponderandum ulterius, an mens Statuentium fuerit Statuti dispositionem ad Jubilationis Indultum protrahere. Qua in re dissimulari non debet, laudabilem, rationabilemque consuetudinem dimittendi a Chori, Ecclesiæque servitio, qui assiduam per annos quadraginta in eo operam impendisset, nonnisi a tempore san. mem. Gregorii XIII. invaluisse, ut ait *Bened. XIV. de Synod. lib. 13. cap. 9. num. 15.* Cum enim Sac. Congregationi visum fuerit non improban-

dum

dum, sed tollerandum cujusdam Capituli Statutum permittens, ut qui Choro per annos quadraginta inservierit, in posterum abesse posset, absque eo quod quidquam de fructibus, ac distributionibus amitteret, & hanc sententiam S. Congregationis laudatus Pontifex Gregorius XIII. approbaverit, & confirmaverit *Garz. de benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 334.*, hinc usus invaluit, atque consuetudo Jubilationis indultum concedendi, quam quidem consuetudinem Conditores Statuti Ecclesiæ Gerundensis prævidere minimè potuerunt.

Denique ad observantiam quod attinet, expendere præstat Coadjutorias quotquot, hactenus non obstante Statuto fuisse admissas. Videndum proinde, an Statutum, quod Coadjutoriis olim minimè obstabat, sublatis modo Coadjutoriis, assequendo Jubilationis indulto possit obstare. Nec est prætereundum, quod inter causæ monumenta quamplura recensentur exempla Indultorum, quæ Canonicis Gerundensis Ecclesiæ concessa sunt pro exemptione a servitio Chori, & a residentia, vel causa studiorum, vel ad negotia Ecclesiæ peragenda.

Cæterum consuetudo petendi, obtinendique Jubilationem adeo invaluit, ut quasi in jus processerit, absque eo quod Capituli dissensus illam potuerit impedire. Plura hac de re afferri possent exempla. In *Feltren. Jubilationis* 11. *Januarii* 1721., Capitulum obstabat Jubilationi petitæ ab Aloysio Zeno, eo quia ex longæva, & immemorabili consuetudine, nullum inveniebatur exemplum; & etiam quia exiguus esset Capitularium numerus, cum Capitulum constitueretur ex duodecim tantùm Canonicis, quorum aliqui variis distenti negotiis, Choro interesse nequibant: Nihilominus proposito dubio = *An sit concedenda Jubilatio, in casu &c.* = responsum fuit = *Affirmativè* = In *Acernen.* quæsitum fuit = *An sit locus Jubilationi, & exemptioni a Choro, & ad quem effectum in casu &c.* = Ratio dubitandi fuit, quia Philippus Ragione Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Montis Corvini, quæ constabat ex quatuor Dignitatibus, & viginti Canonicis, Jubilationis Indultum postulavit eodem tempore, quo sex alii ejusdem Collegiatæ Canonici pro hujusmodi Indulto supplicaverant; exindeque evenire poterat, ut divinus cultus, Ecclesiæque decus imminueretur: Sed hoc non obstante die 11. Aprilis 1739. rescriptum fuit = *Affirmativè ad effectum obtinendi Indultum juxta formam consuetam* = In *Pisauren. Jubilationis* 28. *Julii* 1770. Christophorus Mosca Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Oppidi de Gineftreto preces obtulit pro Jubilatione, sed Capitulum, quod ex una Dignitate, & septem Canonicis componebatur, acriter contradixit, ne novum exemplum cum detrimento servitii

Ec-

Ecclesiæ induceretur. Verum dubio = *An sit concedendum Indultum Jubilationis, in casu &c.* = prodiit responsum = *Affirmativè.*

Post hæc facile erit de juramento judicium proferre, cum juramentum præcisè versetur circa Statuta, de quorum intelligentia disceptatur. Supereſt autem, ut omnibus maturè perpensis, EE. VV. definiant

I. *An obstent Statuta Ecclesiæ Cathedralis Gerunden. annorum 1536., & 1537., & respectivè illorum juramentum ad effectum obtinendi jubilationem, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam, in casu &c.*

II. *An sit concedendum Indultum Jubilationis, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & non indigere. Ad II. Affirmativè.

Sess. 25. cap. 4 de Reform.

FANEN. SUBSIDII DOTALIS. In postremo suæ voluntatis elogio anni 1678. *Julia Danieli Vfreducci Fanensis* post demandatam plurium legatorum satisfactionem, de sua Hæreditate ita disposuit = *Si faccia un Capitale di scudi 300. a fine di dare la Dote ad una Zitella Gentildonna di Casa povera, ed in mancanza di questa di Cittadina povera, la nominazione della quale spettì ai Signori Esecutori Testamentarj ad effetto di monacarsi nel Monastero di Corpus Domini essendovi luogo, quando nò nel Monastero di S. Teresa, e mancando il luogo anche in questo, nel Monastero di S. Daniele, e detta Dote di scudi 300. si dia nel tempo della Professione.*

Novit Testatrix, Dotem scutorum 300. monetæ Urbinaten. imparem fore ad professionem in dictis Monasteriis emittendam, expresse ideo statuit = *e perchè questa Dote di scudi 300. non può bastare, dovrà esser cura della Signora Zitella, e suoi Parenti provedersi per il supplemento.* Perpetuitati quoque dicti subsidii dotalis consuluit, jussitque proindè = *e finito il Capitale di detti scudi 300. dovrà darsi principio al nuovo cumulo delli altri scudi 300. per il medesimo effetto, e così andare sempre continuando.* Demum Executores suæ voluntatis elegit = *Il Padre Prepoſto pro tempore assieme colli altri Padri della Congregazione di S. Filippo Neri di Fano.*

Dotale hoc subsidium petiit a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO *Vrsula Bistocchi Fanensis*, quæ jam a quatrien-

triennio educationis causa morabatur in Monasterio Sanctissimi Corporis Domini, ubi regularem habitum assumere optabat; sed remissis precibus Sacræ Congregationi, datisque Episcopo literis, comparuit *Reginalda Ceccarini*, quæ cupiens professionem emittere in Monasterio S. Philippi alias preces porrexerat tum pro prælatione in assecutione dicti subsidii, tum pro derogatione voluntatis Testatricis, quoad designata Monasteria, exhibuitque rescriptum die 6. Augusti ejusdem anni a Sanctissimo Domino Nostro obtentum, atque his verbis conceptum = *Arbitrio Episcopi accedente consensu collatorum, & dummodo non concurrant puellæ specialem vocationem habentes, & cum facultate assumendi habitum religiosum in aliis Monasteriis juxta petita*.

Gratiam hanc non tam obreptionis, & subreptionis vitio infectam, sed etiam frustraneam declarari petiit Ursula Bistocchi tum ab denegatum a collatoribus consensum, tum ob specialem sui vocationem, cum sit civis Fanensis, & in designato Monasterio SSmi Corporis Domini professionem emittere cupiat. Præpositus item, & Sacerdotes Oratorii S. Philippi Nerii, ad quos electio spectat, reiiciendam *Reginaldam*, & admittendam *Ursulam* censuerunt. Reclamante ideo Reginalda ad SSmum D. N., quæstio omnis ad Sacram Congregationem fuit remissa, proindeque definiendum proponitur, cui nam dotale subsidium debeatur.

Inquit *Reginalda Ceccarini*, Pontificis gratiam undique verificatam esse, cum ejus Pater *Sebastianus* tam origine, quam Domicilio, & adlectione Fanensem Civilitatem acquisiverit, unde licet ipsa ex accidenti alibi ortum habuerit, nihil ominus Patris originem sequi debere, & non solum civem Fanensem fore reputandam, sed etiam frui omnibus privilegiis, & legatis Fanensibus puellis relictis *Cyriac. contr.* 292. *n.*30., *& Card. de Luc. de Matr. disc.* 14. *num.*11. vel saltem cum in precibus non civem Fanensem, sed filiam civis Fanensis se dixerit, sufficere idcircò putat solam civilitatem a Patre acquisitam, ne preces obreptionis vitio notentur: Veram item esse sui Patris paupertatem, cùm hic non diviti censu, nec pingui patrimonio ditatus sit, sed omnibus fortunæ bonis destitutus solo picturæ exercitio se, suamque numerosam familiam incomode alat. Concludit proindé eamdem gratiam utpotè plene verificatam omnino fore exequendam.

Nec obesse contradictionem *Ursulæ Bistocchi*, quam non paupertate premi, sed congrua Dote abunde provisam esse affirmat, cum ejus Pater eidem in testamento reliquerit dotem sc. 1000., quæ longe excedunt quantitatem Monasticæ Dotis, & revera eam ipsam quantitatem scutorum 1000. aliis duabus sororibus nuptis fuisse traditam. Addit, se longe pauperiorem esse, ac proinde ex clara Te-

ſtatricis voluntate potius ſibi, quam Urſulæ abundè dotatæ, vel magis diviti ſubſidium eſſe tribuendum. Nec momenti eſſe, quod *Vrſula* in deſignato Monaſterio SSmi Corporis Chriſti profeſſionem ſit emiſſura: Deficiente ſiquidem paupertate, ſuſtinet præcipuam deeſſe qualitatem a Teſtatrice præſcriptam, unde ſive in deſignato, ſive in aliis Monaſteriis nomen Deo ſit datura, nullimodè tamen ſubſidii Dotalis aſſequutionem promereri.

Perperam idcirco *Vrſulam* vocatione deſtitutam ob defectum paupertatis a Teſtatrice volitæ confugere ad Clauſulam reſcripto adiectam *dumodo non adſint puellæ ſpecialem vocationem habentes*. Advertit enim, per eam jura tantum puellarum fuiſſe præſervata, quæ certam vocationem habent, vel ex certo genere puellarum, quæ vocatæ ſunt, proveniunt; non vero aliarum, quarum jus adhuc incertum, & eventuale eſt, dependens ab electione executorum, vel tantum de incerto genere deſcendunt *Piton. diſcept. Eccleſ. 69. num. 23.* Cum ideo Teſtatrix nullum certum genus puellarum vocaverit, nec *Vrſula* ab electoribus nominationem obtinuerit, ipſaque nonniſi jus incertum, & eventuale habeat, nullam idcirco contendit ſpeciali vocatione frui, nec per Clauſulam adiectam reſcripto cenſeri poſſe rejectam *Rot. in Camerinen. Applicationis, & executionis Litterarum Apoſtolicarum 27. Novembris 1767. §. 14. coram De Comitibus*.

Contra *Vrſula Biſtocchi* inquit, Teſtatricem præcipue contemplaſſe Monaſterium Corporis Domini, & in defectum Nobilium puellarum invitaſſe puellam civem pauperem: ſe autem pauperem civem eſſe, & in dicto Monaſterio Corporis Domini nomen Deo dare propoſuiſſe, ubi jam a quadriennio moram ducit, ſibique conſenſum præſtare tam Moniales dicti Monaſterii, quam Executores, ad quos electio puellæ ſpectat. Concludit itaque ſibi dotale ſubſidium eſſe adjudicandum. Injuria vero paupertatem inficiari vel ex quo Domus Biſtocchi bona poſſideat, vel ex quo dos ſcut. 1000. fuerit a Patre relicta, & aliis quoque ſororibus in eadem quantitate tradita. Non enim impugnat bonorum poſſeſſionem, ſed ea adeo ære alieno, & litibus implicata eſſe affirmat, ut nil fere ſuperſit. Dotem ſororibus ex ære alieno contracto compactam fuiſſe, & partim in veſtibus, & mobilibus æſtimatis. Cæterum Teſtatricem non rigoroſam paupertatem optaſſe, dum ipſa novit ſubſidium ſcut. 300. impar eſſe ad profeſſionem in deſignatis Monaſteriis emittendam, juſſitque, reſiduum Dotis a puella, ejuſque Parentibus ſuppleri. Addit demum, ſibi fratrem ſupereſſe, aliamque ſororem innuptam, qui ad extremam egeſtatem redigi non debent, ut ſibi monaſticam Dotem aſſignent.

Nec

Nec momenti esse gratiam a *Reginaldæ* obtentam, quam de aperto vitio obreptionis, & subreptionis redarguit. Falso siquidem narrasse dicit, se filiam esse Sebastiani Civis Fanensis, cum is nonnisi ex post, die nempe 10. Januarii 1771. civicam qualitatem acquisierit: item falso narrasse, cæteras puellas concurrentes congrua Dote abunde provisas esse, cum *Ursula* subsidium jàm petiisset, & necessaria Dote sit destituta. Reticuisse postulationem dictæ *Ursulæ*, ut professionem emitteret in designato Monasterio Corporis Domini. Unde arguit, apertum esse vitium obreptionis, & subreptionis.

Addit, Testatricem non quidem certas familias contemplasse, sed tantum eas omnes puellas Fanenses, quæ in Monasterio Corporis Domini, vel aliis designatis Monasteriis nomen Deo essent daturæ. Puellas idcirco omnes, quæ civica qualitate pollent, & in eo Monasterio professionem sunt emissuræ, certam, specialemque a Testatrice habere vocationem. Cum itaque in Pontificio rescripto preservatum fuerit jus puellarum *specialem vocationem* habentium, contendit, illud nullius esse roboris, quoties adsit puella non tam de numero civium, sed etiam, quæ in eodem Monasterio Corporis Domini regularem habitum velit assumere. Advertit item, in dicto rescripto requiri *consensum collatorum*. Dum itaque executores, ad quos electio spectat, assensum denegant *Reginaldæ*, illud proindè exequi non posse, & effectu vacuum reddi ob defectum conditionis, a qua executio pendet.

Præpositus, aliique Sacerdotes Oratorii S. Filippi Nerii, ad quos electio puellæ pertinet, folium exhibuerunt, in quo late propugnant, gratiam *Reginaldæ* exequendam non esse, nedum ob vitium obreptionis, & subreptionis, sed etiam ab concursum *Ursulæ* Civis Fanensis, quæ antea preces dederat pro assequendo subsidio ad effectum emittendi professionem in Monasterio Corporis Domini, in quo jam a quatriennio permanet.

Testatrix non quidem aliquam familiam ex civibus specifice contemplavit, sed puellas Cives nomen Deo daturas *nel Monastero di Corpus Domini essendovi luogo, quando nò nel Monastero di S. Teresa, e mancando il luogo anche in questo, nel Monastero di S. Daniele*. Id itaque inquirendum, an *Ursula Bistocchi* non solum prædita sit omnibus qualitatibus a Testatrice præscriptis, sed certam, *specialemque vocationem* habeat, cui quidem in Pontificio rescripto non fuit derogatum. Ponderandum item quanti habendus sit dissensus Executorum, ad quos electio puellæ spectat, & quorum jus fuit præservatum per clausulam rescripto adjectam, *accedente consensu collatorum*.

Emi Patres qua ornantur justitia, & æquitate dignentur definire.

An subsidium Dotale Juliæ Danieli Uffreducci debeatur Reginaldæ Ceccarini, seu potius Ursulæ Bistocchi in casu &c.

Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam, & amplius.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

AUXIMANA TRANSLATIONIS MISSARUM. Ut Spirituali Animæ suæ, & Consanguineorum bono consuleret Fridericus Campana Nobilis Auximanus, anno 1620. donavit scuta quingenta Ecclesiæ Confraternitatis Mortis, titulo S. Mariæ de Platea designatæ, cum onere celebrationis Missæ quotidianæ, ac duorum Anniversariorum annis singulis peragendorum. In Testamento autem, quod condidit anno 1642. de sepultura cogitans, si Auximi decessisset, humari voluit in propria Capella, quam construxerat in memorata Ecclesia dictæ Confraternitatis, cui se addictissimum professus fuit. Deficiente Linea Masculina Familiæ Campana, in tota sua hæreditate eamdem Confraternitatem substituit, ea tamen lege, ut Monasterium erigeretur pro quindecim Monialibus sub regula Fratrum Minorum Cappuccinorum, ac aliæ centum Missæ in eadem Ecclesia quolibet anno celebrarentur.

Extincta anno 1698. linea masculina Familiæ Campana, Friderici hæreditatem substitutionis jure Confratres adierunt, sed commutata Testatoris voluntate, anno 1715. loco Monasterii auctoritate Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, erectum fuit Collegium pro Alumnis, qui sub omnimoda Auximani Antistitis jurisdictione ex hæreditariis reditibus alerentur, eisque traditum pro habitatione ipsum Familiæ Campana Palatium, unde Collegium *Campana* fuit appellatum, firma tamen remanente centum Missarum celebratione in Confraternitatis Ecclesia adimplenda.

Huic Collegio decursu temporis unitum fuit Seminarium Episcopale, & quum Missarum onera inhærentia beneficiis Seminario applicatis, in Oratorio Collegii celebrarentur, id boni eveniebat, ut in eodem Oratorio haberetur Missa quotidiana. Cum tamen cl. mem. Card. Gallo alterum in Civitate Cinguli Seminarium erexerit, atque ad illud transtulerit beneficium a Seminario Auximano avulsum, cui onus inerat centum quatuor Missarum, ex hac translatio-

tione Oratorio Collegii deficere cæpit quotidianum Missæ Sacrificium.

Incongruum id rectæ educationi Juventutis visum est Auximani Seminarii *Deputatis*. Hinc supplicem dedere libellum postulantes translationem ad Oratorium Collegii illarum centum Missarum, quæ ex dispositione Friderici Campana in Ecclesia Confraternitatis celebrari deberent. Tacente autem Confraternitate, Deputatorum votis annuerunt Emi PP. die 8. Junii anni elapsi, qua proposito dubio = *An sit locus translationi Missarum in casu &c.* = responsum fuit = *Affirmative* = Sed reclamantes ejusdem Confraternitatis Moderatores petitam translationem hodie impugnant.

Inquiunt enim, totam Friderici dispositionem plura præferre non indubia dilectionis argumenta erga Ecclesiam Confraternitatis, ut nullo modo Missarum translatio debeat impertiri. Observant enim, eidem Ecclesiæ donasse scuta quingenta, in eaque Missam quotidianam, & duo singulis annis Anniversaria celebranda mandasse: aliarum insuper Missarum centum celebrationem in ea iniunxisse, & rursus in ea Sepulchrum elegisse; quam quidem circumstantiam tanti ponderis esse affirmant, ut quamvis nullus pro Missarum celebratione designatus esset locus, adimpleri nihilominus deberet in Ecclesia, in qua Testator suum corpus humari præcepit *Pignattel. conf.* 32. *num.* 1. *tom.* 3., *Pasqualig. de Sacrif. Nov. leg. quæst.* 1010. *num.* 50.

Addunt, Auximanis Alumnis nullius esse detrimenti, si quotidianæ Missæ celebratio in Sacello Collegii deficiat, vel saltem cum illud finitimum sit Ecclesiæ Cathedrali, facilè posse eam centum anni diebus adire, aut ad aliam quamlibet Ecclesiam accedere quando vacationis tempore è Seminario exeunt. Hinc inferunt, justam deesse, ac necessariam causam pii Testatoris voluntatem commutandi, quam requirit Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*

Nec subsistere dicunt animadversionem ex præsumpta Testatoris voluntate erutam, quod scilicet si Testator prævidisset futurum fuisse, ut in suo Palatio Seminarium, sive Collegiam erigeretur, in eo potius, quam in Ecclesia Confraternitatis Missarum celebrationem demandasset; Respondent enim, Testatorem adeo fuisse sollicitum de centum Missarum celebratione in eadem Confraternitatis Ecclesia, ut quamvis ex suis bonis hæreditariis erigendum jusserit Monasterium pro Monialibus, quibus Missæ Sacrificium singulis diebus deesse non debet, nihilominus nihil quoad prænitam in illa Ecclesia Missarum celebrationem immutavit. Demùm concludunt, nihil ad translationem concedendam attendi debere, quod Ecclesia Confraternitatis sufficienti Missarum numero ditata reperiatur, cum præcipuè spectanda sit Testatoris affectio erga Ecclesiam, in qua Se-

Sepulchrum elegit, prout definivit Sac. Congregatio in *Romana Tranſlationis Oneris Miſſarum* 28. *Julii* 1731.

Collegii Defenſores inſtantes pro reſcripti confirmatione, nil ultra deduxerunt præter ea, quæ in præteritis etiam ſcriptis allata recenſentur in folio diei 8. *Junij* Anni elapſi, quod opportunè pro accuratiori iſtius cauſæ examine reſumi poterit. Notandum, de Friderici morte Auximi ſequuta, deque illius Cadaveris tumulatione in Eccleſia S. Mariæ de Platea, nullum certum exhiberi documentum, ſolumque conſtare, Auximani Seminarii Alumnos ſingulis Annis ſtatuta die ad eamdem Eccleſiam accedere, ubi pro illius Anima ſolemne peragunt Anniverſarium.

Duæ potiſſimum ſunt cauſæ, ob quas Miſſarum Legata ut plurimum Fideles relinquunt, nempè propriæ Animæ ſuffragium, aut peculiaris erga Sanctum pietas, vel erga Eccleſiam aliquam affectio *Urſaya diſcept. Eccleſ. tom.* 1. *diſcept.* 5. *num.* 12. Si Teſtator Animæ Suffragium reſpexit, Miſſarum translatio facilius concedi ſolet *Gratian. diſcept. foren.* 73. *num.* 1., quia Sacrificium in quacumque Eccleſia celebretur, Defunctis eodem modo ſemper prodeſt *Paſqualig. de Sagrif. nov. Leg. quæſt.* 1148. *num.* 9. Sequs verò ſi Miſſæ demandatæ fuerint ex affectione, vel pro decore alicujus Eccleſiæ, aut peculiarem erga Sanctum devotionem; tunc enim ne Teſtatorum menti fiat injuria, & ne cultus Eccleſiæ quoquo modo imminuatur, translatio non permittitur *Gratian. loc. cit. num.* 4. *Fargn. comm. ad ſign. can. de Jurepatr. part.* 1. *can.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. *Navar. in Manual. cap.* 25. *num.* 134. *Rota in Romana Celebrationis Miſſarum* 13. *Junii* 1732. §. *Ex ipſa coram Calcagnino*.

Sacra Congregatio cautè admodum ſe geſſit in tranſlationibus concedendis, eaſque non concurrente juſta, ac neceſſaria cauſa ut plurimum denegavit, ut proſtant exempla relata in Folio Cauſæ, cui titulus *Faventina Translationis* ad diem 3. *Auguſti* anni nuper elapſi. Perpendenda idcircò primùm diſpoſitio Friderici Campana, qui poſtquam Eccleſiæ Confraternitatis donaverat ſcuta quingenta pro Miſſa quotidiana, & duobus Anniverſariis, eamdem Confraternitatem deficiente Linea Maſculina ſuæ Familiæ ſubſtituit cum onere ædificandi Monaſterium, *ed anco detta Compagnia ogn' anno in eterno ſit tenuta, ed obbligata celebrare, o far celebrare in detta Chieſa cento Meſſe per l' Anima di eſſo Teſtatore*. Deinde ponderanda eſt Toſtatoris affectio erga Eccleſiam, & Confraternitatem, cui ſe dixit *affezzionatiſſimo, e devotiſſimo*, nec non conſtructio Capellæ, & electio Sepulturæ in ea facta.

Ex alia verò parte habenda præ oculis eſt erectio Collegii Loco Monaſterii in ipſo met Palatio Familiæ Campana ſequuta; Videndum, an expediens, aut neceſſe ſit ad rectam Juventutis educationem, ut Miſſæ Sacrificium in Sa-

Sacello Collegii ſingulis diebus habeatur. Hiſce autem prænotatis dijudicandum erit.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Non propoſita cum altera.

CINGULANA SERVITII CHORI. Collegiata Eccleſia S. Exuperantii, quæ extra mœnia Civitatis Cinguli ſita eſt, rigidiori aeris inclementiæ, ex magno ventorum impetu, atque imbrium copia hyberno tempore ſubjicitur: Præcipuè verò Præsbyterii ſitus ex malè compacta fornice adeo redditur inſalubris, ut inſervientium ſalus periclitetur. Solent autem Canonici tribus qualibet die vicibus, juxta ſtylum Cathedralis Eccleſiæ Cingulanæ Collegiatam adire ad Divinas Laudes perſolvendas, ſed quia pluribus incommodis prægravantur, ſupplicem SSmo Domino Noſtro obtulerunt Libellum, quo mutata ſervitii methodo, facultatem petierunt ſeſe conformandi Patriarchalibus Eccleſiis Urbis tam quoad horas, quam quoad tempus intereſſendi Choro bis tantùm qualibet die, mane ſcilicet, ac veſpere, exceptis tamen feſtis diebus, & peculiaribus Eccleſiæ ſollemnitatibus, quibus parati ſunt pro majori Populi commodo, horas, & methodum Cathedralis Eccleſiæ Cingulanæ adamuſſim ſervare. Ac præterea expoſtularunt facultatem obeundi Sacras functiones a die ſecunda Novembris uſque ad Sabbathum ante Dominicam Palmarum in quadam interiori Capella, relicto Presbyterio, quod tamen adire non recuſant prædictis feſtis, & ſollemnioribus diebus, quibus major eſt Populi frequentia. *Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.*

Super hiſce petitionibus auditus fuit Epiſcopus, qui hæc retulit = *Veritati omninò nituntur, quæ narrant Canonici Eccleſiæ S. Exuperantii Civitatis Cingulanæ circa ſitum Sacræ illius Ædis, & incommoditates, quibus iidem* Oratores *obnoxii ſunt, ſive illam adeundo, ſive in patulo Presbyterio vaſtiſſimi Templi Sacris operando. Itaque dignos arbitror, quibus utraque gratia concedatur, tum ſcilicet ſemel tantum mane ad divinas laudes conveniendi, tum etiam ut a Novembri menſe uſque ad Sabbathum Paſſionis Sacrum penſum exvoluant in proxima Eccleſiæ Cappella, cum exceptione tamen feſtorum dierum, & aliorum quorumdam, quæ in ipſis precibus explicantur.*

Ante Concilium Tridentinum exiſtimarunt Doctores repetentes *Text. in cap. Clericos de Cleric. non reſiden.*, aeris intemperiem juſtam præbere cauſam non reſidendi; Quamvis *Fagnanus in cap. licet de Præbend. num. 46.* cenſeat, Doctores intelligendos eſſe de aeris corruptione, quo caſu licere aſſerit, etiam renuente Superiore diſcedere. Verùm poſt Concilium Tridentinum non videtur amplius poſſe Capitu-

tulares pro libitu discedere, sed tantum ob aeris asperitatem, atque inclementiam locum esse dispensationi a residentia *Fagnan. loc.citat.*. Quare petente hac de causa anno 1580. Capitulo Cathedralis Caurien. exemptionem a residentia, Summus Pontifex Canonicis concessit, ut per alium mensem, ultra vacationis tempus abesse possent, in numero ab Episcopo præfiniendo, ne divinus cultus desereretur.

Hoc autem præmisso, censet *Monacell.in form. legal.practi.par.1. tit,5.form.* 2. *n.33.* horas recitationis divini Officii præscribendas esse habito respectu ad locum, & Ecclesiæ commodum. Ait enim = *Nam ob aeris intemperiem tollerari potest, quod Matutinum non ab ortu solis &c. sed per horam integram post solis ortum incipiatur, prout pro tollerantia respondit S. Congregatio Concilii in Trojana* 14. *Februarii*, & 14. *Novembris* 1699. *favore Capituli Collegiatæ Civitatis Foggiæ*. Porrò Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* hæc statuit = *Cætera, quæ ad debitum in divinis Officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi, seu modulandi ratione, de certa lege in Choro conveniendi, & permanendi, simulque de omnibus Ecclesiæ Ministris quæ necessaria erunt, & si qua huiusmodi, Synodus Privincialis pro cuiusque Provinciæ utilitate, & moribus certam cuique formulam prescribet. Interea vero Episcopus non minus, quam cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter a Capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit providere.*

Quoad tempus recitationis Divini Officii diversa fuit antiqua Ecclesiæ disciplina, ab ea, quæ modo observatur, ut refert sa. mem. Benedict. XIV. *Instit. Eccles.* 107. *num.* 20. Juxta præsentem disciplinam magis commoda præfiniri solet hora, quæ ut plurimum prudenti Episcopi arbitrio remittitur, ut in *Interamnen.* 23. *Februarii anni præteriti*.

Quo verò ad locum recitandi divinum Officium, sacrasque functiones peragendi, refert laudatus Pontifex Benedictus XIV. *citat.instit.* 107. *num.* 19., Sanctum Carolum Borromæum decrevisse, ut *Matutinum in Choro Eccles.æ celebretur quovis anni tempore; At si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ iustæ causæ intercedant, de licentia Episcopi in Sacristia, vel honesto alio Ecclesiæ loco dici possit* = quod etiam probavit Sac. Congregatio in *Florentina* 18. *Novembris* 1645.

Dijudicandum proindè erit ab EE. VV.

I. *An sit concedenda facultas Canonicis Collegiatæ S. Exuperantii, his tantum qualibet die toto anni tempore in Choro conueniendi, exceptis tamen diebus festis, aliisque Ecclesiæ solemnitatibus in casu &c.*

II. *An sit eisdem concedenda etiam facultas celebrandi Divina officia in Capella S. Mariæ Angelorum a die* 2. *Novembris usque ad Sabbathum ante Dominicam Palmarum, exceptis tamen diebus festis, aliisque sollemnitatibus in casu &c.*

Dio

Die Sabbathi 14. Martii 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

SEptem ſunt, quæ in hodierno folio deſcribuntur Cauſæ, quæque cum aliis in præcedenti folio relatis, EE.VV. definiendæ proponuntur.

AUXIMANA TRANSLATIONIS MISSARUM.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Seſſ. 22. cap. 4. de Reform.

Prævio receſſu a deciſis ſervetur diſpoſitio Teſtaroris.

CINGULANA SERVITII CHORI.

Seſſ. 24. cap. 13 de Reform.

I. *An ſit concedenda facultas Canonicis Collegiatæ S. Exuperantii, bis tantum qualibet die toto anni tempore in Choro conueniendi, exceptis tamen diebus feſtis, aliiſque Eccleſiæ ſolemnitatibus in caſu &c.*

II. *An ſit eiſdem concedenda etiam facultas celebrandi Divina officia in Capella S. Mariæ Angelorum a die 2. Novembris uſque ad Sabbathum ante Dominicam Palmarum, exceptis tamen diebus feſtis, aliiſque ſollemnitatibus in caſu &c.*

Ad I. Arbitrio Epiſcopi. Ad II. Arbitrio Epiſcopi.

OLOMUCEN. MATRIMONII. Nobilem Adoleſcentulam Baroniſſam Leopoldinam de Poppen in Arce Byrava ſub dominio Boruſſico apud Tutricem commorantem, rapuit die 24. Novembris 1744. Nobilis Vir Fridericus Herneſtus Comes Giannini in Auſtriacis Copiis Vice-Columnellus, eamque tranſtulit ad Oppidum Fulnekæ è Regione ſitum, ubi die 10. Decembris ejuſdem anni coram Capellano Caſtrenſi, & duobus Teſtibus contractum

Seſſ. 24. cap. 1. & 6. de Reform. Matrim.

fuit Matrimonium. Ambò deindè quum Civitatem Olomucensem adierint, moniti ab Episcopo, & prudentibus Viris, ut sejunctim viverent, Olomucio relicto, adierunt Fortalitium quoddam, quod dicitur Kradistium, ibique post moram quinque mensium, die nempe 16. Januarii 1746., coram Parocho, & Testibus Matrimonii consensum renovarunt.

Evulgato raptus rumore, sequestro subjecta fuerunt Bona Baronissæ in ditione Borussica existentia, quod tamen fuit revocatum ædita per Baronissam declaratione de consensu in raptum præstito. Verùm nonnullis postea ipsam inter, & Comitem Giannini exortis dissidiis, illa fugam arripuit, & a Catholica Religione miserè defecit; ac deindè Matrimonii nullitatem proposuit in Tribunalibus Borussicis, ubi discussa causa ad tramites Juris Protestantici divortium permittentis inter Conjuges ob dissidia, animorumque abalienationem, declarari obtinuit, *vinculum Matrimonii esse solvendum*, & arbitrium Baronissæ *liberè relinquendum aliud Matrimonium ineundi*; Atque hæc Sententia, quæ prodiit an. 1754., semel, iterumque deinde fuit confirmata, frustra reclamante Comite Giannino, ac vehementer instante, ut Baronissa ad se redire compelleretur.

Provocavit itaque Comes Gianninus anno 1765. ad Consistorium Episcopale Olomucense, petiitque, nullum declarari Matrimonium tum ex causa raptus, tum ex defectu proprii Parochi; Cumque Causa cecidisset, appellavit ad Sac. Congregationem; sed exitu minus felici; nam proposito die 26. Augusti 1769. dubio = *An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.* =, responsum fuit *Negativè*. = Impertita autem nova audientia, de hujusce Matrimonii validitate iterum hodie agendum est.

Iisdem de causis, *raptus* scilicet, & *defientiæ proprii Parochi*, Matrimonii nullitatem denuò sustinere nituntur Comitis Giannini Defensores: Et ad primum quod attinet, contendunt, raptum formalem adesse non solùm, quando invita rapitur Puella, sed etiam quando illa in raptum consentit, inscii tamen, & invitis Parentibus, vel Tutoribus. In hanc sententiam, si unus, aut alter excipiatur, omnes convenire, dicunt, Doctores, *Raynald. observ. crim. cap.* 22. §. 11. 12. & 13. *num.* 83. 84., *Mascard. de probat. tom.* 4. *verb. Raptus num.* 26. & *seq.*, *Card. de Luca de Matrim. disc.* 5. *per tot.*, *Rigant. ad reg.* 49. *Cancellar. num.* 69. & *seq.*. Consonum quoque esse Jus Canonicum in *Can. Si autem*. & *Can. Placuit quæst.* 26., & *Cap. Quum causam* 6. *de Raptor.* atque etiam Jus Civile *Leg. unic. §. Et si quidem Cod. de Raptu Virgin.*. Hanc insuper sententiam semel, atque iterum probasse Sac. Congregationem, ut apud *Rigant. loc. citat. n.* 70., & *seq.*. Nec dissimilem fuisse Sacræ Rotæ opinionem in *decis.* 498. *num.* 7. *part.* 14., *decis.* 162. *num.* 6., & *seq. par.* 15.,

de-

decis. 250. *num.* 5., *& seq. par.* 16., *& decis.* 75. *num.* 9., *& seq. par.* 17. *Recent.*. Et ab hac generali regula tunc solum recedi, quando Puella post desponsationem in raptum consenserit *Cap. Cum causam 6. de Raptor.*, *Card. de Luc. de Matrim. discur.* 29. *num.* 13., *& seq.*, *Rot. decis.* 250. *num.* 9., *& seq. par.* 16. *Recent.*

Nec obesse putant decretum Concilii Tridentini excludentis necessitatem consensus Parentum in matrimoniis. Advertunt enim, Concilium permisisse quidem, ut Parentum dissensus non impediat matrimonia a Filiisfamilias contrahenda, at quoad raptum nihil innovasse, sed hunc casum sub juris dispositione reliquisse, ac proinde voluisse, ut raptus nova forma expiari deberet, priusquam rapta Puella matrimonium contraheret, *Card. de Luc. citat. discur. de Matrimon. num.* 20., *& seq.*, *& in adnot. ad Concil. discur.* 29. *num.* 11., *& seq.*, *Rigant. loc. citat. num.* 69.. Observant præterea, aliud esse consentire in raptum, & consentire in matrimonium; atque ex consensu in raptum non inferri consensum in matrimonium, cùm Puella, quæ in raptum consensiit, a matrimonio dissentire potuerit; atque idcircò necessarium existimant, ut priusquam Puella, post raptum, matrimonium contrahat, servari debeat forma a Concilio præscripta, scilicet ut in loco tuto, & libero constituatur *Rigant. ibid. num.* 78., *& seq.*

Ex his inferunt, ad excludendum raptum formalem duo copulativè requiri, nimirum libertatem consensus in actu raptus, & præcedentia Sponsalia sollemnia, atque perfecta. Hujusmodi autem probationes perspicuas esse oportere, atque invincibiles, *Rigant. ibid. num.* 89., *Rot. dec.* 350. *num.* 22. *par.* 16. *Recent.*, easque vel præcedere debere raptum, vel adesse, quo tempore admittitur, vel subsequi quidem etiam posse, sed eo tempore concurrere debere, quo Raptu a Raptore disjuncta, omnimoda libertate potiebatur: Et nihili faciendas esse probationes desumptas ex confessione Puellæ in Raptoris potestate adhuc existentis, *Rot. in Recent. decis.* 498. *num.* 14. *par.* 14., *decis.* 305. *num.* 3., *& seq. par.* 15., *decis.* 250. *num.* 16., *& 23. par.* 16.

Utrumque in præsenti casu defuisse contendunt, cum raptus patratus fuerit sub noctem, & per Milites, armata manu, atque mentito a Comite Giannini habitu. Hunc autem raptum fuisse formalem, & violentum desumunt, tum ex juris præsumptione, quia Baronissa erat in tenera ætate annorum 14., plenoque rationis usu destituta *Purinacc. quæst.* 145. *num.* 130., *& 140.*, *Rot. citat. decis.* 498. *num.* 3., *& seq. par.* 14. *Recent.*, tum ex judiciali querela statim post raptum ab Avia, Tutore, & Sponso designato Boruffiæ Tribunalibus exposita, in qua raptus *violentus* nuncupatur, *& violenter patratus*; tum etiam ex iterata depositione Pa-

rochi Byravienſis, qui raptui præſens fuit, omniaque propriis oculis inſpexit, & jurejurando aſſeruit, raptum *verum*, & *formalem* interfuiſſe; tum demum ex ipſa Raptæ confeſſione, quæ ſtatim ac priſtinam libertatem recuperaverit, teſtata eſt *contra propriam voluntatem*, & *conſenſum*, *invitam*, & *renitentem*, *violenter* fuiſſe abductam.

Provocant deindè ad Canonicum Quentell, qui audiviſſe refert a defuncto Epiſcopo Olomucenſi, Baroniſſam monuiſſe, ut in locum tutum ſe reciperet, & a ſuo Marito ſeparata aliquo tempore maneret; inſuperque eumdem Canonicum Authorem fuiſſe, ut Baroniſſa a Viro ſejungeretur. Hujuſmodi tamen conſilia tunc ſolum convenire, affirmant, quando Matrimonium præceſſit raptus, non verò quando defecit proprii Parochi præſentia, quia in iſto caſu Vir, & Mulier poſſunt, ſervata forma Concilii, Matrimonio conjungi.

Negant ulterius, Sponſalia præceſſiſſe, cùm de his unus tantùm Canonicus Quentell meminerit, & quidem *de auditu* a Baroniſſa, dum adhuc Olomucii ſub Raptoris cuſtodia morabatur, ſed illa prorſus ignoraſſe reliquos duos Teſtes formali examini ſubjectos. Cæterùm Sponſalia prorſus excludere conantur, animadvertendo, Comitem Giannini ea nunquam exhibuiſſe apud Tribunalia Boruſſa, cum tamen, ad evadendas Raptorum pœnas, illorum exhibitionem non omiſiſſet; Atque etiam ex quo Baroniſſa ſollemnia ante raptum Sponſalia inierat cum Barone de Kalcreitter. Atque hinc putant, Sententiam Conſiſtorii Olomucenſis Matrimonii validitatem declaraſſe ob conſenſum Baroniſſæ, non autem ob Sponſalia, de quibus nullam fecit mentionem.

Hunc tamen conſenſum omninò deſiderari dicunt, neque ad illum probandum ſufficere adductos Teſtes, qui nec fidem merentur, cum ex his duo poſt editum teſtimonium, Judicis partes aſſumpſerint, ſententiamque in Cauſa tulerint *Cap. Cum a Nobis de Teſtib.*, *Can. Nullus unquam*, & *Can. Nullus introducatur conſ. 4. quæſt. 4.*, nec vim ullam habeant, cum non deponant de re, quam ipſi viderint, vel audierint aut ante raptum, aut in ipſo actu patrari raptus, aut poſt reſtitutam Baroniſſæ libertatem, ſed ſolùm de auditu ab ipſa Baroniſſa, dum adhuc in Raptoris domo, & poteſtate manebat. Multoque minus conſenſum erui poſſe ex ore ipſius Baroniſſæ, quia hæc nec in loco tuto, ac libero morabatur, & cum perſonis alloquebatur arcto neceſſitudinis vinculo Familiæ Giannini conjunctis, ejuſque præterea alloquutiones verſatiles erant, ac variis modis expreſſæ. Eademque de cauſa nullam habendam eſſe rationem de duobus foliis Baroniſſæ nomine anno 1745. inſcriptis, de quibus ipſa, poſtquam libertati fuit reſtituta, conqueſta eſt, & contra ſuam voluntatem extorta violenter fuiſſe, declaravit.

Per-

Perperamque opponi, Baroniſſam in loco libero, ac tuto *per æquipollens* conſtitutam cenſeri debere tum Olomucii, tum Kradiſtii, cum utrobique ità liberè converſaretur, ut vel aufugere, vel Epiſcopum adire potuerit. Negant enim primum, *per æquipollens* ſuppleri poſſe, quæ Concilium Tridentinum tanquam *formam*, ut ajunt *ſubſtantialem*, & *neceſſariam* requirit. Deindè contendunt, neceſſarium fuiſſe, ut ea omnimodæ libertati, plenæque ſecuritati reſtitueretur *Cap. Accedens de Procurat.*, ibique *Gloſſ. verb. libera*, *Cap. Cum locum de Sponſal.*, & *Gloſſ. verb. Nihil timere*, *Sanchez de Matrimon. lib. 7. quæſt. 13. num. 1. & 2.*, idque verificatum minimè fuiſſe de Baroniſſa, quæ in Ditione hoſtili, belli tempore, atque inter hoſtes, procul a patriis laribus verſabatur in domo Raptoris, ejuſque famulis ſemper ſtipata, nec proindè cenſeri poteſt, ut in ſtatu libertatis conſenſum elicere valuerit.

Atque hæc quoad raptum. Quo verò ad alterum nullitatis caput ex defectu *proprii Parochi* deſumptum, monent in primis, in id Partes convenire, ut irritum fuerit Matrimonium coram Capellano Campeſtri Fulnekæ celebratum; undè totam quæſtionem verſari circa illius renovationem coram Parocho Kradiſtij. Qua in re duo præmittunt: Primò ſcilicèt, Comitem Giannini cum Kradiſtij ad breve tempus moraretur, militiam actu exercuiſſe, & Auſtriacis copiis præfuiſſe. Deindè verò, Baroniſſam ſub illius poteſtate, ac mancipio viventem, ipſum huc, atque illuc ſequi fuiſſe coactam. Præmittunt, Milites, qui Caſtra ſequuntur, ex Conſtitutione ſan. mem. Benedicti XIV. pro univerſo Auſtriaco Exercitu edita, privativè quoad Sacramenta ſubjici Capellano majori, vel ei, qui ab ipſo fuerit legitimè deputatus: Milites verò Præſidiarios ſubjectos eſſe Parochis Locorum, in quibus præſidia ſunt conſtituta. Addunt, quod ſi eo tempore matrimonium contrahi contingat inter perſonas, quarum una militaris ſit, & occaſione ſtationis in Loco Præſidii moretur, altera verò ejuſdem Loci Parocho ſit ſubjecta, tunc ex præſcripto ejuſdem Conſtitutionis tam Parochus Loci, quàm Sacerdos Exercitus a Capellano majori deputatus, hujuſmodi matrimonio ſimul debeant intereſſe.

Hiſce præmiſſis contendunt, matrimonium a Comite Giannini initum cum Baroniſſa de Poppen, non coram Parocho Kradiſtij, ſed coram Capellano Exercitus debuiſſe renovari. Neque audiendos eſſe, qui eumdem Comitem Giannini pro vago Milite declamant; cum probari nequeat, ipſum vel nullum habuiſſe domicilium, vel illud deſeruiſſe, quorum alterutrum ad inducendam Vagi qualitatem requiritur *Barboſ. in Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 7. num. 2.*, *Ferrar. in Biblioth. verb. Vagus num. 1.* Immeritò quoque regeri, tempore renovati matrimonii, ob evulgatam

tam pacem, Exercitus fuisse dimissos, Milites ex albo deletos. & ad suos lares redire jussos. Fatentur quidem obsignata, non tamen ratihabita pacis fœdera, proindèque Comitem Giannini, qui Miles adhuc erat, & Austriacis copiis præerat, animum permanendi Kradistij non habuisse, prout ad domicilium acquirendum opus fuisset *Sanchez de Matrimon. lib. 3. disput. 23. num. 14.*, *Barbos. de Paroch. par. 2. cap. 21. num. 35.*, *& seq.*. Quæ de Comite Giannino affirmant, eadem de Baronissa prædicari, eique convenire existimant; cum Benedictina Constitutio fœminas etiam comprehendat Castra quoquo modo sequentes.

Sustinent præterea, jurisdictionem Capellanis Militum in eadem Benedictina Constitutione tributam, non esse *cumulativam* cum Parochis Locorum, sed *privativam*; idque deprehendi tum ex politica, atque œconomica moderandi Exercitus ratione, quæ Prætoribus, seu, ut vocant, Auditoribus Generalibus, tota committitur, *Arumeus de jur. public. Imperat. tom. 3. conf. 16. num. 42.*, *Rot. post Card. de Luc. in Mantiss. decis. 36. num. 13. lib. 9. tom. 3.*, *& decis. 37. num. 6.*, *& 7.*, tum etiam ex Juris Canonici sanctione, & Ecclesiæ disciplina *Raphael de Villosa de Milit. fugit. cap. 20. §. 2. n. 4.*, *Vvanespen. in jus Eccles. univ. par. 2. tit. 12. cap. 5. num. 16.*; atque hisce legibus sese conformasse san. mem. Bened. XIV. in citata Constitutione affirmant. His addunt observantiam depromptam ex depositionibus Capellani majoris, nec non duorum universi Exercitus Generalium Auditorum, atque etiam Capellani Prætoriani, ex quibus evinci ajunt, Parochum tam Comitis Giannini, quam Baronissæ de Poppen, esse privativè debuisse Exercitus Capellanum.

Nec satis constare censent de sequuta matrimonii renovatione coram Parocho Kradistij, de qua nihil testati sunt Canonicus Rolsberg, & Monialis Ursulina, quamvis pro Matrimonio ambo propenderent. Despiciendum verò Testimonium Canonici Quentell pluribus refertum falsitatibus, & contradictionibus. Nihil prætereà certi erui posse ex duobus Testibus, qui Matrimonio adstiterunt, cum unus jamdudum obierit, & alter absque juramento depositionem exaraverit, deindèque ad jurandum adactus, respondere recusaverit. Ac demùm attendi non debere *Matriculam* a Parocho tunc temporis Kradistiensi in suis libris Parochialibus scriptam, utpotè fraude confectam, & de mendacio suspectam.

Tandem in qualibet dubietate, proponunt, locum esse juramento a Comite Giannini præstando, quod semper adhiberi asserunt, quoties semiplenæ adsunt probationes, nec, inspecta rei, de qua agitur, qualitate, magis concludentes haberi possunt *Vinn. select. jur. quæst. lib. 1. cap. 42.*, *Boer. decis. 85. num. 3.*, *& seq.*, *Sperell. decis. 75. num. 58.*, *& seq.*; Et plura adesse juramenti suppletorii exempla, quod præ-

ser-

sertim præstari solet a Muliere, de cujus Viri impotentia, certò non constiterit *Cap.* 1., *& Cap. Laudabilem* 5. *de frigid.* Atque etiam admitti in Matrimonio spirituali, quoties perfectæ metus probationes non exhibentur, vel quia perierunt, vel quia metus fuerit occultè illatus *Pignattell. consultat. Canon.* 4. *num.* 9. *tom.* 1.

Sed contra hæc Matrimoni Defensor illius validitatem tuetur; & neque ex causa *raptus*, neque ex defectu *proprii Parochi* irritum haberi posse contendit. De raptu animadvertit, illum Jure quidem Cæsareo perpetuum fuisse Matrimonii impedimentum *Leg. unic. §. Et quidem Cod. de rapt. virg.*. In veteri autem Jure Canonico graviſſimè quidem prohiberi Matrimonium Raptoris cum Rapta: nullum tamen verbum adhiberi, quo irritum declaretur. Hinc arguit, veteres Canones fuisse ad summum pœnales, quatenus nimirum Matrimonium Raptorem inter, & Raptam impediebant. Impedimentum verò in duobus casibus intelligendum putat, quando scilicet defeciſſet consensus Raptæ in matrimonium cum Raptore; vel quando Rapta Sponsalia cum altera Persona per verba de præsenti antea iniisset, *Gloss. in Sum. cauſ.* 36. *quæst.* 2. *verb. Nunc quæritur in fin.*, *& ibid. cap.* 1. *verb. Eos, qui rapiunt*. Cæterum, antiquo Ecclesiæ jure vetitum in perpetuum nequaquam fuisse Raptoris cum Rapta matrimonium, constare asserit ex *Cap. Cum causam* 6., *& Cap. Accedens* 7. *de Raptor.*, atque ex his etiam deprehendi, vim in raptu solis Parentibus illatam, constituisse crimen raptus, non tamen impedimentum dirimens matrimonium, dummodò Rapta consensum in matrimonium præstitiſſet.

Antiquam Sacrorum Canonum disciplinam nullimodè a Concilio Tridentino immutatam affirmat, sed tantummodo constitutum ab eo fuisse modum magis accuratum explorandi consensum Raptæ, ut matrimonium cum Raptore posset contrahere, & ideo decrevisse, ut Rapta a Raptore sejuncta, in loco tuto, & libero collocaretur. Id autem ex eo desumit, quod Concilium *sess.* 24. *de Reform. Matrimon. cap.* 1. definivit, disensum Parentum matrimonii validitati non officere; vel etiam quia congruæ Parentum, vel Tutorum satisfactioni Concilium minimè prospexit, nec præcepit, ut illis rapta Puella restitueretur.

Admittit, Concilium sub juris dispositione reliquisse interpretationem nominis *Raptoris*, & *Raptæ*, non tamen *ad omnem*, *& solam* juris communis dispositionem; alioquin sequeretur, ex Tridentini mente, ut stuprum dirimeret matrimonium, quia stuprum dicitur raptus *Canon. Raptus cauſ.* 27. *quæst.* 2., *& cauſ.* 36. *quæst.* 1.. Præterea violenta Meretricis abductio in Jure Civili non reputatur raptus *Leg. unica, Cod. de rapt. Virgin.*, ibique *Glossa verb. Virginum* hone-

honeſtarum. Et tamen in jure Canonico eſt raptus, & parit impedimentum *Ferrar. in Biblioth. verb. Impedimenta artic.2. num.123.*. Proùt etiam raptus Viri factus a Muliere ſub juris diſpoſitione comprehenditur *Menoch. de arbitr. caſ.291. num.11.*, *Sanchez de Matrimon. lib.7. diſput.12. num.24.*, *& ſeq.*, ſed ex jure Canonico Matrimonium non dirimit *Barboſ. ad Concil. Trident. ſeſſ.24. de Reform. cap.6. num.5.*, aliique apud *Ferraris loc. ſup. citat. num.124.*. Infert proindè, non aliam fuiſſe Concilii mentem, quam conſulendi libertati Mulieris Raptæ, ut in Matrimonium cum Raptore liberè poſſet conſentire, nulla prorsùs habita de conſenſu Parentum, vel Tutorum ratione, atque in hanc ſententiam plures convenire Doctores, quos congerit idem *Ferrar. loc. cit. num.117.*

Neque aliud evinci ex geminis decretis Sacræ hujus Congregationis relatis a *Rigant. ad Reg.49.*, *Cancell. num.70. & 82.*; cum non conſtet, ea decreta prodiiſſe in hypotheſi Matrimonii diſſentientibus Parentibus contracti a Muliere, quæ conſenſerit *tum in raptum*, *tum in Matrimonium*, quorum utrumque copulativè requiritur, ut raptus Matrimonii ſubſtantiæ non officiat. Nilque obeſſe clauſulas in poſteriori decreto adjectas = *Dum tamen ſit raptus juxta terminos Juris communis* =, quia eæ referendæ ſunt ad conſenſum, quem Mulier rapta non ſponte, ſed falſis ſuaſionibus, ac malitiosè ſeducta præſtiterit, atque hoc modo illas intellexiſſe Sac. Rotæ Tribunal in *Leodien. nullitatis Matrimonii deciſ.75. num.9.*, *& ſeq. par.17. Recent.*. Nec diverſimodè intelligi poſſe, aliàs decretum apertè pugnaret cum diſpoſitione Concilii Tridentini, quod Parentum conſenſum ad matrimonii validitatem minimè requirit.

Ex his ergo infert, ad irritandum matrimonium ex cauſa raptus, invictiſſimis argumentis probandum eſſe defectum conſenſus Baroniſsæ in raptum. Ad id autem nihil conferre teſtimonium Parochi Byravienſis, quia unicus eſt, & ſingularis: Neque ipſius Baroniſsæ confeſſionem in Aula Boruſſiæ editam, quia pro matrimonii diſſolutione tunc inſtabat, & ad proprium commodum deponebat, *Cap. Si Teſtes §. Nullus*, *& §. Omnibus cauſ.3. quæſt.2.*, *& 3.*. Nilque pariter attendi Comitis Giannini confeſſionem, utpotè quia Baroniſsæ *formalem* raptum alleganti mordicus ipſe contradixerit, & ad tertiam uſque inſtantiam ſeſe oppoſuerit. Rejiciendas quoque eſſe querelas a Tutoribus, & ab aſſerto Sponſo contra eumdem Comitem Giannini expoſitas; cum in his mentio tantum de *materiali* raptu habeatur, nullumque adſit argumentum, ex quo Baroniſsæ diſſenſus elici valeat.

Inſuper adverſus hæc omnia opponit teſtimonium Canonici Quentell, & alterius Canonici Rolsbergh, nec non Sanctimonialis Urſulinæ, quæ arcta neceſſitudine Baroniſsæ conjun-

conjuncta erat; atque etiam objicit repetitas ipsius Baronissæ declarationes, quas plurimi faciendas sustinet, eo quia emissæ fuerunt cum Personis, quibus maxima familiaritate utebatur. Ex his arguit, minimè dubitari posse, quin Baronissæ abductio sequuta fuerit ipsa consentiente, atque optante ut matrimonium cum Comite Giannini contraheret, neque idcirco in isto casu opus fuisse, ut Rapta a Raptore sejungeretur, quemadmopum in hypothesi veri, & formalis raptus Concilium præscribit.

Ad alterum propositæ nullitatis caput *ex defectu proprii Parochi* desumptum, advertit, Breve san.mem. Benedicti XIV. ad casum, de qua agitur, aptari non posse, cùm illud comprehendat Personas militares, quæ *ob accidentales, & temporaneas sive hybernas, sive æstivas, aut etiam præsidiales stationes ibi pro tempore commorentur*, neque id verificari de Comite Giannino, qui in Oppido Kradistij *stationis causa* non permanebat, neque ibi militares copiæ, eorumque Capellanus extabant. Addit, nullam in eodem Brevi reperiri clausulam Matrimonia aliter facta *irritantem*, & ex hoc infert, Matrimonia esse quidem illicita, non tamen nulla. Observat etiam, idem Breve esse tantùm *facultativum*, non verò *privativum*, nec adimere Parochis facultates de jure competentes; cum facultates nunquam censeantur uni ademptæ, & alteri *privativè* tributæ, nisi apertis verbis id fuerit expressum *Rot. decis. 316. num. 1. §. Neque hujusmodi par. 14. Recent.*

Maximè quia jurium præservatio in qualibet Principis concessione semper præsumitur *Cap. Cum dicat de Eccles. ædif.*, *Cap. Quamvis de Rescript. in 6.*, *Leg. 2. §. Ne quis a Principe ff. Ne quid in loc. public.*, *Leg. Ne unus Cod. de emancip. liber.* Inhærendum proinde tantummodò asserit literæ Brevis Benedictini, rejectis attestationibus Capellani majoris, & Austriaci Exercitus Auditorum affirmantium, facultates hujusmodi ipsi majori Capellano, cæterisque Campestribus Capellanis fuisse impertitas. Inapplicabiles autem esse auctoritates a Defensoribus Comitis Giannini hac super re allegatas, quia ex iis nullo modo firmata dignoscitur privativa Capellanorum Exercitus jurisdictio, cum omnimoda Parochorum exclusione.

Perperamque objici dicit, Comitem Giannini, utpotè Militiæ addictum, animum acquirendi domicilium Kradistij habere non potuisse. Respondet enim, ad Parochialitatem acquirendam non requiri domicilium, sed simplicem habitationem sufficere, *Fagnan. in Cap. Significavit de Parochi. num. 27.*, *Panimoll. decis. 166. num. 24.*, vel ad summum unius tantùm mensis permanentiam verificari oportere, *Fagnan. ibid.*, *Bened. XIV. in Constit. incipien. Paucis ab hinc annis*. Satis autem constare dicit, Comitem Giannini facultatem recedendi a militia obtinuisse, ipsumque Olomu-

cio ad Oppidum Kradiſtij ſeſe cum Baroniſſa contuliſſe, animo ibidem commorandi, & ut validè Matrimonium renovaret, proùt Epiſcopus Olomucenſis, & prudentes, doctique Viri illi ſuaſerant. Concludit itaque, quod, dum Kradiſtij moratus eſt, illius loci Parocho ſubjectus fuerit, coram quo ritè potuerit Matrimonium renovare.

De ſequuta verò renovatione dubitari non poſſe exiſtimat; cùm ea deſumatur, tum ex Parochiali Codice, tum ex Parochi depoſitione, tum etiam ex formali examine unius ex Teſtibus in eo actu adhibitis. Nec obeſſe, quod renovationis actus ignotus fuerit Canonico Rolsberg, & Monialibus Urſulinæ, vel quod prædictus Teſtis formiter repetitus, ſub jurisjurandi religione teſtimonium non perhibuerit. Quo enim ad primum regerit, nullam adfuiſſe neceſſitatem renovationem Matrimonii patefaciendi: Quo verò ad alterum contendit, ex deficientia juramenti non inferri denegatam a Teſte fuiſſe renovationem; & Comiti Giannino imputandum, ſi juris remediis illum ſecunda vice ad reſpondendum non impulerit. Poſt hæc plura congerit, ut diluat argumenta a Defenſoribus Comitis Giannini propoſita, quibus fidem detrahere conantur Parochiali Libro, in quo renovati Matrimonii particula continetur.

Denique de juramento ſuppletorio a Comite Giannini præſtando, animadvertit, illud in cauſis gravioribus non admitti *Gloſſ. in Cap. Mulier verb. Abſolutio in fin. de jur. juran.*, ibique *Hoſtien. Cap.* 1., & *Card. Zabarella num.* 2., & 17., præſertim in Cauſis Matrimonialibus, *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſcop. allegat.* 84. *num.* 10. *part.* 3., *Rot. deciſ. prima num.* 14. & 15. *de Sponſal.*, & *Matrim. coram Falconer.*, & quando pares ſunt utriuſque Partis probationes, quæ invicem eliſæ remaneant *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *centur.* 2 *caſ.* 190. *num.* 19.. Nec ad rem eſſe adducta exempla, cùm in uno & ſu auctoritates ibidem allatæ præſupponant Medicorum judicium de Viri impotentia, in altero verò ſatis validæ exhibitæ fuerint conjecturæ, adminicula, & præſumptiones, *Pignattell. conſultat. canon.* 4. *tom.* 1. *num.* 9., quorum neutrum in præſenti caſu concurrit.

Hæc ſunt, quæ in hac Cauſa tam pro parte Comitis Giannini, quàm a Defenſore Matrimonii ex Officio deducuntur. Plura ſanè ad rem pertinentia adnotavi in folio *diei* 29. *Julii* 1769., quod Eminentiſſimi PP. iterum perpendere deprecantur. Nonnulla tamen hic rurſus attingere juvat. Et quoniam præcipua difficultas verſatur circa veri raptus naturam, & qualitates, operæ pretium erit in primis animadvertere, raptum definiri = *Violenta fœminæ abductio de loco ad locum cauſa Matrimonii* = Tria proindè ad conſtituendum raptum formalem ex communi ſententia requiruntur, primo ſcilicet, quod adſit abductio; deindè quod ea directa ſit ad matrimonium; & demum, quod ſit violenta,

vel

vel *physicè* per violentam manuum injectionem, vel *moraliter* per minas, & gravem metum; quibus addunt nonnulli importunas etiam suasiones, dona, aut alias amatorias artes *Fagnan. in Cap. Accedens 7. de Raptor.*

De Raptu quoad Matrimonium, alia in Jure Civili, alia in Jure Canonico constituta inveniuntur. Jure namque Civili consisteret non poterat matrimonium Raptorem inter, & Raptam, etiamsi Parentum, vel utriusque Partis consensus accederet *Leg. unic. §. Et quidem, Cod. de Rapt. Virg.*, idque apud alias quoque gentes fuisse observatum, habetur ex *Gonzalez loc. citat. num. 2.*. In Jure autem Canonico quidquid senserint nonnulli apud *Clericat. de Sacram. Matrimon. decis. 33. num. 3.* existimantes, ex antiqua Sacrorum Canonum præscriptione, raptum fuisse saltem in aliquibus Ecclesiis impedimentum perpetuò dirimens matrimonium Raptorem inter, & Raptam; certum tamen est apud omnes, a sæculo XI. ratum fuisse habitum matrimonium Raptoris cum Rapta, dummodo istius consensus accederet. Etenim in *Cap. Accedens 7. de Raptoribus*, sic legitur = *Rapta Puellæ legitimè contrahet cum Raptore, si prior dissentio transeat postmodum in consensum, & quod antea displicuerit, tandem incipiat complacere, dummodò ad contrahendum sint legitimæ personæ* = Et jure novissimo a Sacro Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de Reform. Matrimon.* decretum fuit, *inter Raptorem, & Raptam, quamdiù ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si Rapta a Raptore separata, & in loco tuto, & libere constituta, illum in Virum habere consenserit, eam Raptor in Uxorem habeat* =

Circa hujusce decreti intelligentiam maximè inter se dissentiunt Authores. Plures enim existimant, per hujusmodi decretum renovatum fuisse Juris Civilis rigorem tam quoad pœnas, quàm quoad matrimonii prohibitionem, donec Rapta in Raptoris potestate existeret, etiamsi mutato postea consilio, ejus liber, & perfectus consensus accederet. Atque hinc inferunt, quod sicut in Jure Civili, ita in novissimo quoque Jure Canonico, abductio Puellæ consentientis, invitis tamen, vel ignaris Parentibus, aut aliis, sub quorum potestate, & tutela maneret, verum raptum constituat quoad matrimonium contrahendum; propterea quod etiam in ipsis Puellis, seductionibus facilè subjectis, ob sexus, atque ætatis imbecillitatem, violentia interpretativa præsumitur *Card. de Luc. adnotat. ad Concil. Trident. discurs. 28. num. 11.*

Hujus sententiæ vindices nituntur duobus Sacræ hujus Congregationis decretis apud *Rigant. ad Regul. 49. Cancellar. num. 70., & 82.*. Cum enim ageretur de violenta abductione Puellæ consentientis, sed invitis Parentibus, *Sacra Congregatio censuit, hujusmodi Raptorem, secundum ea*

quæ proponuntur, comprehendi tam quoad pœnam, quam quoad Matrimonii prohibitionem in decreto cap.6. sess.24. de Reform.. Similiter cùm die 24. Januarii 1608. propositum fuisset dubium = *An Raptores Mulierum, quæ raptui consenserint, comprehendantur quoad pœnam, & Matrimonii prohibitionem in decreto Concil. Trident. cap.6. Sess.24. de reform. Matrimon.*, fertur, a Sacra Congregatione fuisse responsum, *Concilium procedere etiam in Muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis.*

Alii tamen censent, ex jure novissimo Concilii Tridentini nil aliud de Sacrorum Canonum benignitate fuisse innovatum, quàm modum, & formam legitimè explorandi Raptæ consensum, priusquam cum Raptore matrimonium contrahere posset. Cum enim in *cit. Cap. Accedens 7. de Raptor.* id unum requireretur, ut Rapta consensum præstaret in matrimonium, nulla habita ratione, quod ea apud Raptorem, & in illius potestate versaretur; idcircò Concilium Tridentinum statuit, ut non aliter hujusmodi consensus pro legitimo haberetur, quàm si *Rapta a Raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta* in matrimonium consentiret. Juxta hanc sententiam Raptus habendus non esset pro impedimento matrimonium dirimente, quoties Puella consensiat, licet Tutores, vel Parentes dissentirent. Qui ita sentiunt Authores, cohærere hæc ajunt Concilii Tridentini menti, quam non aliam fuisse dicunt, nisi ut matrimonii libertati consultum esset, sed nunquam requisiviisse consensum Parentum, vel Tutorum, quibus etiam invitis, & renuentibus, validum esse matrimonium, definiverat *ibid. cap.1.*, neque ullo modo declaravit, Puellas raptas restituendas esse Tutoribus, vel Parentibus, prout opus revera fuisset.

Cæterum dissimulari non debet, quod ad excludendum raptum non sufficit, ut Puella in illum consensiat, nisi simul probetur, quod consenserit in Matrimonium cum Raptore. Fieri enim potest, ut Puella consensiat in raptum, sed in Matrimonium dissentiat; neque enim ex consensu in raptum inferri necessariò debet consensus in Matrimonium. Oportet itaque, ut copulativè evincatur consensus ad utrumque, & hac forsan deficiente probatione factum est, ut Sacra Congregatio decerneret, Raptores Mulierum, quæ in raptum tantummodò, non verò in Matrimonium consenserunt, comprehendi quoad pœnam, & Matrimonii prohibitionem sub decreto Concilii Tridentini *cap.6. de reform. Matrimon.*

Consensus verò etiam in Matrimonium potissimùm eruitur ex iis, quæ raptum præcesserunt, cujusmodi sunt prævii ineundi Matrimonii tractatus. Cujus autem generis hujusmodi tractatus esse debeant, non æquè apud omnes certum est. Sunt enim aliqui, qui sufficere putant generales etiam

etiam pollicitationes a Viro factas de ducendo Puellam in Uxorem, & ab ista acceptatas; Alii censent, tam validum, & perfectum tractatum requiri, ut pro Matrimonio penè haberetur, nisi Parochi, & Testium præsentia deficeret *Card. de Luc. discur. 5. de Matrimon.*, *& discur. 28. ad Concil. Tridentin. num. 16.*

Ponderandum proindè, an Baronissa de Poppen consenserit tum in raptum, tum in Matrimonium cum Comite Giannini: An consensus in Matrimonium desumi possit ex iis, que raptum præcesserunt, vel ex iis saltem, quæ in suis familiaribus colloquiis eadem Baronissa testata est. Cætera videnda in folio *diei 29. Julii 1769.*, ut deindè omnibus, tum facti circumstantiis, tum juris inspectionibus assueta maturitate perpensis, judicium prodeat EE. VV., a quibus quæritur.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ. Hærede instituta Ecclesia Societatis B. Mariæ Angelorum Terræ Lepriniani, Angelus Carderi in ejus postremo elogio imperata celebratione Sacrorum, & Anniversarii facienda certis anni diebus in SacelloDivi Josephi, jussit, ut celebratio fieret a Sacerdotibus filiis Augustini Carderi, quos præferri voluit, iisque deficientibus præficiendum mandavit *il Prete a lui più prossimo*, *ma che sia di Casa Carderi*. Anno 1759. ad hoc pium Legatum electus a Confratribus fuit Clericus Carolus Carderi; electionem hanc impugnavit Josephus Carderi nomine Dominici filii tanquam Agnati, & proximioris, sed postea idem Josephus a lite recessit, & Carolus ad hæc usque tempora Capellaniam obtinuit. *Sess. 22. cap. 6. de Reformat.*

Nuper autem Confratres ad novam electionem devenerunt, & Nicolaum alterum ejusdem Josephi filium nominarunt. Obstitit Carolus, habito ad Sacram Congregationem recursu; de Capellaniæ adjudicatione fuit disceptatum, diebus 3. Augusti, & 14. Decembris anni elapsi, cumque nihil fuerit resolutum, idcircò pro tertia vice idem dubium in calce denuò transcriptum EE. PP. definiendum proponitur.

Plura sanè de proximioritate, & agnatione Nicolai deducta sunt in folio diei 13. *Julii* anni præteriti, quibus ipse modo addit particulas ex Parochialibus Baptismatum, & Matrimoniorum libris extractas, ut Augustini originem, suamque descendentiam a Dominico, qui fuit Augustini frater, per medium Josephi Patris, & ejusdem Dominici filius

osten-

oſtendat. Impugnat autem deſcendentiam Caroli, quem originem ducere aſſerit a Thoma de diverſa Familia Carderi Terræ Morlupi, eumque per interpoſitas perſonas Savi Caroli Avi, & Stephani Proavi a quondam Savo Seniore provenire affirmat.

Suſtinet præterea, neminem in tota Caroli deſcendentia reperiri, qui vel nomine conformis ſit perſonis in agnatione Auguſtini comprehenſis, uno excepto Thoma Teſtatoris Patre, quem confundi non debere inquit cum altero Thoma Caroli Patre, eo quia ille filius fuerit Angeli, & uſque ab anno 1647. Uxorem duxerit, hic verò Patrem habeat Carolum Savi, & nonniſi quam anno 1727. Matrimonium contraxerit. Nec quidquam prodeſſe Stemmatis ſimilitudinem, tum quia Caroli Familia nullum gentilitium Stemma habuiſſe dicit, tùm etiam quia Stemma, quod ſuper ſepulchrum Hortentiæ ipſius Matris inſculptum cernitur, cum Teſtatoris Stemmate non cohæreat.

Denique nil Carolo prodeſſe putat decennalem poſſeſſionem, quia non agitur de Capellania, ſed de ſimplici Miſſarum legato: Et quamvis Teſtator facultatem tribuerit, ut hujuſmodi legatum in titulum quoque Capellaniæ poſſet conſtitui, id tamen filiis tantùm Auguſtini tributum fuiſſe, contendit.

Pro parte Caroli nihil novi hactenùs deductum eſt, quamvis pluries fuerit monitus, & documenta, quæ a Nicolao exhibentur, fuerint a longo jam tempore in actis producta. Supereſt itaque, ut reſumptis prioribus iſtius Cauſæ foliis Emi PP. dignentur definire.

An, & cui ſit adjudicanda Capellania, in caſu &c.

Adjudicandam eſſe Carolo.

Seſſ. 23. cap. 18. de Reform.

ROMANA, SEU TUDERTINA. Locum pro Civibus *Caſtri Collis Valentiæ* vacantem in Collegio inſtituto ſub nomine Nicetæ Laſſi, & alteri Collegio Nationis Umbriæ unito, obtinuerat in *Congregatione diei* 17. *Junii* 1769. Clericus Angelus Ceva, ſed collato eidem poſtea Canonicatu Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Aquæſpartæ, ad eumdem vacantem locum nominationem, & approbationem ab Epiſcopo Tudertino obtinuit *Clericus Joſeph Ceva* inſins Angeli germanus frater. Conceſſa tamen Marchioni Sacripantes, ad quem jus eligendi juvenes ſpectat, nova audientia contra reſolutionem favore Clerici Angeli captam, tria dubia propoſita fuerunt in Congregatione diei 3. Auguſti 1771. *I. An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu. II. An Clericus Joſeph Ceva ſit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Laſſi*

Laſſi, *in caſu*. III. *An conſtet de attentatis*, *& quomodo ſint illa purganda*, *in caſu*, ſed ob non ſatis probatam a Joſepho civilitatem dicti Caſtri *Collis Valentiæ*, prodiit reſponſum *Dilata*, *& coadjuventur probationes*. Viden. *folia diei* 28. *Januarii* 1769., *&* 13. *Julii* 1771., in quibus tota facti ſeries, cum rationum momentis hinc inde adductis latè habentur.

Novis nunc additis juribus contendit *Clericus Joſeph*, ſatis conſtare de ejus qualitate civica, & domiciliaria Caſtri Collis Valentiæ. Probat enim, Angelum Seniorem Ceva ejus Avum anno 1702., derelicta Nucerina Civitate, ſe tranſtuliſſe ad dictum Caſtrum, ibi domum extruxiſſe, bona comparaſſe; duo ſcamna in Parochiali Eccleſia pro familiæ comodo acquiſiviſſe, & in eo cum Uxore, & familia ad obitum uſque jugiter commoraſſe. Ambigi ideo non poſſe, dictum Angelum verum, & proprium domicilium in eo fixiſſe, ſemel ac primævo derelicto domicilio novum in Caſtro Collis Valentiæ quæſivit, conſtruendo ibi domum, bonaque aquirendo, & ad obitum uſque jugiter morando.

Hoc autem domicilium in eo Caſtro ab Avo contractum, ſemper a Carolo Patre deindè retentum, ac ſervatum fuiſſe: Is enim ibi domum ſemper retinuit apertam, bonaque poſſedit, omniaque Civium onera tulit, & majori anni parte commoratus eſt, etiamſi anno 1733. aliam domum Tuderti aquiſiverit, hujuſque civilitate fuerit donatus, atque ibi etiam aliqua anni parte moram traxerit vel cauſa educationis filiorum, vel propter alia negotia. Arguit hinc, defuiſſe animum derelinquendi domicilium jam in dicto Caſtro aquiſitum, & ob id familiam Ceva in eodem Caſtro omnibus gaudere juribus, privilegiis, & oneribus, quæ domiciliariæ familiæ ſubeunt, & reſpectivè fruuntur.

Et reverà, ut proſequitur, non ſolùm omnes ex familia Ceva expreſsè declararunt, ſe verum domicilium in eo Caſtro habuiſſe, & habere, ſed ipſum præterea Magiſtratum Tudertinum expreſse edixiſſe, familiam Ceva eſſe domiciliariam dicti Caſtri: & Epiſcopus Tudertinus teſtatur, Clericos Ceva eſſe dicti Caſtri domiciliarios, ac demùm Examinatores Synodales Clericum Joſephum tamquam de Colle Valentiæ examini ſubjeciſſe. Patere idcircò, familiam Ceva ſemper habitam fuiſſe pro domiciliaria dicti Caſtri, & nunquam primævum ejuſdem domicilium dereliquiſſe; Cætera, videnda ſunt ex *folio diei* 13. *Julii proximè elapſi*.

Contra verò Marchio Sacripantes repetit, Clericos Angelum, & Joſephum fratres Ceva nec origine, nec nativitate, nec adlectione, vel domicilio Cives, ac municipes eſſe Caſtri Collis Valentiæ. Non *origine*, vel *nativitate*, cum tam ipſi, quam ipſorum Parentes in Tuderdina Civitate ortum habuerint: Non *adlectione*, cum nunquam familia

lia Ceva inter homines dicti Castri fuerit cooptata, nec de adlectione acquirenda unquam cogitaverint: non demum *domicilio*, quia hoc fixum fuit in Civitate Tudertina, nulloque modo probatur animus perpetuo in eo Castro habitandi, ad quod nonnisi vel causa rusticationis, vel culturæ bonorum, vel causa aliorum negotiorum homines ex familia Ceva aliquando se contulerunt.

Hinc non obesse, quod domum apertam in eo Castro retinuerint, bona possederint, ac sæpius ad dictum Castrum se contulerint. Inquit enim, solum factum materialis habitationis absque animo perpetuo habitandi ineptum esse ad qualitatem civicam inducendam, aquirendamque: In hoc discriminari cives a forensibus, ut illi una cum habitatione animum perpetuo habitandi habeant, hi vero meterialem tantum habitationem obtineant, animusque ipsis desit perpetuæ habitationis. Et revera usque ab anno 1707. Angelum Ceva Avum descriptum fuisse in libro status animatum Parochiæ S. Praxedis Tudertinæ, ibique verum domicilium cum animo perpetuo habitandi fixisse. Spernenda idcirco esse nova monumenta nuper ex parte familiæ Ceva adducta solam materialem habitationem, non vero animum perpetuo habitandi comprobantia. Reliqua videnda sunt ex *citato folio diei* 13. *Julii proxime elapsi*.

Certum in jure est, ad Civilitatem aquirendam non sat esse quamcumque materialem habitationem etiam decennalem, vicennalem, & trigenariam, nisi conjuncta sit cum animo ibi perpetuo habitandi *Rota in Pampilonen. Admissionis* 14. *Januarii* 1752. §. 7. *cor. Camilliac.*, *& in Brixien. Canonicatus* 11. *Maii* 1753. §. 12. *coram Matthejo*. Semel autem aquisito in aliquo loco domicilio, non aliter idem amittitur, nisi clare, aperteque constet, illud derelictum fuisse, novumque alio in loco aquisitum *l. non utique*, *leg. domicilium ad municip.*; Et *Rota in Romana Matrimonii* 2. *dec.* 1720. §. *Nam coram Gamaches*. Nihil tamen repugnat, quominus in diversis locis, ac Civitatibus quis domicilium aquirat, ac eodem tempore retineat *Rot. dec.* 431. *num.* 6. *part.* 18. *rec.*

Quæstio itaque ex facto pendet, an nempe familia Ceva domicilium aquisiverit in Castro Collis Valentiæ illudque modo etiam retineat. Quid ergo inspecta fundationis littera, ac probationibus nuper adductis dicendum in casu sit, EE. Patres edicent, quum iterum quæratur.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An Clericus Joseph Ceva sit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Lassi in casu &c.*

III. *An constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

TAU-

TAURINEN. IRREGULARITATIS, Corrupti mores Joannis Fracchia, ejusque flagitiosa vivendi ratio, in causa forsan fuerunt, ut Jo: Baptista Pater in suis testamentariis tabulis, sola eidem relicta legitima, reliquorum bonorum hæredem fecerit Diaconum Joannem ex Vincentio altero filio Nepotem. Hinc Joannis in hæredem indignatio, & odium, quod nec Parochi monitiones, nec Amicorum consilia lenire potuerunt; pluries enim probris Nepotem lacessivit, eumque interficere velle minatus est. Quadam die furore percitus in aream Domus hæredis se contulit armatus gladio, & quum ibi contumeliosa verba proferret contra honestatem Nepotis, objurgatus ob id a propria Matre, non erubuit, lapidibus impetere ipsam, Matrem, & Sororem, adeout istæ nonnisi quam clauso Domus ostio ab instanti periculo sese subducere curaverint. Inter hæc Clamoribus Populi, qui accurrerat, & furentem cohibere conabatur, expergefactus Diaconus, qui in proxima Domo dormiebat, ad opem ferendam Mulieribus foras egressus fuit sclopo armatus. Hunc ergo cum vidisset Patruus, gladii ictum in eum cominus vibravit; Diaconus verò Sclopum explosit, Patruumque vulneravit, postea Diaconus in terram prolapsus septem volneribus sauciatus fuit. Patruus data Nepoti venia postridie occubuit: Nepos autem post diutinam lætalem ægrotationem tandem convalujt.

Casus accidit in Oppido, quod vocant *Cavalier Maggiore* anno 1754. Sententia Curiæ Archiepiscopalis Taurinen. Diaconus declaratus fuit irregularis, & per Semestre in Religiosa Domo pœnæ nomine detentus. Post annos sexdecim dispensationem petiit ab irregularitate, sed fuit rejectus: Proposito enim in Congregatione diei 15. Decembris 1770. dubio = *An sit consulendum Ssmo pro gratia dispensationis in casu &c.* = responsum prodiit = *Negativè* = Iterum modò Diaconus Orator EE. VV. pietatem, & clementiam supplex exorat, ut ad Ordinum, quos jam suscepit, exercitium restituatur, aditusque eidem recludatur ad obtinendum Præsbyteratum. Hanc gratiam exoptant tum Parochus, tum Magistratus Oppidi *del Cavalier Maggiore*, qui omnes de bonis Diaconi moribus, ac de vivendi ratione Ecclesiastico Viro digna restantur, eumque maximè profuturum existimant illius Loci Ecclesiæ, quæ Sacerdotibus indiget. Id ipsum confirmat Archiepiscopus in prolixa relatione, quæ iterum circumfertur. Postquam enim pessimos defuncti Patrui mores enarravit, probam Diaconi Nepotis vitam, atque exhibita hac usque non lævia pœnitentiæ, & constantis emendationis indicia, nec non pietatis, ac Religionis officia recensuit, ex quibus indigenarum ædificatio, profectusque emergit, Oratorem gratiam promereri censet, atque ita concludit = *Id insuper*

flagitante Ecclesiæ Parochialis SS. Michaelis, & Petri dicti Loci Caballarii majoris, cui Orator adscribitur utilitate, attento exiguo Sacerdotum ibique ministrantium numero.

Orator verò ut dispensationem assequatur, advertit, ex jure tam civili, quam Canonico immunem esse a pœna, qui ob necessariam sui defensionem, & cum moderatione inculpatæ tutelæ aggressorem occiderit *Puffendorf. leg. 16. cap. 5. in princip. de defens. sui*, *Paul. in leg. 45. §. penult. 17. ad leg. Aquil.*, *Bohn. Jur. Canon. tom. 3. cap. 305. tit. de homicid. neces.*. Necessarium verò fuisse dicit homicidium a se commissum, quia alias suam vitam tueri non potuisset, cum Populi circumstantis multitudo fugam impediret, & hac de causa in terram ceciderit, ac Patruus, cujus indolem, atque adversum Animum non ignorabat, in ipsum districto gladio insevierit. Hinc non alia ratione mortem evadere potuisse, & ideo a culpa fuisse immunem, nec irregularitatem incurrisse *Clement. unic. de homicid. neces.*

Observat insuper, ipsum non ob homicidium fuisse irregularem declaratum, sed quia periculo sese exposuerit. Sustinet tamen, neque ex hoc irregularem dici posse, quia non sponte, sed coactè restitit Aggressori, qui propriæ Matri, Sorori, totique Familiæ insidiabatur; Naturali autem jure cautum esse, non solum ad Parentum, sed etiam ad defensionem Amicorum posse Aggressorem occidi *Bohn in jus Canon. tom. 3. tit. de homicid. neces. 12. num. 25.*, *Covar. leg. 6. num. 5.* Præsertim quia clamoribus Populi é somno repetentè excitatus, videns Joannem Patruum in Matrem, & Sororem insevientèm, subito accurrit, & involuntario, atque inopinato periculo sese objecit.

Cæterùm quocumque modo irregularitatem contraxerit, denegandam non esse putat dispensationem post diuturnam per annos plurimos peractam pœnitentiam, exhibitaque emendationis, atquæ ædificationis indicia, passamque a Sac. Congregatione repulsam. Maximè quia commendatur ab Archiepiscopo, idque pro Ecclesiæ utilitate exoptant Loci Magistratus, & Parochus, qui ipsum pietate, modestia, ac morum honestate præditum affirmant, eumque Ecclesiasticis functionibus interfuisse testantur, atque idcircò in diuturnis etiam circumstantiis, etiamsì ageretur de promovendo, ex benignitate Sac. Congregationis dispensationem concessam fuisse dicit in *Elboren. Irregularitatis 16. Martii 1737.*, *& in Constantien. 31. Maii 1766.*

Quæ in hac causa animadvertenda erant, fusius relata fuerunt in folio diei 15. Septembris 1770., quod Emi PP. resumere deprecantur. Habendæ præ oculis sunt circumstantiæ, quæ factum præcesserunt, & comitatæ sunt, nec non personarum qualitates, quæ in relatione Archiepiscopi describuntur. Videndum, an Diaconus Orator ad necessariam sui, vel suorum defensionem Patruum interfe-

ce-

cerit, an moderamen inculpatæ tutelæ ita ſervaverit, ut mortem alio modo evadere non poſſet: Vel ſaltem commiſeratione dignus videatur, ſi é ſomno expergefactus, ac Populi clamoribus excitatus, armatus exiit, ut Conſanguineis opem ferret.

Porrò nulla, juxta noviſſimam juris Canonici ſanctionem, contrahitur irregularitas ab eo, qui aliter vitam ſuam tueri non valens, Aggreſſorem interfecerit, ut legitur in *Clement. ſi furioſus de homicid.* ibi = *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit; Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*= Sed ſi moderamen, ut ajunt, inculpatæ tutelæ non ſervaverit, tunc irregularitatem incurrit *Cap. ut famæ 35. de Sent. excom.*, *cap. Si verò eod. tit.*, *gloſſ. in cap.* 18. *de homicid. verb. Moderamen.*

Si tamen homicidium commiſſum fuerit pro neceſſaria defenſione Patris, Matris, aut Sororis, tunc irregularitas contrahitur, ut tradit gloſſa in dicta *Clement. unic. de homicid. verſ. ſnum*, & notat *Navar. cap.* 27. *num.*213. relatus a *Fagnan. in cap. Petitio* 24. *de homicid. num.*3. ſed iſta irregularitas eſt diſpenſabilis, quemadmodum ex mente Sac. hujus Congregationis loquitur *Fagnan. in d. cap. Petitio num.* 15., dum agens de irregularitate incurſa a Clericis, qui in bello juſto contra Infideles ex neceſſitate hoſtem occiderint, hæc habet = *Ejuſmodi enim irregularitas eſt diſpenſabilis ad inſtar illius, quæ contrahitur ex homicidio ob neceſſariam Parentum defenſionem, ut in ſubiecta declaratione Sac. Congregationis Concilii, videlicet an Concilium cap.* 17. *ſeſſ.* 24. *dum agit de repellendo vim vi a perſona propria, ut irregularitas ſit diſpenſabilis habeat etiam locum in perſona Patris, S. Congregatio cenſuit habere locum: Nam permiſſio vim vi repellendi, & alium offendendi pro tutela corporis ſui juxta leg. &c., habet locum etiam pro tutela Patris, vel Filii, Matris, vel Uxoris &c. Et licet gloſſa in Clem. I. de homicid. dicat, quod Clemens volens eum, qui mortem aliter evadere non valens ſuum occidit invaſorem, non eſſe irregularem, non procedit in Patre, & Filio, ſed tantum in ejuſdem perſona propria . . . : tamen illud eſt verum quando volumus excuſare a contrahenda irregularitate; illa enim etiam ſine culpa contrahitur . . . In caſu autem Concilii non agitur de excuſando, ne irregularitas contrahatur, ſed de excuſando ut contrahatur irregularitas diſpenſabilis, quia vis vi repulſa eſt, & ideo in Concilio comprehenditur etiam perſona Patris.*.

Hæc autem an caſui, de quo nunc agitur, aptari poſſint, viderint EE. PP., a quibus dijudicandum erit.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ. Teſtamentum Roſæ Serafini aliena manu exaratum, ab ipſa Teſtatrice Signo Crucis obſignatum, & Notario traditum, pluries in controverſiam adductum fuit coram Sac. Congregatione. Hæc enim Mulier, excluſo prorſus Dominico Serafini Viro, delatoque integro hæreditatis compendio Annæ Catharinæ filiæ, huic præceptum iniunxit cohabitandi cum Sacerdote Dominico Nicolai Conſobrino, & Exequutore teſtamentario, cui uſufructum quoque addixit in caſu, quo filia præſcriptam cohabitationem recuſaſſet, eumque inſuper Annæ Catharinæ, ſi ſine filiis decederet, in tota hæreditate ſubſtituit. Eveniente autem caſu ſubſtitutionis, ſi Sacerdos Dominicus de bonis non diſpoſuiſſet, tunc Capellaniam in honorem Divi Joſephi, cum præfinito Miſſarum onere erigi mandavit.

Accidit, ut dictus Sacerdos Nicolai non ſolum cohabitationi cum Filia Teſtatricis renunciaverit, *ma ancora alla ſoſtituzione fatta a mio favore in caſo non coabitaſſe*, deindèque Conſervatorio Terræ Anticuli, in quo Anna Catharina Religioni nomen dare ſtatuerat, jura omnia ceſſerit ſuper hæreditate Roſæ Serafini ſibi quomodolibet competentia. Cum tamen paulo poſt eadem Anna Catharina occubuerit, & Sacerdos Dominicus inſtetiſſet pro erectione Capellaniæ ab eadem Roſa in teſtamento demandatæ, præceſque hac de re ſa. mem. Clementi XIII. exhibitæ Sac. huic Congregationi remiſſæ fuerint, obſtitit Dominicus ſuperſtes Teſtatricis Vir, qui validitatem teſtamenti defunctæ Uxoris ex eo impugnavit, quod illud perfectum eidem non fuerit antequam Notario traderetur. Diſputato itaque dubio = *An ſit locus erectioni Capellaniæ in caſu &c.* = die 4. Julii 1768., abſente Dominico a judicio, reſponſum fuit = *Affirmative* = Sed die 10. Februarii 1770. jura eodem deducente, placuit EE. PP. a deciſis recedere.

In nova autem Cauſæ diſputatione, quæ inſtante Sacerdote Nicolai, citato etiam Conſervatorio Anticuli die 28. Septembris anni elapſi repetita fuit, duo propoſita fuerunt dubia I. *An ceſſio bonorum hæreditariorum quondam Roſæ Auguſtini favore Conſervatorii Terræ Anticuli ſuſtineatur in caſu &c.* II. = *An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco deciſis in caſu &c.* & reſcriptum prodiit = Ad I. *Negative* = Ad II. = *In primo loco deciſis* = Siluit tunc Conſervatorium, ſiluitque etiam Dominicus Serafini, ſed poſtea prodiit tranſactio uſque a die 6. Junii inita. In hac tranſactione, Conſerva.orium a ſe abdicavit jus omne, quod ſuper Roſæ hæreditatem ſibi poſſet competere, & Dominicus eidem ſoluturum promiſit intra quatriennium ſcuta 170., & interim preſtiturum fructus recompenſativos in ratione ſcut. quatùor pro centenario. Hujuſmodi tranſactio, de qua ex reſcripto

SSmi

SSmi cognoſci debet, EE. VV. circumfertur, monitiſque omnibus intereſſe habentibus, atque urgente tantùm Dominico, tota cauſa tribus diſpertita dubiis iterum definienda proponitur.

Et ad I. quod attinet, nullitatem Teſtamenti defunctæ Uxoris ex eo deſumit Dominicus, quod licet illud fuerit ab ipſa ſigno Crucis obſirmatum, & Notario coram ſeptem Teſtibus traditum, non tamen probetur, ante traditionem eidem perlectum fuiſſe, prout omnibus ſcribendi ignaris fieri oportere ſuſtinet *Clar. in §. Teſtamentum quæſt. 36. in fin.*, *Cyriac. controv. 444. num. 23. & ſeq.*, *Rot. in recent. deciſ. 360. num. 7.*, *& deciſ. 404. num. 13.*, cum Schedulæ traditio coram Teſtibus Notario facta, illius tantùm identitatem, non verò indubiam Teſtatricis voluntatem oſtendat. Hinc arguit, ad erectionem Capellaniæ, juxta diſpoſita in Teſtamento nullatenus poſſe deveniri.

Præſertim quia non abſolutè erectio Capellaniæ fuit demandata, ſed ſub conditione, quatenus ſcilicet Sacerdos Nicolai hæres ſubſtitutus de hæreditariis bonis non diſpoſuiſſet: Cum autem ille totum hæreditatis compendium favore Conſervatorii Terræ Anticuli renunciaverit, deficere propterea dicit conditionem, cui Capellaniæ inſtitutio fuit alligata *Leg. unic. §. Si autem Cod. de Caduc. tollen.*, *Rot. in Avenionen. Immiſſionis* 11. *Maii* 1759. *§ 3. cor. Eño Elephantutio*.

Cæterum quatenus etiam Teſtamentum ſubſiſteret, ad excludendam Capellaniæ erectionem, contendit, exequi debere renunciationem favore Conſervatorii a Sacerdote Nicolai exaratam de qua in II. dubio agitur. Perperamque obiici putat, quod renunciationis tempore nondum Annæ Catharinæ obitus eveniſſet, proindeque purificata non eſſet conditio, ſub qua facultas illi data eſt de hæreditariis bonis diſponendi. Advertit enim, renunciationem emiſſam fuiſſe ad præces ipſius Annæ Catharinæ tam proprio, quam Conſervatorii nomine illam acceptantis, & juramento quoque fuiſſe roboratam. Addit, Sacerdotem Nicolai poſt ſequutum Teſtatricis obitum jus conditionale, & eventuale ad ejus hæreditatem acquiſiviſſe, illudque etiam ante conditionis eventum remittere, & in Conſervatorium transferre potuiſſe *Leg. condictionis tit. de pact.*, *Peregrin. de Fideicom. art. 52. tit. 14.*, *Rot. coram Falconer. deciſ. 67. de Fideicom. num. 3.*

Nec obeſſe renunciationem anno 1747. in Curia Epiſcopali emiſſam, cum ea comprehenderet tantum uſufructum ab eodem Sacerdote acquirendum in caſu, quo hæres inſtituta cum eo cohabitare recuſaſſet: Quod ſi etiam ad ſubſtitutionem in tota hæreditate protrahi renunciatio velit, tunc contendit, ſubſtitutionem prorſus evanuiſſe, totumque hæreditatis compendium ſibi tanquam prædefunctæ filiæ hæredem fuiſſe acquiſitum.

Et

Et quamvis renunciatio a Conservatorio acceptata non fuerit, sufficere nihilominus putat Annæ Catharinæ ratihabitionem etiam Conservatorii nomine factam, cum non agatur de renunciatione onerosa, quia licet iniunctum Conservatorio fuerit onus manutenendi duas Magistras Pias in Terra Acuti, observat tamen onus hujusmodi fuisse coercitum ad casum, quo vires hæreditariæ suppeterent, cumque impares compertæ sint, affirmat, onus evanuisse, & renunciationem fuisse resolutum in donationem lucrativam, cujus titulo bona ad Conservatorium deferri debuissent.

Quod attinet ad III. dubium, inquit Dominicus Serafini, utilem Conservatorio fuisse transactionem, cum ob testamenti nullitatē nullum eidem Conservatorio obventurum esset compendium ex hæreditate Rosæ Augustini, & nihilominus Dominicus eidem solvere promisit scuta 170. atque etiam quia si ratio habeatur de tota hæreditate, quæ scuta 436. non excedit, patebit quid minimum a Conservatorio fuisse condonatum. Addit, ex eadem hæreditate detrahendam esse legitimam ab Anna Catharina acquisitam super bonis maternis ob non servatam in Testamento cautelam Soccini; Nec nòn Trebellianicam primo hæredi gravato super fideicommisso debitam *leg. post mortem cod. de Fideicom.* quæ omnia per obitum Annæ Catharinæ in ætate annorum 18. in ipsum translata fuisse contendit. Nec Trebellianicæ detractionem præpediri posse ex substitutione causæ piæ; respondet enim substitutum primo loco fuisse extraneum Præsbyterum; atque ulterius advertit, Capellaniæ erectionem fuisse demandatam in casu, quo hæres substitutus de bonis hæreditariis non disposuisset.

Neque a Sacerdote Dominico Nicolai, neque a Conservatorio quidquam hactenus deductum est, licet moniti fuerint, atque interpellati. Episcopus Conservatorio utilem putat transactionem, tum ob dubietatem illius jurium innixorum cessioni factæ a Sacerdote Nicolai, cujus hæreditariam qualitatem respectu Rosæ Testatricis multipliciter involutam asserit; tum etiam ab tenuitatem hæreditatis ejusdem, quam ex relatione Peritorum compertam affirmat, vix ascendere ad scuta 436. 05., quorum partem in scutis 170. Conservatorium acquirit.

De Testamentis factis per relationem ad Schedulam, atque inter liberos, & favore Causæ Piç fusius actum est in foliis istius Causæ dierum 9. Junii 1768. 10. Februarii 1770., & 31. Augusti anni elapsi, quæ rogantur Emi PP. opportunè modo resumere.

Super renunciatione a Sacerdote Nicolai anno 1759. expleta animadvertere præstat, quod licet fideicommissum sub conditione, & in diem relictum, ante Conditionis existentiam cedi non possit a Substituto. *leg. Si ita scriptum §. 1. ff. de legibus*, nihilominus de eo paciscì pendente adhuc condi-

ditione permittitur *leg. Et hæredi* §. *Filius familias*, *leg. pactum in fin. ff. eod.*, *Dùmellus ad leg. Conditionis Cod. de pactis num.*7.. Nam per repudiationem in tempus præsens fideicommissum eventuale remittitur, quod fieri non potest, quia purificatio fideicommissi pendet ab eventu, sed conveniri de fideicommisso potest in tempus futurum, illudque renunciari, quando cæperit deberi *Donel.loc. citat.*, & ideo sustinetur renunciatio, si iniquæ conditiones non fuerint adjectæ, & juramento firmata comperiatur, cum ratione etiam juramenti vim habeat *Cuman. in leg. is*, *qui hæres num.*3., *Dec. cons.*379. *num.*10., *Seraphin. de privil. juram. privil.*109. *num.*3.

De natura Transactionis est, ut ea super re dubia versari debeat, & ab utraque Parte aliquid remitti *leg.* 1. *ff. de Transact.* rescinditur enim si super rè clara inita fuerit, & absque consensu illorum, qui habeant interesse *leg. Imperatores* 3. *ff. de Transact.* Rosa Augustini Testatrix usumfructum deferri voluit ad Sacerdotem Dominicum, si Anna Catharina filia cum eo cohabitare noluisset, eumque in tota hæreditate substituit, si eadem Anna Catharina sine filiis decessisset; Non facta vero a Sacerdote Dominico de hæreditariis bonis dispositione, Capellaniam erigi mandavit. Sacerdos Dominicus anno 1747. renunciavit *non solo alla coabitazione con Anna Catarina*, *ma ancora alla sostituzione fatta a mio favore in caso non coabitasse*: Deindeque anno 1759. Conservatorio Anticuli cessit *tutta l intera Eredità della detta quondam Rosa Testatrice*, cum onere manutenendi duas Magistras pias in Terra Acuti.

Perpendere præstat in præsenti causa tum testamentariam Rosæ Augustini dispositionem, tum renunciationes a Sacerdote Dominico exaratas, & præsertim illam anni 1747., ut dijudicari valeat, an ea usumfructum tantùm, seu potius totam hæreditatem comprehendat. Notandum, quod Rosa Testatrix facultatem tribuit Sacerdoti Nicolai *di poter spendere tutto quello*, *che bisognerà*, *anche d'alienare per la buona educazione di detta mia figlia*. Videndum proindè, an sustineatur renunciatio facta anno 1759. favore Conservatorii, in quo Anna Catharina Religioni nomen dare constituerat. Denique ponderandum, an nondum purificata conditione obitus d. Annæ Catharinæ sine filiis, potuerit Sacerdos in isto casu substitutus valide renunciare.

Ad transactionem quod attinet, perpendendum, inter quos fuerit inita, quid ab utraque Parte remissum extiterit, an omnes interesse habentes consenserint. Post hæc Emi PP. definient.

I. *An sit standum in primo*, *vel in secundo loco decisis quoad erectionem Capellaniæ in casu &c.*

Et quatenus in secundo loco decisis.

II. *An sit standum*, *vel recedendum a decisis quoad cessionem bo-*

norum hæreditariorum quondam Roſæ Auguſtini favore Conſervatorii Terræ Anticuli in caſu &c.

III. *An ſit locus approbationi Tranſactionis inter dictum Conſervatorium, & Dominicum Serafini in caſu &c.*

Seſſ. 22. decr. de obſervan. & evitan. in celebr. Miſſ.

NULLIUS TRIUM FONTIUM MISSÆ CONVENTUALIS. Ab Eccleſia D. Nicolai Terræ S. Ædiſti ad locum magis opportunum translatis Monialibus Ordinis S. Auguſtini, cl. mem. Cardinalis Petrus Aldobrandinus, tunc temporis Abbatiæ Trium Fontium perpetuus Commendatarius, eamdem Eccleſiam conceſſit Bernardino Lupi cum lege erigendi quatuor Canonicatus, & unum Sacriſtæ Officium, eique poteſtatem fecit condendi Statuta, quibus Prębendarii parere debuiſſent. Hujuſmodi conceſſionem anno 1621. ſan. mem. Gregorius XV. confirmavit. Memoratus autem Lupi in teſtamento, quod condidit, legi obtemperans ſibi injunctæ, plura bona ſtabilia, & cenſus pro fundo novorum Beneficiorum aſſignavit, & regulas pro regimine Præbendariorum exaravit, quas anno 1623. Cardinalis Cajetanus tunc temporis Sac. hujus Congregationis Præfectus propria auctoritate probavit.

Nullum in his de Miſſa Conventuali verbum; alia præſcribuntur onera a Prębendariis ſubeunda. Siquidem pręter reſidentię legem iidem adiguntur ad celebrationem duarum qualibet die Miſſarum, unius nempe lectę, & alterius cum cantu; ad recitationem quoque Litaniarum ante Miſſam cantatam, & ad unum Anniverſarium cum Miſſa pariter cantata in ipſius Animæ Suffragium peragendum. Plurium inſuper Miſſarum injungitur celebratio partim lectarum partim cum cantu. Demum onus adiecit inſerviendi Choro, ac divinum Officium deſignatis infra annum temporibus recitandi, nec non Veſperas canendi diebus Dominicis, atque in ſollemnioribus anni feſtivitatibus tum primis, tum ſecundis Veſperis intereſſendi. Gravia nimis Prębendariis viſa ſunt onera, proindeque Sac. Congregationi pro reductione ſupplicarunt, eamque die 1. Decembris 1725. obtinuerunt in hunc modum videlicet, ut Miſſæ cum cantu, & Litaniç ad medietatem reducerentur, Eccleſiæ vero ſervitium pręfiniretur juxta redituum quantitatem.

tem. Hinc Cardinalis de Alteriis reſcripti Exequutor delevit onus intereſſendi Choro diebus infra Octavam Corporis Chriſti, & in primis Veſperis feſtorum dierum, ſollemnioribus tantùm exceptis.

Nullibi conſtat, Eccleſiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Collegiatam fuiſſe erectam, ſed ſolum in nonnullis poſterioribus actis Collegiatæ nomen eidem tributum legitur. Præbendarii verò Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere retroactis temporibus non celebrarunt. Id autem cum Emus Abbas pro eximio, quo pollet zelo, atque in Eccleſiaſticis rebus admirabili ſollicitudine, Sac. Congregationi expoſuiſſet, reſponſum accepit, ut Præsbyteros S. Nicolai moneret ad Conventuale Sacrum quotidie applicandum. Hujuſmodi monitione Præsbyteri commoti, exemptionem ab onere Miſſæ Conventualis ſupplices efflagitant, tum quia eorum Eccleſiam ſub diſpoſitione Conſtitutionis ſa. mem. Benedicti XIV. non comprehendi putant, tum etiam quia gravia ſuſtinent onera, tenueſque reditus conſequuntur.

Emus Abbas de ſua ſententia rogatus, cenſet, Eccleſiæ Sancti Nicolai vel ex Canonicorum placito, vel minus exacta notitia fuiſſe tributam nuncupationem Collegiatę, cum ab ea longe diſtet Collegialitatis idea, quæ immò ab ejus origine repugnare videtur. Quatenus tamen Collegiata dici poſſet Eccleſia, exiſtimat nihilominus, Fundatoris mentem alienam omninò fuiſſe ab impoſitione oneris Miſſę Conventualis, de qua nullam fecit mentionem. Advertit inſuper, Sacram hanc Congregationem anno 1725. onerum reductionem conceſſiſſe, atque inter ea, quæ tunc diligenter narrata præſumuntur, nullam haberi factam Miſſæ conventualis commemorationem. Demum hæc ait = *Licet etiam de Miſſa Conventuali celebranda in Eccleſia S. Nicolai cogitari poſſet, non utique monitum EE. VV. de quotidiana illius celebratione, & applicatione videtur convenire illis diebus, quibus nullum Sacrum, divinumque officium ab ipſa fundatione Bernardini Lupi indictum eſt. A quotidiana igitur celebratione, & applicatione Miſſæ Conventualis facit etiam exemptos ſtatus alter, & conditio Eccleſiæ. Nulla enim alia obligatio ad integrum divinum officium (cujus prima pars Miſſa eſt) explendum, & peragendum ex voluntate Bernardini determinata eſt, quam certis, ſtatiſque diebus in ſupplici libello deſignatis juxta reductionem anni 1725.*

Nomine Officii Divini intelligitur etiam Miſſa, ut patet ex *Can. De his diſt.* 12. Quapropter cum in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Divinùm Officium quotidie perſolvi debeat, Miſſa etiam Conventualis debet quotidie celebrari. In *Cap. cum Creatura de celeb. Miſſ.* Honorius III. hæc ait = *Quidam in Cathedralibus, & Conventualibus Eccleſiis prætextu Miſſæ ſemel in die pro Anniver-*

ſario celebrandæ, Sacra Miſſarum ſollemnia, quæ ratione diei, vel Feſti ſolent ſolemnius celebrari, culpabili negligentia prætermittunt, quaſi non ſint obligati Domino, & quaſi Dominus forte pro tantis obſequiis non ſufficeret eis æqua viciſſitudine reſpondere .... Mandamus quatenus nullum in nos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro Anniverſariis Defunctorum, & pro Feſto, vel Feria ſecundum temporum congruentiam Miſſarum ſolemnia conventualiter celebretis.

Ex hoc textu clarè admodum deſumitur obligatio Miſſam Conventualem quotidie celebrandi; Nec ſufficit tantum celebratio, ſed requiritur etiam applicatio pro Benefactoribus in genere, nec ulla contraria conſuetudo ſuffragari valet. Conſtans hęc fuit Sac. Congregationis Sententia in *Squillacen. 17. Martii* 1714., *in Camerinen. 9. Junii ejuſdem anni, in Ferrarien. 18. Martii* 1719., *in Comen. 11. Maii* 1720., *& in Veliterna 14. Martii* 1722., eamque probavit ſa. mem. Benedictus XIV. in *Conſtit. Cum ſemper oblatas* ad diem *19. Auguſti* 1744.. Si tamen exigui Beneficiorum reditus comperiantur, tunc locus eſt reductioni ad ſolos dies Dominicos, & feſtos de præcepto, ut in *citat. Veliterna, & in Spoletana 22. Julii* 1722., & patet ex dicta Conſtit. *Cum ſemper* §. *Alii*.

Ab hac iamẽn regula excipiuntur Eccleſiæ, quæ verè Collegiatæ non ſint, quemadmodum tradit laudatus Pontifex Benedictus XIV. *inſtit. 107. §. 2. num. 15.* ibi *Hoc autem præcepto* (ſcilicet applicandi Miſſam Conventualem) *neminem unquam Eccleſia fecit immunem, ac liberum, niſi cum apertiſſime manifeſtum fuit, aliquam Eccleſiam haud recenſeri inter Collegiatas, ſed ut ajunt, inter receptitias, aut communales, quamvis in ipſa horæ Canonicæ quotidie perſolvantur, & Miſſa cum cantu habeatur* = & in *Tract. de Sacrif. Miſſ. lib. 3. cap. 8. num. 3.* ſic loquitur = *Ab hoc autem onere applicandi quotidie Miſſam Conventualem eæ tantum Eccleſiæ immunes ſunt, in quibus non omnia concurrunt, quæ Collegiatam conſtituunt, quamvis & Divina Officia quotidie celebrentur, & Miſſa cantetur* = Hinc cum Epiſcopus Montis Faliſci in Paſtorali Diœceſis viſitatione agnoviſſet, Præsbyteros, qui Canonici appellabantur, addictos ſervitio Eccleſiæ Parochialis Terræ Marthæ, quam ipſe Collegiatam putabat, Miſſam Conventualem applicare minimè conſueviſſe, rem detulit Sac. huic Congregationi, quę die 12. *Februarii* 1718. reſpondit, eamdem Eccleſiam non eſſe Collegiatam, nec ullum Canonicis inhærere onus Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere applicandi, prout refert ſa. mem. Benedictus XIV. *loc. cit. num. 4.* Videndum proindè, an Eccleſia S. Nicolai revera ſit Collegiata, nec ne? Sanè *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 15. a num. 1.* uſque *ad* 8. fuſius hac de re agit, & ſuſtinet, nonniſi auctoritate Summi Pontificis Eccleſiam poſſe Collegialitatis prærogativam acquirere.

De-

Demum pro exemptione ab onere Missæ Conventualis non est prætereunda exceptio a generali regula, quam tradit *Monacel. in supplem. ad tom. 1. formul. For. Eccles. num.* 239. in hæc verba *Quando ex lege, & Statuto fundationis constat .... de qualitate, & quantitate servitii Ecclesiæ, & de numero Missarum, & horarum celebrandarum a Fundatoribus, & Benefactoribus præscripto, ex eo quia conditiones, quas voluerint etiam juri communi contrarias apponere potuerunt &c. cessat dispositio juris communis, & interpretandi ratio, & lex fundationis ad unguem servanda venit* = Cum igitur certus sit Fundator, qui in Ecclesia S. Nicolai Beneficia instituit, quique certa onera etiam pro animæ suæ expiatione Beneficiatis iniunxit, ponderandum an onus etiam Missæ Conventualis, de quo nulla in fundatione habetur mentio, adijci debeat.

Quatenus autem Missa Conventualis pro Benefactoribus in genere esset a Beneficiatis celebranda, perpendum, an in singulos anni dies sit injungenda celebratio, seu potius coercenda ad eos tantum, quibus ex præcepto Fundatoris divini Officii recitatio indicta est.

Hisce perpensis dijudicent Emi PP. quid statuendum sit, dum quæritur,

I. *An Præsbyteri, seu Canonici Ecclesiæ S. Nicolai S. Ædisti teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus illius reductioni in casu &c.*

AQUIPENDIEN. ONERIS MISSARUM. Variis ex causis *fan. mem. Innocentius X.* anno 1649. Civitatis titulum, & Cathedræ Episcopalis decorem ademit Civitati Castri, eisque prærogativis proximum Oppidum Aquipendii decoravit, novæ huic Civitati assignata Diœcesi composita ex omnibus Castris, & Oppidis, quæ antea ad Castrensem Diœcesim pertinebant. Suppressit etiam Cathedralitatem Ecclesiæ *S. Savini* Castrensis, erectaque Ecclesia Parochiali *Ssmi Sepulchri* Aquipendien. in Cathedralem, ad hanc transtulit Capitulum, Dignitates, Canonicos, & Beneficia Ecclesiæ Castrensis suppressæ cum omnibus honoribus, oneribus, privilegiis, juribus, aliisque ad dictam Ecclesiam Castrensem spectantibus ut ex *Constit. incip. In supremo Militantis* 130. *Bull. tom. 6. part 3.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

In Ecclesia Cathedrali Castrensi jam ab antiquo tempore exe-

cta fuerat Capellania ad Altare *S. Spiritus*, *& Gloriosæ Conceptionis Virginis Mariæ* cum onere trium Missarum lectarum in dicta Capella, seu Altari diebus *Dominica*, *Lunæ*, *& Veneris* cujuslibet hebdomadæ celebrandarum: nec non alio adjuncto onere, *ut in die Conceptionis Capellanus pro tempore teneatur ibi cantare, seu cantari facere Missam Gloriosæ Conceptionis, & facere prandium, sive refectionem Canonicis, & Capitulo dictæ Ecclesiæ S. Savini, & in casu quod præfatus Capellanus id facere recusaret, teneatur ipso facto solvere singulo anno, quo contrafecerit, dicto Capitulo pro recompensa dicti Prandii ducatos duos auri largos de fructibus dictæ Capellæ cum hoc pacto, quod Capitulum, & Canonici debeant cantare Missam, sive cantari facere in dicta Capella, sive Altare in secunda feria Pentecostes.*

Translata itaque Cathedralitate, & Capitulo Ecclesiæ Castrensis ad aliam *S. Sepulchri* Aquipendien., Capellani pro tempore dictę Capellanię singulas Missas tam lectas, quam sollemnes in Cathedrali Aquipendii celebrarunt. Verum cum Capellanię bona sita sint in Territorio *Oppidi Ischiæ*, quod Castro postea diruto est cæteris proximius, hodiernus idcirco Capellanus *Julianus de Rubeis*, qui ortum habuit in eodem *Oppido Ischiæ*, postulat, ut sibi fiat potestas onera dictarum Missarum deinceps implendi in Ecclesia Parochiali ipsius Oppidi *Ischiæ*,

Inquit, onera dictarum Missarum præscripta a Fundatore fuisse in Altari *Ssmæ Conceptionis* diruta Ecclesiæ Cathedralis Castrensis. Translationem vero Cathedralitatis ad Ecclesiam Aquipendien, respicere quidem Capitulum, Dignitates, Prebendas, & Beneficia Chori servitium habentia, nec non Massam Capitularem, hujusque jura, ac bona, at non ita comprehendere Capellaniam *SSmæ Conceptionis*, quæ servitium Chori non habet, Capitulo adnexa non est, nec ad ejusdem jura pertinet, sed imo est liberæ collationis, & a Dataria Apostolica velut affecta semper fuit collata,

Diruto itaque Castro, ejusque Cathedrali Ecclesia, contendit, onera Capellaniæ in finitima potius Parochiali *Ischiæ* implenda esse. Hanc exercere Curam Animarum diruti Castri, & in ea Castri incolas sacramenta percipere, & sepultura donari; ad Oppidum insuper *Ischiæ* delatam esse jurisdictionem diruti Castri, ab illa bona collectari, & in illius territorio omnia Capellaniæ bona sita esse. Voluntati itaque fundatoris, & justitiæ, ac æquitati magis consonum esse, ut sacra etiam in Parochiali *Ischiæ* potius impleantur, quam in dissita, & longinqua Cathedrali Aquipendii, quæ nunquam Fundatoris menti obversari poterat, & ad quam nonnisi quam maximo incommodo accedere cogitur Capellanus.

Nec obesse, Capellanos prædecessores in Cathedrali Aqui-

peu-

pendien hactenus Sacra impleviſſe. Inquit enim, ipſos proprio facto, & voluntate præjudicium irrogare nequiviſſe ſucceſſoribus: maxime quia obſtat veroſimilis mens Fundatoris, qui de tam diſſita Eccleſia cogitare nunquam potuit, ſimulque obſtat expreſſa mens ſa. mem. Innocentii X., qui transferre voluit Beneficia dumtaxat ſervitium Chori habentia, non alia huic ſervitio minimè addicta, & ſuper quibus nullum jus Capitulo competit.

Capitulum Eccleſiæ Aquipendien. in ſuo libello, quem Epiſcopo Adminiſtratori porrexit, acriter contradicit Capellani petitioni. Ait enim, ad Eccleſiam Aquipendien. non ſolum Capitulum Caſtrenſe, ejuſque menſam translatam fuiſſe, ſed ipſam Cathedralitatem Eccleſiæ Caſtrenſis, omniaque jura ad hanc ſpectantia. Hinc concludit, propriam Eccleſiam repreſentare ipſam Eccleſiam Caſtrenſem, in qua a Capellano ſacra implenda erant. Et revera non ſolum anteceſſores omnes Capellanos, ſed ipſum met Oratorem hodiernum Capellanum ad hæc uſque tempora ſemper poſt ſecutam tranſlationem onera Sacrorum in Eccleſia Aquipendii impleviſſe.

Epiſcopus Interamnenſis Adminiſtrator Apoſtolicus refert, poſt deſtructionem Civitatis Caſtri Sacra ſemper ſatisfacta fuiſſe in Eccleſia Cathedrali Aquipendien., & ad hanc translata fuiſſe omnia jura extinctæ Eccleſiæ Caſtrenſis, ac concludit = *Cenſerem propterea manutenendos fore Canonicos hujus Cathedralis in poſſeſſione ſatisfaciendi prædicta Miſſarum onera in hac eadem Eccleſia.*

Ambigi nequit, Capellaniam *S. Spiritus*, *& Sſmæ Conceptionis* erectam fuiſſe ad Altare dirutæ, & ſupreſſę Cathedralis Caſtren., imo ab ipſo Fundatore quoque contemplatum fuiſſe Capitulum, cui remunerationem pro Miſſis ſollemnibus reliquit. Inquirendum itaque, an translato Capitulo, & Cathedralitate ad Eccleſiam Aquipendien., onus quoque horum ſacrorum in ſuppreſſa Cathedrali Caſtrenſi implendorum, ad Aquipendii novam Cathedralem translatum remanſerit.

Verba ſan. mem. Innocentii X. *in cit. Conſt.* 130. hæc ſunt = *Capitulum, Archidiaconatum, Canonicatus, & Præbendas, ac Beneficia Eccleſiaſtica Chori ſervitium annexum habentia dictæ Eccleſiæ Caſtrenſis ſuppreſſæ, ac totius Capituli menſam, & reſidentiam, Capitulares una cum omnibus honoribus, oneribus, privilegiis, prærogativis, bonis, reditibus, juribus, & emolumentis univerſis una cum Epiſcopalibus, & quibuſvis aliis ornamentis, & paramentis Eccleſiaſticis Sanctorum, & Sanctarum reliquiis, ac omnia alia tam ſacra, quam prophana ſupp elle&tili ab eadem Eccleſia Caſtrenſi ſuppreſſa ad dictam Eccleſiam Sancti Sepulchri in Cathedralem ſic erectam, ita ut deinceps non amplius Capitulum, neque Dignitas, & Canonicatus, ac Beneficia Eccleſiæ Caſtrenſis, ſed Eccleſiæ Cathedralis Aquipen-*

denſis nuncupentur, & denominentur, & apud eamdem Eccleſiam S. Sepulchri reſidere, in eaque divina officia, & alia munia Eccleſiaſtica, prout in dicta Eccleſia Caſtrenſi ſuppreſſa tenebantur, celebrare, & exercere omnino debeant; & teneantur, pariter perpetuo transferimus.

Ponderandum hinc, an in hac translatione etiam jura hujus Capellanię in Eccleſiam Cathedralem Aquipendien fuerint translata *cap. Abbate in fin. de verb. ſignif.*, *Gloſſ. in Can. ſi quis vult. 16. quæſt. 7. Rebuff. in prax. benef. de translat. Epiſc. num. 19.*, & *Rot. coram Seraphin. deciſ. 1149. num. 16.*, & *coram Penn. deciſ. 93.* vel ſaltem cum univerſalitate bonorum, & jurium ad novam Eccleſiam tranſierint, etiamſi de Capellaniis ſervitium Chori non habentibus expreſſa mentio habita non fuerit *Rot. rec. dec. 89. num. 4. part. 6.* Perpendendum demum, quanti momenti habenda ſit inveterata obſervantia, ſecundum quam ſacra uſque nunc peracta ſunt in dicta Eccleſia Aquipendii, ſaltem in linea interpretativa ſecutæ translationis.

Emi Patres dignentur reſponſum dare dubio.

An liceat Capellano Ssmæ Conceptionis celebrare Miſſas tam lectas, quam ſollemnes in Eccleſia Majori Terræ Iſchiæ, vel potius teneatur illas celebrare in Eccleſia Cathedrali Aquipendii in caſu &c.

Dia

Die Sabbathi 4. Aprilis 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUÆ ex præterita Congregatione indeciſæ ſuperfuerunt Cauſæ, in præſenti folio iterum tranſcribuntur, & ſapienti EE. PP. judicio ſubjiciuntur, ut de his, aliiſque poſtremo loco relatis definitio prodeat.

ROMANA, SEU TUDERTINA ADMISSIONIS AD COLLEGIUM. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*
II. *An Clericus Joſeph Ceva ſit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Laſſi, in caſu &c.*
III. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint illa purganda, in caſu &c.*

Iterum proponatur.

TAURINEN. IRREGULARITATIS. *Seſs. 14. cap. 7. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Prævio receſſu a deciſis conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ. *Seſs. 22. cap. 8. de Reform.*

I. *An ſit ſtandum in primo, vel in ſecundo loco deciſis quoad erectionem Capellaniæ, in caſu &c.*

Et

Et quatenus in secundo loco decisis

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad cessionem bonorum hæreditariorum quondam Rosæ Augustini favore Conservatorii Terræ Anticuli, in casu &c.*

III. *An sit locus adprobationi Transactionis inter dictum Conservatorium, & Dominicum Serafini, in casu &c.*

Ad I. In secundo loco decisis, & amplius. Ad II. Iterum proponatur. Ad III. Dilata.

Sess.22 cap.unic. de observ.,& evitan. in celebrat. Miss.

NULLIUS TRIUM FONTIUM MISSÆ CONVENTUALIS.

I. *An Præsbyteri, seu Canonici Ecclesiæ S. Nicolai S. Ædisti teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

II. *An, & quomodo sit locus illius reductioni, in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Provisum in primo.

Sess.22. cap.6. de Reform.

AQUIPENDIEN. ONERIS MISSARUM.

An liceat Capellano Ssmæ Conceptionis celebrare Missas tam lectas, quam sollemnes in Ecclesia Majori Terræ Ischiæ, vel potius teneatur illas celebrare in Ecclesia Cathedrali Aquipendii, in casu &c.

Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Sess.22. cap.unic. de observ.,& evit. in celebr.Miss.

LUNEN. SARZANEN. CELEBRATIONIS MISSÆ. In Synodalibus Constitutionibus, quæ pro Diœcesi Lunen. Sarzanen. variis temporibus æditæ sunt, nonnulla dispositа habentur de Laicalium Sodalitatum Oratoriis, quibus in sollemnioribus anni Festivitatibus Missæ celebratio in-

interdicitur. Pro-Vicarius idcirco Generalis Prioribus Societatis, quæ nuncupatur Misericordiæ, prohibuit, ne in proprio Oratorio Missæ Sacrificium die Paschatis Resurrectionis celebrari permitterent. Reclamarunt Priores apud Sanctissimum, qui controversiam Sac. huic Congregationi ablegavit, auditoque Episcopo, ea modò EE. VV. definienda proponitur.

Inquiunt Priores, Oratorium non esse privatum, sed publicum, idque certissimis resultare indiciis, proindeque fas esse Sacrum in eo quotidie, tanquam in Ecclesia publica facere, ne sollemnioribus quidem exceptis Festivitatibus, aut die Paschatis. Hanc autem facultatem tum ex juris dispositione competere *Card. Petra in Comment. ad Constit.* 2. *Paschalis II. sess.* 1. *num.* 79., tum ex universali consuetudine, quæ vim legis apud omnes obtinet, tum etiam ex pluribus Sacræ hujus Congregationis, nec non alterius Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium decretis, atque declarationibus, tum demum ex possessione ultra centum annos protracta celebrandi in Oratorio Societatis Missas in qualibet sollemnitate, ac præsertim in die Paschatis Resurrectionis. De hac autem diuturna possessione testimonium sub juris jurandi religione complures perhibere Testes; eamque præterea resultare ex antiquissimo libro anno 1671. typis impresso, qui Confraternitatis Regulas, & Statuta continet.

Nihil autem obstare Synodales Constitutiones, quas irritas, atque injustas esse ex eo contendunt, quod non liceat Episcopo locis sacris pro suo arbitrio, & voluntate adimere, quæ ipsis de jure, & ex sui natura competunt, Sacra Congregatio in *Savonen.* 9. *Septembris* 1724.. Addunt, decretum Synodi relatum in *cap.* 48. de Oratoriis tantum privatis esse intelligendum, quod certius desumunt ex observantia, qua constare asserunt, in Oratorio Misericordiæ Missas singulis festivis, & sollemnioribus diebus, atque etiam in die Paschatis fuisse celebratas, minimè reclamante Episcopo Spinola, qui Constitutiones hac super re in Synodo edidit, neque illius Successore Episcopo Torres. Hujusmodi præterea intelligentiam ex eo etiam desumunt, quod si Constitutiones Synodales de Oratoriis publicis loquerentur, non solum in die Paschatis, sed in quolibet ex sollemnioribus diebus Missarum celebratio in Oratorio Societatis fuisset interdicta.

Neque opponi posse, quod reliquæ Civitatis Sarzanæ Societates prohibitioni paruerint. Advertunt enim, neminem cogi posse ad sua jura experienda *Rot. decis.* 336. *num.* 16. *par.* 13. *Recent.*, & liberum cuique esse juri suo renunciare, vel illo non uti. Asserunt deinde, minimi habendam esse deficientiam Populi in die Paschatis ad Ecclesiam Cathedralem non accedentis, è conspectu juris publicis Ora-

toriis pro Missarum celebratione competentis *Bertachin. vot. decis. 64. per tot.*; & hanc Populi deficientiam despectam a Sac. Congregatione fuisse in *Theatina* 29. *Junii* 1690., *in Forolivien.* 16. *Januarii* 1694., *in Parmen.* 9. *Augusti* 1698., eamque despectam quoque fuisse tum a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium in *Frisingen.* 17. *Junii* 1693., tum etiam a Sac. Rituum Congregatione in *Ostunen.* 22. *Septembris* 1703., & in *Castellaneten.* 22. *Augusti* 1707.. Maximè quia die Paschatis in Cathedrali Ecclesia nec Divini Verbi prædicatio habetur, nec ulla ad Populi instructionem fit publicatio, sed unicè sollemnis canitur Missa, & Sacramenta administrantur. Concludunt proinde, cessare omninò causam convocandi Populum ad Ecclesiam Cathedralem, atque idcircò Synodalis quoque Legis dispositionem cessare oportere *Rot. decis.* 381. *num.* 1. *part.* 3. *& decis.* 343. *num.* 7. *part.* 5. *tom.* 1. *Recent.*

Contra verò Promothor Fiscalis Curiæ Episcopalis Sarzanæ, fatetur quidem Oratorium Societatis publicum esse, non privatum, verùm in casu, de quo agitur, præmittit, quæstionem instituendam non esse *in abstracto*, an scilicet in publicis Oratoriis Missa in sollemnioribus anni Festivitatibus possit celebrari, cum pro affirmativa sententia ultro admittat, plures vigere Sacræ hujus Congregationis resolutiones in *Compsana* 3. *Martii* 1704., *in Savonen.* 9. *Septembris* 1724., *in Ruben.* 28. *Julii* 1731., *in Nitrien.* 12. *Februarii* 1735., *& in Nullius, seu Nonantulana* 27. *Junii* 1744.; sed quæstionem *in concreto* examinandam, ac decidendam fore, an scilicet non obstante Synodali prohibitione liceat Missam in Societatis Oratorio die Paschatis Resurrectionis celebrare.

Hac igitur in re advertit, consultissimè Synodales editas fuisse Constitutiones, easque conformes esse dicit menti Ecclesiæ magnoperè optantis, ut Christifideles saltem in sollemnioribus infra annum festis diebus Divinis in Cathedrali Ecclesia, & in propriis Parochiis interfint Officiis. Hinc arguit, easdem Constitutiones Diœcesanos omnes afficere, & ab omnibus esse attendendas: Accedente potissimum observantia, quam Testes invaluisse affirmant, nec aliter, nisi de Ordinarii licentia unquam servatum fuisse asseverat; Neque oppositum erui ex Testibus exadverso inductis, quia etsi de facultate ab Episcopo tributa mentionem non faciant, illam tamen minimè impugnant.

Observat præterea, interdictum celebrandi Missam fuisse admissum, declaratumque in *Albinganen. Curæ Animarum, & Functionum* 9. *Septembris* 1752., quamvis ibi ageretur de unico Episcopi decreto, ac de Ecclesia distante a Parochiali, & in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quotidiè asservabatur, & non solum in die Paschatis, sed

in

in die etiam festo Sancti Titularis Parochiæ vetitam fuisse Missæ celebrationem. Multò proindè magis interdictum sustineri oportere in præsenti casu, quo in quinque Synodis pro die tantum Paschatis fuit constitutum, atque firmatum, & Oratorium Misericordiæ proximum est Cathedrali, vel Parochialibus, vel Regularium Ecclesiis, in eoque Sacra Hostia, quotidiè non asservatur.

Perperamque opponi existimat, Synodales Constitutiones intelligendas esse de Oratoriis privatis, ob illa verba: *Si tamen Oratorium fuerit privatum*. Respondet enim, verba illa non referri ad regulam, sed ad regulæ exceptionem, & limitationem. Ait nimirum, regulam contineri in his generalibus verbis: *Diebus sollemnibus, scilicet Natalis Domini, Paschatis &c., nullo pacto in Oratoriis celebretur*, atque hæc verba directa esse ad Sacerdotes celebrantes, contra quos suspensionis pœnam Synodus indixit. Exceptionem vero directam esse ad audientes Missam, quos Synodus declaravit præcepto non satisfacturos, *si tamen Oratorium*, in quo Missam audierint, *fuerit privatum*. Idque clarius deprehendi ex aliis, quæ sequuntur verbis: *Et super hoc neque Parochum posse dispensare*, cum tamen facultas celebrandi in Oratoriis privatis neque a Parochis pendeat, neque ab Episcopis, sed tantum ab Apostolica Sede possit impertiri.

Subdit, ex Synodali lege annî 1582., quæ subsequentibus Synodis normam præbuit, atque exemplum, interdicta diebus sollemnioribus fuisse, *quæcumque sint*, Oratoria. Ac demùm observat, Synodales Constitutiones, præcipuè verò quæ anno 1717. æditæ sunt, ad Confraternitates fuisse directas, earumque Oratoria, quæ non impugnatur publica tunc temporis extitisse, in iisque Oratorium etiam Societatis Misericordiæ comprehendi, quorum Priores ad observantiam Synodalis Decreti adigendos esse concludit, quemadmodum aliæ duæ Sodalitates perspecta hujusce decreti æquitate interdicto paruerunt.

Ex antiqua Ecclesiæ disciplina, omnes Christifideles propriam Parochialem Ecclesiam Dominicis, aliisque festis diebus adire, ibique Sacro interesse tenebantur *Natal. Alexand. tom. 1. Theolog. dogmat. moral. lib. 1. de Sacros. Eucharist. artic. 5. reg. 10.*, *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib. 11. cap. 14. num. 70.*. Id ipsum in jure novissimo, non tamen per modum præcepti, sed consilii, & hortationis legitur constitutum. Siquidem Concilium Tridentinum *sess. 24. decret. de observan.*, *& evitan. in celebr. Missæ*, ita ad Episcopos loquitur, *moneant etiam eumdem Populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & Festis accedat*.

Cum tamen Tridentina Synodus *sess. 24. cap. 7. de reform.* Parochis præceperit, ut Dominicis, aliisque Festis diebus

pios habeant ſermones ad Populum, quem in Parochiali Eccleſia hac de re convenire mandavit, hinc vigiles non defuere Paſtores, qui ſollemnioribus anni Feſtivitatibus Miſſam in privatis Oratoriis celebrari prohibuerint. Hos inter recenſendus immortalis memoriæ Benedictus XIV., qui dum Bononienſem Archidiœceſim regeret, ſequens de publicis Oratoriis edidit decretum = *Abſque facultate noſtra, quæ tum ſolum tribuetur, cum legitima cauſa id poſtulaverit, Sacrum in illis Sacellis fieri prohibemus, cum ſollemnes dies aguntur Paſchatis, Nativitatis Domini, Epiphaniæ &c., ejuſque Sancti, cujus titulo Parochia nuncupatur, juxta veterem hujus Diœceſis conſuetudinem*, ut legitur *Inſtit.* 44.

Epiſcopus Albinganenſis cum anno 1718. Paſtoralem viſitationem ageret in Pago *Delii*, quem bis mille ferè paſſibus a Parochiali S. Laurentii Eccleſia diſtare cognovit, ut Populi incommodo proſpiceret ex aſpero, prærumpto, & difficili itinere octo Rivis intercepto, audito prius Parocho decrevit, ut ſalvis juribus Parochialibus, in Oratorio, quod in eodem Pago ſitum eſt, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro Infirmis retineretur, ibique Sacrum quotidie fieri permiſit, exceptis diebus Paſchatis, & S. Laurentii, nec non a Capellano Miſſam celebraturo Evangelium Populo explicari, & Fidei rudimenta Pueros doceri mandavit. Verum Populo viſum eſt, non ſatis ſibi hoc modo fore conſultum, proindeque nonnulla dubia Sacræ Congregationi definienda propoſuit, & præcipuè = II. *An Populo Delii indulgendum ſit audire Miſſam in dicta Eccleſia S. Bernardi indie Paſchatis, & S. Laurentii?* Sac. autem Congregatio die 9. Septembris 1752. reſpondit = *Satis proviſum in Decreto Epiſcopi*.

Cæterum quoties hac de re alias actum eſt in Sacra Congregatione, ubi primùm per certiſſima indicia apparuit, Oratorium fuiſſe publicum, Sacra Congregatio ex peculiaribus cauſis, non obſtante Epiſcopi decreto, vel Synodalibus Conſtitutionibus, facultatem celebrandi Miſſam in ſollemnioribus etiam Feſtivitatibus impertita eſt. In *Savonen.* Epiſcopus celebrationem Miſſæ iis diebus ſub pœna Interdicti, & Cenſurarum prohibuerat, nihilominus propoſitis *die 9. Septembris* 1724. dubiis = I. *An Ædes Sacra S. Mariæ de Areneto ſit Eccleſia publica, vel Oratorium privatum, in caſu &c.*. II. *An conſtet de nullitate, & injuſtitia Interdicti, & reſpectivè ſuſpenſionis a Divinis, in caſu &c.*, prodiit reſponſum ad I. *Eccleſiam eſſe publicam*. Ad II. *Affirmativè*. In *Comaclen.* Epiſcopus decreto ſuo, Sacrum fieri interdixerat in Oratorio, quod appellatur *delle Camatte*, ſed cum a Sacra Congregatione quæſitum fuiſſet = *An liceat in publico Oratorio delle Camatte libere celebrare etiam in feſtis ſollemnioribus, in caſu &c.*, reſcriptum fuit die 17. Junii 1769. = *Affirmativè, & ad mentem*, ut ſcilicet in diebus feſtis Ca-

te-

techesis ad Populum per Capellanum celebraturum haberetur.

Quoniam verò in præsenti Causa Promothor Fiscalis animadvertit, quæstionem agendam non esse *in abstracto*, quo casu favere profitetur adductas Sac. Congregationis resolutiones, sed *in concreto*, habita nimirum de Synodali lege ratione, idcircò operæ pretium erit Synodales Constitutiones paulo accuratius recensere, ut deindè dijudicari valeat, an locum habere possint, & hodiernæ disputationi cohæreant.

In Synodo anni 1582. typis edita anno 1584. *tit. de Confraternitatibus* hæc habentur = *Diebus sollemnioribus, scilicet Natalis Domini, Paschatis &c. nemini liceat in his Oratoriis Confraternitatum (quæcumque sint) Missam celebrare, aut audire: Sacerdos verò, qui contra hujus nostri decreti formam celebraverit, suspensionis pœna, & alia graviori arbitrio nostro plectetur.* In altera Synodo anni 1642. *Cap.* 47. *de Societatibus Laicorum*, id ipsum iisdem omnino verbis sancitum legitur, deindeque additur = *Non audiat insuper ibi quivis Sacerdos Sæcularium, & præsertim Mulierum Confessiones, & absque nostra licentia nullus iis in locis, aliisque privatis Oratoriis Conciones, aut sermones habeat, sub pœna interdicti localis, aut alia graviori arbitrio nostro infligenda.*

Similiter in Synodo anni 1674. idem Statutum noscitur *cap.* 7. *De Societatibus Laicorum*. Et in Synodo anni 1702. *cap.* 38. *De Oratoriis, & Confraternitatibus*, hæc sancita inveniuntur: *Quatenus a nobis concessa fuerit facultas, vel imposterum concedatur, celebrandi diebus festis in Oratoriis, nunquam intelligatur concessa pro diebus Natalis Domini &c. . . . . , & nunquam intelligatur concessa de tempore, quo Missa Parochialis in Parochia celebratur. Demum de Oratoriis a Parochiali dissitis, & distantibus per tertiam milliarii partem non intelligatur concessa, nisi celebrans infra Missam doctrinam Christianam audientes doceat &c.*

Tandem in Synodo anni 1717. *cap.* 48. *De Societatibus Laicorum* sic disponitur: *Diebus sollemnibus, scilicet Natalis Domini &c. . . . . nullo pacto in Oratoriis celebretur, neque in diebus Passionis Domini, Sabbathi Sancti, & super hoc neque Parochum posse dispensare volumus. Sacerdos verò, qui contra hoc decretum celebraverit, pœna suspensionis, & alia graviori pœna arbitrio nostro plectetur, & audientes Missam his diebus in Oratorio, præcepto Ecclesiastico minimè satisfacere declaramus, si tamen fuerit Oratorium privatum. Non audiat insuper ibi quivis Sacerdos Sæcularium, & præsertim Mulierum Confessiones, & absque nostra licentia nullus iis in locis, aliisque privatis Oratoriis conciones, aut sermones habeat sub pœnis interdicti localis.*

Ponderandum itaque, an Synodales Constitutiones de privatis tantùm, aut de publicis etiam Oratoriis sint intel-

li-

ligendæ; an celebratio Missarum in publicis Oratoriis per Synodalia decreta prohiberi potuerit; an demum constans, & perspicua observantia concurrat. Quibus omnibus, aliisque ad rem perpensis, dijudicandum erit

An liceat in Oratorio Misericordiæ Civitatis Sarzanæ celebrari Missas in die Paschatis Resurrectionis Dominicæ, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

BRICTINORIEN. SERVITIORUM. Cappellania in Cathedrali Ecclesia Brictinorii instituta juxta dispositionem Sacerdotis Nicolai Pretini anno 1609. in Canonicatum erecta fuit absque eo quod quidquam de oneribus Capellaniæ inherentibus detraheretur. Novi hinc hujusce Canonicatus Possessores, præter Chori servitium, perrexerunt etiam Episcopo assistentiam præstare quoties vel in Cathedrali, vel in Ecclesiis Civitatis, aut Suburbiorum, Sacram aliquam functionem perageret, eique *tanquam familiares* inservire, prout Testator præceperat; Atque insuper onus Missæ quotidianæ ab eodem Testatore iniunctum impleverunt usque ad annum 1641., quo tempore ob redituum tenuitatem onus hujusmodi fuit imminutum, & ad tres Missas singulis hebdomadis vigore Pontificii Brevis redactum, ea tamen lege, ut si reditus augerentur, Missæ quotidianæ celebratio resumeretur.

Verùm unus Canonicus Petrus Carolus Paolucci, qui ab anno 1765. Canonicatum possidet, renuit iniuncta onera adimplere: Quare postquam diù fuerat inutiliter expectatus, ut asserta sua jura deduceret, urgente Promothore Fiscali Curiæ Episcopalis Brictinorii, duo in Congregatione diei 11. præteriti Mensis Januarii proposita fuerunt dubia diversam onerum qualitatem respicientia = I. *An, quomodò, & in quibus Functionibus Possessor Canonicatus Pretini teneatur præstare servitia Episcopo in casu &c.* II. *An ratione ejusdem Canonicatus teneatur ad celebrationem Missæ quotidianæ in casu &c.* = ipsoque Canonico Paolucci judicio adesse non curante responsum prodiit = Ad *I. Affirmativè in omnibus ad formam dispositionis*. Ad II. *satis provisum in Brevi Apostolico anni* 1641.

Acquievit Canonicus Paolucci resolutioni secundi dubii, sed quoad primum novam Audientiam obtinuit. Frustra tamen sæpius fuit monitus, ut si quæ haberet, jura proponeret, nihil enim quidquam huc usque protulit, & Promothor Fiscalis graviter conqueritur, quod prætextu litis debita

Epi-

Epiſcopo ſervitia exhibere recuſet. Itaquè eodem Canonico ſilentium adhuc ſervante, de hiſce ſervitiis iterum diſputatio occurrit. Cauſa fuſius recenſetur in folio diei 14. *Decembris* anni elapſi, quo opportune reſumpto, atque accurate de more perpenſo, EE. PP. definire dignabuntur.

An quoad primum dubium ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

CAMERINEN.. Secundum ea, quæ Sac. Congregatio diebus 17. Junii 1769., & 18. Auguſti 1770. Camerinenſi Epiſcopo prius exploranda, deinde ſtatuenda mandavit cum Conjugibus de Merlis quoad legata pia ab Antonio, & Marco Antonio Sen. de Zocchis ordinata, quorum implementum pro certa quantitate iidem Conjuges ad eorum onus ſuſcipere obtulerunt, exarata tandem fuit tranſactionis Scriptura, pro cujus adprobatione preces hodie porriguntur. Ut igitur EE. VV. tutiorem de ea re Sententiam dicere poſſint, præſtat ad earum memoriam revocare, Antonium Zocchi inſtituto hærede Marco Antonio Sen. Fratre, huic onus iniunxiſſe manutenendi lampadem perpetuò accenſam ante Altare B. Virginis Lauretanæ erectum in Eccleſia S. Mariæ de Platea Oppidi Sarnani, nec non peragendi feſtivitatem Nativitatis B. Mariæ, & adventus Almæ Domus Lauretanæ cum præfinito ſeptem Miſſarum numero unoquoque ex iis feſtis diebus celebrandarum: Marcum autem Antonium Sen. non ſolum hujuſmodi legatum in Codicillo confirmaſſe ſed onus quoque adieciſſe duorum Officiorum Miſſarum octo pro quolibet, quæ in memorata Eccleſia S. Mariæ de Platea ſingulis annis expleri mandavit. *Seſſ. 24. cap. 4. de Reform.*

Hæreditas Marci Antonii Senioris delata eſt ad Bartholomæum, & Stephanum Fratres Zocchi, quibus ſucceſſit Marcus Antonius Junior ejuſdem Stephani filius. Hic autem de ſuis bonis diſpoſuit favore Mariæ Angelæ Sororis, & Quirici Antonii Biondi ejus Viri, quos invicem ſubſtituit, & poſt utriuſque obitum erogandum juſſit quidquid ex ſuis bonis retraheretur, in celebrationem tot Miſſaram cum eleemoſina manuali ad idem Altare B. Virginis Lauretanæ. Quirico Viro ſuperfuit Maria Angela, quæ anno 1762. bona omnia donavit Mariæ Antoniæ Auguſtini, & Joanni

Ba-

Baptistæ Merli Coniugibus; cumque isti agnoverint, bona Familiæ Zocchi pluribus affecta esse oneribus, piisque Legatis, separatis idcirco bonis, quæ ad hæreditatem Marci Antonii Junioris pertinebant, ab aliis propriis Mariæ Angelæ donantis, illa favore piæ causæ dimittere obtulerunt, dummodò tamen satisfactionem assequerentur scutor. 264.82., quibus hæreditas Marci Antonii Junioris erga hæreditatem Mariæ Angelæ gravata comperiebatur.

Oblatam bonorum dimissionem ratam habuit, atque exequi mandavit Vicarius Generalis Camerini, qui reintegrationem favore Conjugum Merli pro summa tantum scutorum 22. 40. iniunxit, & pro residuo asserti crediti sc. 242.42. jura in suo congruo judicio experienda ipsis reservavit. Decursu verò temporis perspectum est, ex hæreditate Marci Antonii Junioris vix retrahi annua scuta 25., è converso autem gravatam esse tum annuis expensis in summa scutor. 15, 14., tum etiam aliis scutis 74. 54. 4. pro fructibus censuum tam ante, quam post ejus obitum decursis, & nunquam persolutis. Hæc sanè redituum tenuitas, & expensarum, atque onerum gravamen inanem reddidisset piorum Legatorum satisfactionem, si Conjuges Merli pro suo assequendo credito instetissent; Quapropter iidem Conjuges de transactione cogitarunt hoc modo ineunda, ut scilicet bona omnia Familiæ Zocchi ad Marcum Antonium Juniorem delata ipsis adiudicarentur, cum onere tum adimplendi legata ab Antonio, & Marco Antonio Seniore præfinita, tum etiam extinguendi debita a Marco Antonio Juniore contracta, tum denique celebrandi una tantum vice in istius Animæ suffragium certum Missarum numerum ab EE. VV. constituendum; ac pro istorum implemento non tam hæreditaria Zocchi bona, sed propria etiam bona hypothecæ subiicere promiserunt.

Hujusmodi transactio exhibita fuit die 17. Junii 1769., cumque EE. VV. utilius fore censuerint, si celebratio pro una vice oblata constitueretur in certo numero Missarum anno quolibet futuris quoque temporibus adimplenda, hinc scisciari ab Episcopo voluerunt, an expediret, ut Conjuges Merli certum aliquem in eam rem assignarent fundum, seu potius ut annuæ pecuniarum præstationi sese adstrictos profiterentur. Censuit autem Episcopus, Missarum satisfactioni satis consultum fore, si iidem Conjuges utensilium præstationem, & certam annuæ summæ solutionem sponderent; quod quidem EE. VV. etiam magis congruum visum est; nam die 18. Augusti anni 1770. proposito dubio= *An, & quomodo Oratorium precibus sit annuendum in casu &c.*= responsum fuit = *Affirmativè juxta votum Episcopi, & ad mentem* = ut scilicet conficeretur minuta transactionis cum præfinitione numeri Missarum, & ad Sac. Congregationem transmitteretur.

Res

Res tandem ad exitum perducta est. Initæ transactionis exemplar, quod EE. VV. circumfertur, satis ostendit, assumptum a Conjugibus Merli fuisse onus adimplendi pia legata ab Antonio, & Marco Antonio Zocchi Seniore præscripta, nec non celebrandi duas Missas singulis mensibus, ut Marci Antonii Junioris dispositio exequeretur. Viderint ergo, an æquitatis principiis innixa comperiatur transactio, an pia causæ, & tutiori Legatorum implemento consultùm fuerit, ut decernant.

An, & quomodo sit locus adprobationi transactionis in casu &c.

SYRACUSANA REDUCTIONIS MISSARUM. In Ecclesia Societatis SSmæ Annunciationis Oppidi Comisii ad supplicationem Rectorum, atque Confratrum, Præsbyterorum Collegium anno 1639. Archiepiscopus Syracusanus instituit. In fundatione Collegii pro Sacerdotum alimonia Ecclesiæ Rectores annvum reditum contulerunt unciarum 53., scilicet monetæ Romanæ scut. 127. 20., quorum fundi ab iisdem Sacerdotibus essent administrandi. Anno verò 1679. tunc temporis Archiepiscopus Collegii fructus recensuit, eosque ascendere invenit ad annua scuta 510., a quibus detractis expensis quolibet anno subeundis in scutis 192. 49. $\frac{1}{2}$, deductisque aliis scutis 271. 20. pro eleemosina Missarum Collegio inhærentium, supererant scuta 54. 17. inter Præsbyteros partienda, & eorum cuique nonnisi quam scuta 4. 51. singulis annis obveniebant. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Hoc Præsbyterorum Collegium anno 1739. Apostolica Auctoritate in Collegiatam fuit erectum. Hodiernus autem Archiepiscopus cum res Capituli æconomicas cognoverit, reditus pertingere invenit ad scuta 613. 33. sumptus verò comprehensis Missarum stipendiis æquare summam scutorum 596. 24., proindeque nonnisi quam scuta 17. 08. inter omnes Canonicos dividenda supereſſe animadvertit. Pro tam exiguo stipendio pluribus iidem Canonici gravantur oneribus. Siquidem præter quotidianum Chori servitium ad omnes canonicas horas persolvendas, alia multa tum ex consuetudine, tum ex fundationis lege onera adimplere tenentur, videlicet, pluribus infra annum diebus, & præcipue a die Jovis usque ad diem Martis Carnis privii expositioni SSmi Sacramenti tum mane, tum vespere debent

bent intereſſe : Ulterius qualibet die Jovis Miſſam de Venerabili Sacramento, & qualibet die Lunæ ſacrum pro Defunctis, præter Conventualem,& aliam de Sancto canere : Inſuper qualibet die Mercurii Miſſæ ſollemni, quæ pro expoſitione SSmi Sacramenti canitur, omnes aſſiſtere tenentur : Præterea ſingulis diebus Majoris hebdomadæ,nec non in tota Octava Corporis Chriſti, atque etiam in Octava Commemorationis Defunctorum, & novem diebus præcedentibus feſtivitatem Nativitatis B. Mariæ Virginis, & quindecim continuis diebus pro feſto SSmi Roſarii tam manè, quam veſpere Eccleſiæ interſunt.

Capitulum proinde tot gravatum oneribus, cum maxima Præbendarum Canonicalium tenuitate, remedium proponit, quo reditus augeantur. Aſſerit,Miſſarum Legata Collegiatæ Eccleſiæ relicta duplicis eſſe ſpeciei. Nonnullæ enim Miſſæ, in quantitate 2115. ab exteris Capellanis a Patronis nominandis juxta fundationum leges celebrantur, eaſque præſervandas omninò, neque ullo pacto minuendas Canonici conveniunt. Aliæ verò Miſſæ numerum 2896. conſtituentes ab ipſis Canonicis ex piorum benefactorum diſpoſitione adimplentur, & fundi pro iis relicti a Capitulo adminiſtrantur, & ſtipendium in ſumma ſcut. 364. 80. ſingulis annis requiritur. Has Miſſas Capitulum ita reduci poſtulat, ut pro qualibet reducenda Capellania una tantùm Miſſa quolibet menſe celebretur, reditus verò in Præbendarum augumentum erogetur.

Archiepiſcopus, qui, ad parcendum expenſis, fundationum monumenta tranſmittere non potuit, Oratorum inſtantiæ adhæret, & pro conſtituendis quotidianis diſtributionibus juxta præſcriptum Sac. Concilii Tridentini, reductionem hoc modo fieri poſſe cenſet, ut ſcilicet pro quinque Capellaniis cum onere Miſſæ quotidianæ inſtitutis ex diſpoſitione Decani Matthæi Dalma, qui pro dote ſcuta 223. 30. aſſignavit, & Canonicos hæredes nominavit, quinque ſingulis Dominicis, & feſtis diebus celebrentur Miſſæ cum conſueta ſcut. 12. eleemoſina, & quidquid ſupererit in quotidianas diſtributiones favore Capituli erogetur. Exiſtimat ulterius, intactam præſervari oportere tum Capellaniam cum onere Miſſæ in Aurora iiſdem Dominicis, feſtiſque diebus pro commodo Populi celebrandæ; nec non aliam onus præſeferentem Miſſæ poſt Nonam dictis diebus adimplendæ; atque etiam alteram, quæ hebdomadæ nuncupatur, quæque ex plurium Benefactorum voluntate debet celebrari; reliquas tamen manuales Miſſas, quæ numerum 811. conſtituunt,& pro quibus ſtipendium ſcut. 102. 13. requiritur, reduci poſſe cenſet ad duodecim ſollemnes Miſſas quolibet menſe a Canonicis ultra Conventualem canendas; & hoc modo Canonicorum indigentiæ conſultum fore aſſerit,quorum unicuique ſumma ſcut. 22. 48 po-

terunt

terunt assignari, quam juxta Loci, & temporum circumstantias satis congruam affirmat.

Certa regula est, juxta praxim Sac. Congregationis, alia potius onera esse minuenda, quam Missarum numerum reducendum *Fagnan. in Cap. Ex parten. 24. de Constit.*, & *Sa. me Bened. XIV. de Synod. Diœcef. lib. 13. cap. ult. n. 23.* Ab hac tamen regula receditur, si fundus pro Missarum celebratione relictus integer, atque intactus permanserit, alii verò pro ceteris, piis operibus destinati deteriorationem passi fuerint; Atque etiam quando ex toto dispositionis contextu eruitur, eam fuisse Testatorum mentem, ut potius Missarum quantitas, quam alia pia Legata reducantur, prout monet laudatus Pontifex Benedictus XIV. *loc. cit.* Ponderandum idcircò, an Cappellaniarum Institutores Capituli potius indigentiæ, & conservationi prospicere, quam Missarum celebrationi adimpleri voluerint. Animadvertendum, quod etiamsi cætera minuerentur onera, nihilominus parum emolumenti, atque utilitatis obveniret Canonicis, qui subsidio indigent.

Erectionem Ecclesiarum Collegiatarum, nec non illarum dotationem, publicæ utilitatis causam præseferre, desumi posse videtur ex *Can. 14. dist. 96.*, & in suffragium Animæ Testatorum vergere affirmat *Piton. disc. Eccles. 69. n. 5. 6.*, & *seqq.*, quia Canonici Missas Conventuales pro Benefactoribus applicare tenentur, & Choro interesse ad Divinas laudes persolvendas, quod in eorum cedit utilitatem, atque expiationem.

Hinc pro erigendis Collegiatis, constituendisque Canonicorum Præbendis, ultimas decendentium voluntates commutari, uniones concedi, beneficia tam Parochialia, quam liberæ collationis, aut etiam Juris patronatus supprimi posse fuit concessum, ut reditus in eam causam erogarentur, quemadmodum testatur *Conrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 15. n. 15. in fin.*, & *n. 16.*, probavitque Sac. Congregatio in *Liegen. Erectionis Collegiatæ* 1704., in *Giennen. Erectionis Collegiatæ* 18. *Julii* 1705., & in *Cremonen. erectionis Collegiatæ anni* 1721. Rationem autem allegat *Piton. loc. sup cit. num. 13.*, quia scilicet *in erectione Collegiatæ urget causa publicæ utilitatis, quæ respicit animam Fundatoris . . . ob quam publicam causam concedi solet commutatio ultimarum voluntatum per unionem, & suppressionem Legatorum piorum, & Capellaniarum, Beneficiorum, & Parochialium non obstante Lege eorum fundationis.*

Anno 1515. sa. mem. Leo X. erectionem Collegiatæ factam ab Episcopo Nuscano de Ecclesia S. Mariæ *del Piano*, cum unione octo Parochialium beneficiorum, septemque non Parochialium, Apostolica auctoritate confirmavit. Videndum, an quæ pro erigendis Collegiatis concessa sunt, pro illarum etiam conservatione debeant impertiri. Animadvertendum ulterius, an publicæ utilitatis favor,

qui pro Collegiatis militat, tanti habendus sit, ut Missarum celebrationi præponderet, seu potius per celebrationem Missæ Conventualis, divinorumque officiorum id totum in Defunctorum suffragium suppleatur, quod ex reductione numeri Missarum detrahitur.

Omnibus itaque assueta maturitate perpensis EE. PP. dijudicabunt.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Die Sabbathi 9. Maji 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

FOlium præteritæ Congregationis diei 4. elapſi menſis Aprilis quatuor exhibet Cauſas, quæ indeciſæ tunc remanſerunt. His in præſenti folio adjiciuntur aliæ, de quibus EE. VV. ſapientiſſimum judicium deſideratur.

LUNEN. SARZANEN. CELEBRATIONIS MISSÆ.
An liceat in Oratorio Miſericordiæ Civitatis Sarzanæ celebrare Miſſas in die Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, in caſu &c.

Seſſ. 22. decr. de obſervan. & evitan. in celebr. Miſſ.

Affirmativè.

BRICTINORIEN. SERVITIORUM.
An quoad primum dubium ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

In deciſis, & amplius.

CAMERINEN.
An, & quomodo ſit locus approbationi Tranſactionis, in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 4. de Reform.

Affirmativè ad formam minutæ, & juxta votum Epiſcopi.

SY-

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SYRACUSANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

GERUNDEN. JUBILATIONIS. Jubilationi, quam post emensum laudabile, atque continuum annorum 45. servitium petierat Archidiaconus Major, & simul Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Gerundensis Isidorus de Orteu, obstare censuit Capitulum Constitutiones, sive Statutum Ecclesiæ, de non petendo a Sede Apostolica, vel a Legatis ejusdem privilegio percipiendi fructus in absentia, ac de non utendo impetrato, nec de impetranda absolutione a juramento, quod in actu capiendæ possessionis unusquisque debet emittere. Hinc in Congregatione diei 15. mensis Februarii nuper elapsi duo disputata fuerunt dubia, I. *An obstent Statuta Ecclesiæ Cathedralis Gerundensis annorum 1536., & 1537., & respectivè illorum juramentum ad effectum obtinendi jubilationem, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro absolutione ad cautelam, in casu &c.* II. *An sit concedendum Indultum Jubilationis, in casu &c.* = & contradicente Capitulo responsum fuit = Ad I. *Negativè, & non indigere* = Ad II. *Affirmativè*.

Beneficio autem novæ Audientiæ potestas eidem Capitulo facta est reclamandi ab hujusmodi resolutione, sed cum nihil unquam adhuc opposuerit, idcircò Archidiaconus innixus rationibus in præcedenti folio fusius relatis, & juribus, quæ resolutioni fundamentum præbuerunt, supplicat, ut definiatur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 7. cap. 8. de Reform.

TERRACINEN., ET SETINA. Plures, quæ inter Reverendissimum Episcopum Setinum, & illius Cathedralis Capitulum exortæ sunt controversiæ de modo, & tempore Choro inserviendi, de exhibenda Episcopo Pontificalia exercenti sacrarum Suppellectilium subministratione, de Ecclesiæ Cathedralis restauratione, ac de loco, & forma comitandi Episcopum ad illam accedentem, seu ab ea recedentem, hæ omnes septem dispertitæ dubiis sapienti EE. VV. judicio subjectæ fuerunt in Congregatione diei

diei 14. Decembris anni elapsi, & ut plurimum juxta votum Episcopi resolutæ. Præcipuè verò super præstatione Sacrarum Suppellectilium disputatum fuit in III. dubio = *An prædicti Canonici teneantur subministrare Episcopo Pontificalia exercenti, & Ordines conferenti Suppellectiles, & alia sacra ornamenta, in casu &c.* = & prodiit responsum = *Affirmativè, dummodo celebret in Cathedrali, vel in Capella Episcopali, & ad mentem, ut scilicet Episcopus provideat Sacrarium Ecclesiæ juxta præscriptum in Literis Apostolicis, & amplius* = in Litteris enim Apostolicis collationis Episcopatus hæc expressa habentur = *Quodque Sacraria Setin., & Privernen. Ecclesiarum Suppellectilibus Sacris ad divina peragenda sufficienter instruas, ac in Terracinen., & Privernen. Civitatibus Seminarium ad præscripta Concilii Tridentini instituas, Montemque Pietatis erigi cures, conscientiam tuam super hoc oneruntes* =

Quamvis Promothor Fiscalis favorabilem dubio resolutionem expertus fuerit quoad sacrarum Suppellectilium subministrationem, nihilominus beneficio novæ Audientiæ avertere modò conatur onus Episcopo injunctum providendi de sacris Suppellectilibus Ecclesiæ Sacrarium, asserens, hjusmodi onus non præceptivè, ac de expresso Summi Pontificis mandato, sed per modum consilii, ac de stylo Datariæ Litteris Apostolicis fuisse adjectum, onerata solum Episcopi conscientia super illius implemento, quod quidem non præceptum, sed tantùm consilium importare affirmat *Piton. disceptat. Ecclesiast. 103. num. 19.*, *Rota decis. 28. nnn. 24. part. 18.*, *& dec. 504. n. 11. par. 19. Rec.*

Infert proindè, expressionem adjectam Litteris Apostolicis nequaquam coercere Episcopum ad implementum, vel ad summum in eo tantùm casu eum obligare, quo peculiares Sacrarii reditus deficiant, vel Mensæ Episcopalis reditus superabundent tam pro decenti Episcopi sustentatione, quam pro sacrarum Suppellectilium comparatione *Cap. Ex parte de his, quæ fiunt a major. part. Capit.*

Nullatenus verò probari, reditus Mensæ Episcopalis excedere congruam Episcopi manutentionem; immo compertum id fuisse S. Congregationi, nam ipsa cogere haud potuit Episcopum, ut petebat Capitulum, ad Cathedralis Ecclesiæ restaurationem, quia de quantitate redituum Mensæ non constabat; atque idcircò quinto dubio hac de re agenti eadem die 14. Decembris anni elapsi, dilata resolutione mandavit, ut *firmaretur Status redituum Mensæ Terracinen., Privernen., & Setin.*. E converso autem satis constare ex partitis Librorum Capitularium, Ecclesiæ Sacrarium conspicuos habere reditus, eosque juxta ipsorum met Canonicorum depositionem in sacrarum Suppellectilium comparationem erogari. Hinc nefas esse dicit contra Episcopum insurgere, qui de cætero in isto casu ad nihil omninò adigi

posse

posse contendit, etiamsi Mensæ Episcopalis reditus superabundarent.

Denique duo animadvertenda proponit, primum scilicet, quod quamvis Episcopus in Pastoralibus Visitationibus efflagitaverit exhibitionem Librorum, in quibus Sacrarii reditus descripti sunt, nihilominus Capitulum illam semper impugnavit. Alterum vero, quod Episcopus pro sua pietate non destitit nonnullas sacras Suppellectiles unicuique trium unitarum Ecclesiarum Sacrario donare.

Hæc pro parte Promothoris Fiscalis hac super re deducuntur. Capitulum nil quidquam adhuc exhibuit, confidens juribus in præcedenti Causæ propositione allatis. Habent Eminentissimi PP. quid in facto ponderandum occurrat; quid autem juris, desumere dignabuntur ex folio diei 23. præcedentis mensis Novembris, in quo nonnulla relata sunt, quæ ad rem conferre posse existimavit. Supereſt igitur, ut definiant

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Quoad subministrationem Suppellectilium, & Ornamentorum in decisis, & amplius. In reliquis dilata, & proponatur Causa sub congruo dubio, & interim firmetur Status reditum Sacrarii.

Sess. 23. cap. 14. de Reform.

COMEN. BENEFICII. Quamvis Sac. Congregatio definierit, ad beneficium Communitatis Bellinzonæ præsentandum esse Sacerdotem actu, vel eum, qui infra annum promoveri posset, & nonnisi quam in omnium defectu simplicis Clerici præsentationem admitti posse, nihilominus nihil resolvendum censuit quoad nominationem jam factam de persona Clerici Defendentis Molo, nisi prius nonnulla ea de re fuissent elucidata. Accidit autem, ut deindè Communitas ad novam electionem devenerit in personam Sacerdotis Borgo Caratti; cumque interim Clericus Molo ad Sacerdotium fuerit promotus, iteratam postea nominationem sui favore reportavit. Hinc in alia Causæ propositione, quæ habita est die 13. Julii anni elapsi, quatuor oportuit dubia discutere: I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 31. Martii, & 18. Augusti 1770.* II. *An sustineatur electio facta in personam Clerici Defendentis Molo, ita ut sit eidem danda institutio.* III. *An sustineatur electio postremo loco facta in personam Sacerdotis Antonii de Burgo Caratti, itaut danda sit eidem institutio.* IV. *An sustineatur electio postremo loco facta in personam Sacerdotis Defen-*

fendentis Molo, ita ut danda sit eidem institutio = prodiitque ad singula responsio, nempe = Ad I. *Præsentandum esse actu Sacerdotem, vel infra annum promovendum, & iis deficientibus præsentari posse etiam Clericum in aliquo Ordine Ecclesiastico constitutum, & ita standum esse in decisis.* Ad II. *Negativè, & amplius.* Ad III. *Negativè, & amplius.* Ad IV. *Negativè.*

Obtenta autem a Sacerdote Molo nova Audientia quoad postremum hoc dubium, animadvertit in primis, neque Communitatem Bellinzonæ, neque Sacerdotem de Burgo Caratti legitimos esse in hac Causa Contradictores. Non Communitatem, quia hæc nil aliud usque ab initio postulavit, quam ut definiretur, cui nam Beneficium conferri valeret, quod quidem jam fuit a Sac. Congregatione definitum: Putat idcircò non amplius posse Communitatem in causa se immiscere, præsertim quia id ipsum jam expresè declaravit, & oppositiones contra Defendentem Molo reprobavit, prout colligitur tum ex sollemni declaratione a majori Consiliariorum parte emissa die 9. Augusti 1769., tum ex posteriori aliorum decem Consiliariorum judiciali depositione. Quo verò ad Burgo Caratti observat, ejus petitionem jam fuisse rejectam cum clausula *& amplius*.

Post hæc suam electionem tuetur asserens, indictum legitimè fuisse Communitatis Consilium, vocatosque juxta Statutum Bellinzonæ, & consuetam praxim, præcedenter Consilia.ios, qui interesse debebant, & majorem Consiliariorum numerum in sui electionem convenisse. Patere hæc omnia ex adductis in præcedenti causæ propositione, quorum è conspectu institutionem sibi denegandam non esse affirmat.

Negat, hujusmodi electionem ob Litis pendentiam adversari juris sanctionibus in *Cap. 1. & 2. Ut lit. pend. in 6.*. Asserit enim, juris dispositionem directam esse ad amputandos inter Ecclesiasticos Litis progressus, novique contradictoris subingressum; in nova autem Sacerdotis Molo electione, nil aliud actum fuisse, quam præcedentem jam factam electionem confirmare. Perperamque oppponi alicujus sollemnitatis defectum, qui substantiam actus minimè respicit, neque proponi valet coram S. Congregatione, cui demonstrare sufficit, electionem a majori Consiliariorum parte fuisse peractam.

Pro parte verò Communitatis Bellinzone post plura præmissa, quæ totius rei in hac causa gestæ seriem respiciunt, validitas electionis Sacerdotis Defendentis Molo acriter impugnatur, tum ob Litis pendentiam in S. Congregatione *Cap. 1. & 2. Ut lit. pend. in 6.*, *Rot. coram Celso decis. 365. num. 5.*, tum & fortiùs quia Sacerdos de Burgo Caratti præcedenter electus in eadem S. Congregatione jam com-

paruerat, & ad agendam contra Sacerdotem Molo causam fuerat admissus *Lotter. de re Benefic. lib. 3. quæst. 17. num. 140. & seq.*, *Rot. coram Lancellot. decis. 82. num. 3. tom. 1.* tum etiam quia postquam dictus Sacerdos de Burgo Caratti in judicio legitimè steterat, lis non tantùm inter electos, sed etiam cum Consiliariis Electoribus agebatur, & vetita idcircò erat nova quælibet electio *Lotter, ibidem num. 123. & 142.*, *Rot. coram Lancetta decis. 84. num. 16. tom. 1.* . His additur protestatio in ipso Consilii actu a tribus Consiliariis emissa, ne ob litis pendentiam ad novam Sacerdotis Molo electionem posset deveniri.

Hanc autem novam electionem irritam quoque fuisse asseritur ob substantialium sollemnitatum defectum, quia scilicet facta fuerit per suffragia incerta, dubia, & conditionata contra dispositionem *Textus in Cap. In electionibus in 6.*; ac præterea non omnes Consiliarios fuisse ad Consilium vocatos; nec præmissam extitisse faciendæ electionis denunciationem; nonnullosque demum ad suffragium ferendum admissos, qui de Consiliariorum numero amplius non erant.

Nihili vero faciendam attestationem, ex qua probari contenditur, Consiliarios omnes per diem ante fuisse vocatos, cum ea satis suspecta deprehendatur ex defectu legalitatum; nec non ex contraria quatuor Consiliariorum protestatione, qui vocatos minimè fuisse declararunt; atque etiam quia constat, Territoriales Consiliarios prætermissos extitisse. His accedere, indictum fuisse Consilium absque ulla prævia faciendæ electionis mentione, eamque idcircò clandestinam dignosci in præjudicium Sacerdotum, qui jus optandi ad beneficium habere potuissent.

Cætera, quæ ad rem pertinent, habentur in folio diei 13. Julii anni elapsi, quo opportunè resumpto dijudicandum ab EE. VV. erit

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad novam electionem Sacerdotis Defendentis Molo, in casu &c.

In decisis, & amplius.

FA-

FAVENTINA. In postremo suæ voluntatis elogio, quod *Sebastianus Scarsellini* Civis Faventinus condidit anno 1631. legavit *Antonio Scarsellini* annuas libras 400. unacum habitatione Domus ipsius Testatoris sitæ in Civitate Faventiæ, aliasque annuas libras 400. reliquit *Jacobo Philippo Pane*, addita declaratione, ut duo hæc annua legata perpetuo etiam præstarentur descendentibus per lineam masculinam ab iisdem *Antonio*, & *Jacobo*, dummodo honestam ducerent vitæ rationem, nec publicè vel delictis, aut vitiis essent dehonestati. Hæredem inde exasse instituit Ven. Sodalitium S. Gregorii ejusdem Civitatis cum onere, ut satisfactis annuis legatis, residuos fructus multiplico collocaret in dotes libr. 2500. singulis puellis a dictis *Antonio*, & *Jacobo* descendentibus præstandas. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Jussit autem, ut non extantibus puellis dotandis, teneretur Sodalitium *a sovvenire, e soccorrere alli sudetti Antonio, e Giacomo Filippo, e Descendenti di essi oltre al primo Legato delle sudette lire* 400. *con il detto multiplico da farsi, e come sopra destinato per le doti, di quella somma, e quantità ad arbitrio di detta Compagnia, ed a tutte due le Famiglie, o più ad una, che all'altri secondo la quantità della gravezza, o il bisogno, che conoscerà detta Compagnia, la quale debba avere sempre prima riguardo alla Famiglia, e Discendenti di Antonio Scarsellini*. Idque amplius declaravit, ut descendentes omnes arbitrio Deputatorum Sodalitii aquiescere prorsus deberent sub pœna caducitatis: *Pretendendo esso Signor Testatore, che questo sia più per carità, che per obbligo di detta Compagnia, e peso dell'eredità*. Voluit demum, ut defectis omnibus descendentibus a dicto *Antonio*, & *Jacobo*, Sodalitium duas singulis annis dotes librarum 200. duabus Puellis Faventinis distribueret, residuosque fructus erogaret in tot eleemosynas favore pauperum.

Sedulo implevit Sodalitium dicta duo annua legata libr. 400. seu scut. Rom. 72. 72., at postea defecit familia *Antonii Scarsellini*, unica superstite descendentia *Jacobi Pane*. Jam vero usque ab anno 1695. aucto numero descendentium ejusdem Jacobi Pane, gravique etiam necessitate urgente, ampliora ipsi alimenta a Sodalitio petierunt. Sed renuente Sodalitio, actaque diu lite de anno tandem 1705. conventio inita fuit, ut singulis e dicta familia annua præstarentur scuta 30., prout hactenus servatum est. Verum nuper magis magisque aucto hæreditatis reditu, auctoque simul numero descendentium a dicto *Jacobo Pane*, qui in tres familias distincti sunt, altera nempe *Jacobi* Junioris cum Uxore, & quatuor filiis, altera *Annæ Viduæ Antonii* cum quatuor filiabus, & tertia *Aloysii* filii dictæ Annæ cum Uxore, & unico filio, nunc ideo dicta *Anna Vidua* tam sui, quam aliorum nomine postulat, ut ad ratam augumenti redituum alimenta sibi, suisque augeantur.

Ad I. inquit Teſtatorem unice proſpicere voluiſſe deſcendentibus ab *Antonio Scarſellini*, & *Jacobo Pane*: his non ſolum relinquiſſe annuas libras 400., ſed etiam Sodalitio mandaſſe, ut ſingulorum neceſſitatibus conſulerent, doteſque Puellis ex eadem deſcendentia præſtaret, ita quidem ut hac durante vetitum Sodalitio foret reditus in diverſas perſonas, vel in alios pios uſus convertere. Voluntati ergo Teſtatoris maxime conſonum eſſe, ut ex iiſdem fructibus honeſta, ac decens ſubſtentatio ſingulorum deſcendentium ſuppeditaret. Quapropter auctis in ingenti quantitate ſcutorum 1919. hæreditatis reditibus, augeri pariter debere relicta alimenta, prout in caſibus, in quibus deerat etiam expreſsa Teſtatoris voluntas, non ſemel, ſed ſæpius Sac. Congregatio indulſit, ut in *Nullius*, *ſeù Terræ Pontiani Subſidii Dotalis* 22. *Martii* 1766.

Injuria vero Confratres, arbitrium proferre ſibi a Teſtatore conceſsum. Hoc ſiquidem ab æquitate, & naturali Teſtatoris charitate, & affectione eſse metiendum. Iniquum autem fore, ſi illud non exerceatur erga deſcendentes, quos unice Teſtator contemplavit, & quorum favore juſ ſit neceſsaria ſubminiſtrari, ita ut interim in nullas alias alienas perſonas exerceri poſſet. Merito idcirco injuſtum Confratrum arbitrium jam uſque ab anno 1705. Judicis auctoritate moderatum fuiſse. Potiori autem jure moderandum nunc iterum eſse, dum reditus ad longe majorem quantitatem creverunt, longeque majores urgent indigentiæ deſcendentium ex dicta familia Pane, quæ inter nobiles familias Faventinas recenſetur.

Poſtulat hinc, ut ex annuis fructibus ſcutorum 1919. ſaltem ſcuta 1000. ſibi, ſuiſque pro alimentis aſſignentur. Advertit, quantitatem hanc exceſſivam non eſse tum habito reſpectu ad familiæ nobilitatem, tum ad ingentes reditus ſcutorum 1919., ex quibus ſupereſsent adhuc quotannis ſcuta 919. pro multiplico, tum ad indigentiam ſingulorum deſcendentium, quibus non aliter occurri ſufficienter poteſt, tum demum habito reſpectu ad voluntatem Teſtatoris, qui cum initio annua legata eis reliquerit longè excedentia medietatem redituum, eo magis ejuſdem voluntati conſonum eſt, ut ſaltem ſc. 1000. ipſis ex ingenti fructu ſcut. 1919. præſtentur.

Ad II. inquit, Sodalitium fuiſse quidem hæredem inſtitutum, ſed expreſsa lege, ut extantibus deſcendentibus ex dictis *Antonio*, & *Jacobo* legata pars fructuum cederet horum comodo, reſidua vero multiplico ſubjicerentur pro eorumdem ſubventione, & Puellarum deſcendentium dotatione: viciſſim vero defectis dictis deſcendentibus integri fructus in tot eleemoſynas eſsent erogandi. Arguit idcirco, Sodalitium non quidem verè hæredem eſse, ſed potius Adminiſtratorem, & Executorem, ac proinde

omni

omni jure cogendum esse ad redditionem rationis. Et revera instante anno 1640. Rev. Fabrica Sancti Petri adactum fuisse ad redditionem rationis cum præsentia *Jacobi Pane*; Porro maximè interesse universæ descendentiæ, ut redditio reddatur non tam ad servandam Testatoris voluntatem, quam ad necessaria alimenta, ac dotes habendas.

Contra vero Sodalitium ad I. inquit, Testatorem annuam tantum summam librarum 400., seu scut. Rom. 72. 72. legasse *Antonio Scarsellini*, & *Jacobo Pane*, iporumque descendentibus, ita ut reliqui fructus multiplico poni deberent pro dotandis Puellis descendentibus in libr. 2500., & in casu dumtaxat, quo Puellæ deessent, concessisse Sodalitio, ut occurrere posset indigentiis descendentium in summa, & quantitate ejus arbitrio determinanda, & quidem titulo charitatis, & non ex obligatione, & onere hæreditatis. Arguit idcirco vix annuam summam scutorum 72. 72. titulo legati universæ descendentiæ deberi, unde nonnisi injuria descendentes conqueri, dum assignata singulis annua summa scutorum 30., obtinent legatum in septupla majori quantitate. Potissimum quia jure etiam denegari eisdem posset præstatio legati, dum contra Testatoris voluntatem non quidem ulli exercitio incumbant, sed immo variis criminibus, & delictis sint inquisiti.

Perperam vero exposcere aliud subsidium ex fructibus multiplici. Advertit enim, Testatorem hoc subsidium demandasse in casu tantum, quo nullæ in descendentia Puellæ dotandæ adessent. Probat autem, in familia Pane jam plures adesse Puellas, ac proinde contendit, nullum majus subsidium modo præstari posse. Cæterum addit, subsidium hoc relictum fuisse arbitrio Confratrum, ita ut descendentes sub pœna caducitatis reclamare prohibeantur, sed eidem aquiescere debeant, & agnoscere relictum titulo charitatis, & non ex obligatione, vel onere hæreditatis. Absonum propterea modo esse contra arbitrium Confratrum insurgere, nec levem gratiam fore, si ipsis caducitas incursa condonetur.

Ad II. Ait, vix unicam *Annam Viduam* petere redditionem rationis; ipsi autem nullum jus esse eam petendi: Nam Testator legatum lib. 400. descendentibus unicè reliquit, reliqua vero commisit arbitrio Confratrum expressa prohibitione ne sub caducitatis pœna eidem contravenirent. Hinc quoties non solum quotannis solvuntur libræ 400., sed amplius legatum præstatur in longe majori summa scut. 30. singulis ex familia, inanem esse actionem pro redditione rationis.

Epi-

Epiſcopus Faventinus adheret oppoſitioni Confratrum, ut ex ejuſdem relatione quæ inter monumenta cauſa habetur, Ambigi ſane nequit, Teſtatorem unice, & præcipue contemplatſe deſcendentes a dictis *Antonio*, & *Jacobo*. Legavit ipſis annuam ſummam lib. 400., ſeu ſcut. Rom. 72. 72. juſſit cæteros fructus multiplico poni pro Puellarum deſcendentium dotatione in ſumma lib. 2500. ſeu ſcut. 450. mandavit demum, ut extantibus deſcendentibus erogari non poſſent dicti fructus in exteras perſonas, vel alios pios uſus. Cum vero de tempore obitus Teſtatoris tenues eſſent fructus, ita ut detractis annuis legatis minus idonei eſſe poſſent præſtandis dotibus, non ſolum permiſit, ut etiam Capitalia multiplici in cauſam dotium erogarentur, ſed etiam ut hac norma præſtarentur, nimirum primo anno lib. 500., & deinde lib. 250. uſque ad complementum lib. 2500. nec non præſcripſit, ut in caſu *che detti deſcendenti non aveſſero figliole femine da maritare*, deberent Confratres eiſdem deſcendentibus ſubſidium ferre etiam cum dicto multiplico in quantitate arbitrio Confratrum deſignanda, & inter eoſdem deſcendentes diſtribuenda.

Hac porro inſpecta Teſtatoris voluntate dubium non eſt, occurrendum eſſe neceſſitatibus dictorum deſcendentium, quibus unice, & præcipue Teſtator proſpici voluit. Ex ſola enim naturali charitate, & veroſimili Teſtatorum voluntate non ſemel, ſed pluries Sac. Congregatio indulſit, ut ſubſidium relictum etiam ad longe majorem ſummam augeatur, adhoc ut honeſtæ, & decenti conſanguineorum, vel prædilectorum ſuſtentationi conſultum foret, ut in *Romana Applicationis legati* 20. *Sept.* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octob.* 1717. *in Narnien. Subſidiorum Dotalium* 21. *Auguſti* 1762., *& in Romana Subſidiorum Dotalium* 8. *Auguſti* 1767.

Ponderandum hinc, an inſpectis hereditatis reditibus, nec non qualitate, & indigentia deſcendentium ex unica familia Pane, augeri modo debeat ſubſidium, quod anno 1705. ſolemni tranſactione in annuis ſcutis 30. pro quolibet præfinitum fuit. Sane reditus hereditatis licet a deſcendentibus extollantur ad ſummam ſcut. 1919., Epiſcopus tamen fatetur, quod deductis oneribus habito calculo per decennium, aſcendant ad *ſcuta* 1328. 25.. Porro in familiis deſcendentibus Pane nunc *quatuordecim* numerantur capita, quorum commodo præſtitis ſcutis 30. in ſingulos, exurgit annua præſtatio ſcut. 420., unde adhuc ſupereſſent reditus in conſpicua ſumma ſcut. 908. 25. in cauſam dotium multiplicandam, quæ certe ſumma longe exceſſiva, & in parte ſuperflua eſt pro puellarum dotatione. Perpendendum hinc, an ex clara, vel ſaltem veroſimili Teſtatoris voluntate

te potius augeri debeat subsidium descendentibus relictum, quam ad excessivum multiplicum poni.

Emi PP. qua pollent æquitate, & clementia dignentur definire.

I. *An, & quomodo, & in qua summa sit locus subministrationi alimentorum ex hæreditate Sebastiani Scarsellini in casu &c.*

II. *An, & quomodo per Societatem sit facienda redditio rationis in casu &c.*

Non Proposita cum altera.

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. Quæ duæ in Oppido Lugi prius aderant Parochiales Ecclesiæ propriam Communiam constituentes, una post alteram an. 1733 in Collegiatas erectæ fuerunt. At cum exinde acerbiores factæ fuerint, quæ inter unum, & alterum Clerum diu exarserant controversiæ, & Populus in duas veluti factiones esset divisus, hinc ad dissidia amputanda sa. mem. Benedictus XIV. anno 1745. utramque Ecclesiam, censuit supprimendam, & ex ambabus unam ex integro erexit Collegiatam sub invocatione *SS. Petronii, & Prosperi* addita lege, ut singuli Capitulares proprios reditus ut antea perciperent, quousque Canonicorum numerus, qui initio major erat, redigeretur ad *duodecim*, & Mansionariorum imminueretur ad *octo*. Nuper completa reductione, modo Capitulum constat ex quatuor dignitatibus, nempe Præposito, Archidiacono, Archipresbitero, Priore, nec non ex dictis 12. Canonicis, & 8. Mansionariis. Cum autem Archidiaconatus sit juris patronatus familiæ *Bolis*, & Archipresbyteratus familiæ *Zaccari*, quæstio exorta est, quæ emolumenta, quæve jura Archidiacono, & Archipresbytero competant. *Sess. 21. cap. 3. de Ref.*

Præstat autem Dignitatis utriusque fundationem referre. Dum actum est anno 1733. de erigenda in Collegiatam Ecclesia tunc appellata *S. Jacobi*, Comes *Bolis* optans novæ dignitatis Archidiaconatus erectionem, pollicitus est dotem

tem annui reditus scut. 40. ac contributionem scutor. 150. in expensas erectionis, præter alias expensas in posterum faciendas *ogni qualvolta però partecipi delle distribuzioni*. In Bulla autem desuper expedita d. anno 1733. enunciatur Archidiaconatus cum Dote ducat. 22. constituenda, eique assignantur ejusdem Dotis fructus, at favore Canonicorum, & Mansionariorum omnia reservantur legata Massam communem constituentia, atque facta Collegiatæ erectione, Comes Bolis in implementum suæ promissionis mandatum Procuræ dedit ad assignanda bona annui reditus scut. 40. in dotem Archidiaconatus, & in illo expressit, ut Archidiaconi pro tempore *debbano, e possano partecipare de frutti delle distribuzioni, che participano gli altri Signori Canonici partecipanti di d. insigne Collegiata di S. Giacomo*; verum conditio hæc nec in Instrumento dotationis, nec in Decreto Ordinarii fuit repetita.

Facta demum anno 1741. Collegiatarum unione, Archidiacono reservanti fuerunt fructus bonorum donatorum in ducatis 22. *computatis etiam distributionibus, aliisque incertis*, eique post secutam numeri reductionem onus injunctum fuit tertiam partem in usum quotidianarum distributionum convertendi. Usque nunc Archidiaconus de distributionibus Massæ communis particeps fuit, cumque Episcopus anno 1751. eidem injunxisset tertiæ partis separationem, de hac conquerente Archidiacono, tamquam ordinata priusquam Capitulum ad præscriptum Capitularium numerum fuisset imminutum, tria proposita fuerunt dubia in *Congregatione diei* 30. *Maii* 1751. I. *An decretum Episcopi super segregatione tertiæ partis fructuum præbendæ Archidiaconalis sit confirmandum, vel infirmandum*, & quatenus Affirmativè ad secundam partem *II. An & pro quo tempore Archidiaconus Bolis teneatur dictam tertiam partem fructuum Massæ distributionum restituere*, & quatenus Negative *III. An sit locus restitutioni distributionum quotidianarum ab Archidiacono perceptarum, vel potius solvendæ sint eidem distributiones in aliis annis non perceptæ*, prodiitque responsum *Ad* I. *& II. Negative, ad* III. *Negative ad tertiam partem, affirmative ad secundam habita ratione interessentiæ* quod etiam confirmatum fuit in posteriori *Congregatione diei* 29. *Augusti ejusdem anni*.

Archipresbiteratus vero erectus fuit quo tempore de utriusque Ecclesiæ unione actum est. Petrus Zaccari, ut ea Dignitas Capitulo adderetur ultra Dotem in bonis stabilibus annui reditus scut. 33. conferre promiserat scuta 200. in expensis Bullæ unionis, ac contribuere aliis expensis Massæ communis *ogni qualvolta però partecipi delle distribuzioni*; hinc in fundatione conditio apposita fuit, ut Archipresbiteri pro tempore *siano anneßi alla participazione delle quotidiane distribuzioni doppo che saranno ridotti gli detti*

detti due Capitoli uniti al numero prefisso nella Bolla di unione.

Hæc ipsa fundatio probata fuit in Bulla unionis, in qua ejusdem reditus enunciantur in ducatis 24., *computatis vero distributionibus quotidianis, aliisque incertis triginta ducatorum auri de Camera*, eidemque onus etiam injungitur, ut secuta Capituli reductione tertiam partem conferret in usum quotidianarum distributionum.

In hac autem Bulla unionis post reservatos Archidiacono, & Archipresbitero respectivos suæ Præbendæ fructus, Benedictus XIV. statuit, ut secuta Capituli reductione integra Massa Communis in 64. ratas divideretur inter Præpositum, Priorem, Canonicos, & Mansionarios juxta portionem singulis assignatam repartienda, jussitque, ut tertia pars redituum Præpositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, & Prioris, ac pars dimidia redituum Canonicorum, & Mansionariorum in usum conferretur quotidianarum distributionum juxta intereſſentiam proportionabiliter dividendarum.

Quum initio anni 1770. contigerit tandem Capitularium reductio ad numerum in Benedictina Constitutione præfinitum, non detractarunt Archidiaconus, & Achipresbiter tertiam partem fructuum Præbendæ in usum quotidianarum distributionum conferre. Inde gravis exarsit quæstio circa petitam ab ipsis æqualem participationem integræ Massæ distributionum nec non legatorum Missarum in Massam redactorum. Re delata ad Epiſcopum, is decrevit Massam distributionum dividendam inter Capitulares esse *juxta majorem, vel minorem cujusque intereſſentiam, & proportionabiliter, ideſt reſpective ad majorem, vel minorem quantitatem, quam quisque in distributiones convertit, & quoad Missas provenientes ex legatis, & obligationibus Massæ incumbentibus æqualiter, & indistincte dividendas esse inter ejusdem Massæ participantes, & hujusmodi Missarum stipendium detrahendum esse a dicta Massa communi ad rationem obul. 12. pro quolibet Missa.*

Judicium hoc non placuit Archidiacono, & Archipresbitero: cumque postmodum iis non vocatis Capitulum proceſſerit ad extractionem Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Franciſci de Paula, illisque controverſa fuerit vox activa, & passiva in actibus Capitularibus, ad petitionem proinde Archidiaconi, & Archipresbiteri modo quatuor infrascripta dubia proponuntur.

Ad I. ipſi inquiunt, in utriusque Dignitatis fundatione titulo oneroso facta cautum expreſſe fuiſſe, ut de distributionum Massa ad instar aliorum partecipare deberent. Hanc autem fundationis legem inviolabiliter esse servandam *Piton. diſcept. Eccleſ. 5. num. 9.*, potiſſimum quia huc usque Archidiaconus semper particeps fuit, & participatio hæc iteratis reſcriptis Sac. Congregationis 30. *Maii*,

& 29. *Aug.* 1761. fuit confirmata. Nec obesse Bullam Benedictinam, quæ in 64. ratas inter Præpositum, Priorem, Canonicos, & Mansionarios tantum repartiendas, non comprehenso Archidiacono, & Archipresbitero, Massam communem distribuit. Ajunt enim repartitionem hanc in Bulla habitam dumtaxat fuisse in designationem Dotis singulorum, at postea dum illa sermonem habuit de massa distributionum, expresse comprehendisse Archidiaconum etiam, & Archipresbyterum, eamque inter omnes juxta interessentiam jussisse dividi. Et revera alienum ab omni præsumptione esse, Summum Pontificem derogare voluisse pacto ex titulo oneroso in fundatione adjecto, quod etiam fuerat postmodum inviolabiliter servatum.

Nec volitam a Benedicto XIV. participationem *proportionabiliter* inter omnes Capitulares intelligendam esse juxta quantitatem collatam a singulis in Massam, quum verbum *proportionabiliter* referatur ad majorem, vel minorem interessentiam, non vero ad quantitatem collatam. Atque id manifeste constare ex illis Bullæ verbis *juxta illorum, & cujuslibet illorum interessentiam proportionabiliter dividendarum*. Clariusque id haberi ex anteriori Bullæ parte, in qua verbum *proportionabiliter* bis adjectum est tum quoad ratas Canonicis debitas, tum etiam quoad illas debitas Mansionariis, ibi enim verbum *proportionabiliter* nonnisi ad majorem, vel minorem interessentiam referri potest. Maxime quia licet dos Archipresbiteratus fuerit tantum constituta in ducatis 24., attamen in dicta Bulla enunciatur *computatis distributionibus quotidianis, aliisque incertis* 30. *ducatorum auri de Camera*. Ex his idcirco Archidiaconus, & Archipresbyter arguunt, tam ex fundationis pacto, quam ex Benedictina Bulla sese admittendos esse ad equalem Massæ distributionum participationem. Idque tam juris dispositioni, quam equitati consonum esse, quia cum par sit omnium incomodum in Sacris obeundis, par quoque debet esse lucri, & remunerationis repartitio.

Hinc ad II. concludunt, potiori jure tum ex fundationis pacto, quam ex Bulla Benedictina admittendos esse ad participationem emolumentorum Missarum, & Legatorum, quæ Massæ distributioni incumbunt. Maxime quia & ipsi quoque tenentur ex littera Bullæ ad Missæ Conventualis celebrationem. Adduntque animadversionem, ea emolumenta relicta fuisse Capitulo: hujus autem nomine venire non modo Canonicos, quam Dignitates, unde cum Archidiaconatus, & Archipresbiteratus sint veræ dignitates, & membra Capituli, ambigendum non sit, dignitates quoque de iis participes fieri debere.

Ad III^m repetunt, sese una cum aliis Dignitatibus, & Canonicis Capitulum Collegiatæ constituere, & caractere Sacerdotali esse insignitos: consequens hinc esse, sibi vocem acti-

activam, & passivam in actibus Capitularibus competere *cap. cum M. Ferrarienſis de conat.*: hac autem in quæstione adeo Capitulum suum malum jus agnoviſſe, ut unanimi consensu Capitulariter declaraverit, se nunquam habuisse, nec habere intentionem privandi Archidiaconum, & Archipresbyterum voce activa, & passiva.

Accusant denique ad IV. apertæ nullitatis extractionem Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Franciſci de Paula, tum quia vetita a Sacris Canonibus est electio per sortes *Canon. non ſtatim*, *& can. non exemplo 26. qu. 2.*, *cap. fin. de ſortileg.*, tum quia Capitulum fuit convocatum absque intimatione subscripta a prima Dignitate contra formam a Statutis Ecclesiæ sub pœna nullitatis præscriptam, tum demum quia electio, & extractio facta fuit ipsis non vocatis, nec in urna positis ad *Text. in cap. quod ſicut 28. de elect.*

Contra inquit Capitulum, Dignitates Archidiaconatus, & Archipresbiteratus propriam dotem a Massa communi distinctam habere, Benedictum XIV. propriam dumtaxat Dotem utrique reservasse, Massamque communem in 64. ratas dividisse inter cæteros tantum Capitulares, comprehensis dictis Dignitatibus repartiendam. Hinc concludit, apertam esse tam juris dispositionem, quam Benedicti XIV. voluntatem, ut a participatione Massæ eædem dignitates excludantur. Nec obesse pacta fundationum; Hæc enim nec a decreto Ordinarii, nec a Bulla Benedictina unquam probata fuerunt, nec effectum habuerunt ope contributionis in expensas Massæ; imo harum integrum onus soli Massæ injunctum fuisse; Ac propterea absonum esse, ut deficiente correspectiva contributione eæ Dignitates participatione fruantur. Nec momenti esse contributionem scut. 150. factam ab Archidiacono, & aliorum scut. 200. ab Archipresbitero pro expensis erectionis Collegiatæ, Bullæ unionis, nec non cappæ magnæ, cum ad hanc dictæ Dignitates, licet a Mensa distinctæ, adhuc de proprio tenerentur.

Arguit hinc, collatam per dictas Dignitates tertiam partem in Massam distributionum justam causam non præbere, ut ipsius Massæ divisio æque inter omnes habeatur, sed habita dumtaxat proportione ad quantitatem a singulis in Massam positam. Ita sane exposcere expressam Benedicti XIV. voluntatem, qui reservata dictis Dignitatibus propria dote, voluit integram Massam inter cæteros distribui, quique clare edixit, ut *proportionabiliter* singuli participarent, quæ verba nonnisi quam de geometrica repartitione habito respectu ad quantitatem collatam intelligi debent juxta Sacri Concilii sanctionem in *sect. 21 cap. 3. de Ref.* diversaque data interpretatione sequeretur, ut Mansionarii de Massa distributionum participare pos-

sent æque ac Præpositus, Prior, & Canonici, quod esset quam maxime absurdam.

Hinc ad II. concludit, dictas Dignitates unice percipere posse distributiones juxta quantitatem in Massam collatam, excludendas proindè a participatione emolumentorum Missarum, ac Legatorum Massæ incumbentium, a qua dictæ Dignitates exclusæ fuerunt. Maxime quia res est de emolumentis longe ante erectionem ipsarum Dignitatum Massæ quæsitis, & à quorum participatione capitulares posterioris erectionis excludi debent *Card. de Luc. de Canon. disc. 6. num.13.* Perperam vero opponi onus Missæ Conventualis dictis Dignitatibus in Bulla unionis injunctum; Nam onus hoc singulos de Capitulo licet peculiares reditus habentes semper afficit. Verum ne de paucis obulis quæstio agatur, non renuit Capitulum dictis Dignitatibus ad instar cæterorum eleemosinam pro Missa Conventuali præstare.

Ad III. non inficiatur, competere iisdem Dignitatibus vocem activam, & passivam in iis actibus, qui generatim à Capitulo pro communi Ecclesiæ servitio agi poterunt, contendit tamen, nullam ipsis vocem competere quoad ea, quæ respiciunt Massam Capitularem, a qua eædem Dignitates exclusæ sunt. Cum enim in his nullum sit illarum interesse, nullum quoque intervenire debet earumdem suffragium, vel assensus.

Ad IV. ait, Beneficium simplex S. Francisci de Paula fundatum fuisse a Petro de Sebastianis ea lege, ut vacatione occurente, singuli Sacerdotes participantes de communia antiquæ Parochiæ nuncupatæ antiquitus S. Mariæ in Collegiatam erectæ anno 1733. in urnam ponerentur, & forte extraheretur novus Beneficiatus. Cum autem hæc forma servata adamussim fuerit, perperam de nullitate redargui extractionem Sacerdotis Verlicchi. Nec obesse prohibitionem electionis per sortes; Quum ea locum habeat quoad Beneficia curam animarum habentia, non vero quoad Beneficia simplicia, præsertim in casu, quo qualitas Sacerdotalis non fuit requisita, & nonnisi Sacerdotes partecipantes in Urnam erant ponendi. Perperam demum queri Archidiaconum, & Archipresbyterum, se nec vocatos ad Capitulum fuisse, nec in Urna positos, nam ille absens erat, alter vero a Divinis suspensus, unde neuter erat vocandus. Vocem vero activam, & passivam iis tantum relictam a Testatore fuisse, qui de Massa communi participarent, nullam ideo competiisse dictis Dignitatibus ab ea exclusis.

Episcopus maxime tuetur Capituli jura, ut ex ejusdem informatione inter monumenta causæ relata.

Po-

Potissima quæstio ab interpretatione Bullæ unionis pendet. In hac plane Benedictus XIV. reservavit Archidiacono, & Archipresbytero respectivæ suæ Dotis fructus, integramque Massam, in 64. ratas divisam, jussit repartiendam esse inter Præpositum, Priorem, Canonicos, & Mansionarios, singulis assignata propria portione, at postmodum mandavit, ut facta a singulis Capitularibus contributione nova efformaretur Massa distributionum inter omnes proportionabiliter repartienda seorsim a Massa communi.

Statuit enim = *quod secuta numeri reductione hujusmodi fructuum Præposituræ, Prioratus, Archidiaconatus, & Archipresbyteratus tertia pars, duodecim vero Canonicatuum, totidemque Præbendarum & octo Mansionariarum hujusmodi medietas in usum distributionum quotidianarum inter eosdem futuros Præpositum, Priorem, Archidiaconum, Archipresbiterum, & duodecim Canonicos, ac octo Mansionariatus prædictos pro tempore existentes, & horis Canonicis, aliisque divinis Officiis præfatis in dicta Ecclesia SS. Petroni, & Prosperi personaliter interessentes juxta illorum, & cujuslibet illorum interessentiam proportionabiliter dividendarum convertantur.*

Prætermissa itaque quæstione circa participationem Massæ Communis, unice inquirendum, an particularis Massa distributionum sit inter omnes Capitulares dividenda habita proportione ad interessentiam, vel potius ad quantitatem a singulis in eamdem Massam collatam. Verba dictæ Bullæ conveniunt cum sanctione Sacri Concilii in *Sess. 21. cap. 3. de Ref.* ubi hæc habentur = *tertiam partem fructuum tam Dignitatum, quam Canonicatuum, & personatuum, portionum, & officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tamquam Apostolica Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur.*

Dubium autem non est, hanc Conciliarem repartitionem ita esse intelligendam, ut quilibet Capitularis tantum accipiat, quantum de sua contulit Præbenda, ut pluries declaravit Sac. Congregatio, & præsertim in *Patavina Tom. 2. pag. 70., in Melevitana ibid. pag. 76, , & in Cortonen. Tom. 3. pag. 18.* Ponderandum hinc, an ab hac juris dispositione recedendum modo sit vel ex voluntate Benedicti XIV, vel ex pactis in fundationibus adjectis, vel demum ex subsecuta equali repartitione usque nunc inter omnes juxta interessentiam habita.

Enim Patres qua ornantur juris sacri peritia, ac scientia sententiam dicent.

I. *An, & quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbiter Collegiatæ SS. Petroni, & Prosperi participare debeant de distributionibus quotidianis in casu &c.*

II. *An, & de quibus emolumentis Missarum, aliorumque legatorum participare etiam debeant DD. Archidiaconus, & Archipresbyter in casu &c.*

III. *An idem Archidiaconus, & Archipresbyter vocem activam, & passivam in actibus Capitularibus factis, & faciendis habere debeant in casu &c.*

IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex Sancti Francisci a Paula facta, exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, sustineatur in casu &c.*

Di

Die Sabbathi 30. Maji 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione diei 9. labentis menſis, duæ ob temporis anguſtiam indeciſæ ſuperfuerunt Cauſæ, quæ priori loco recenſentur. Has igitur, cum aliis ſeptem, quæ adjiciuntur, Eminentiſſimi PP. hodierna die definire dignabuntur.

FAVENTINA.

I. *An, & quomodo, & in qua ſumma ſit locus ſubminiſtrationi alimentorum ex hæreditate Sebaſtiani Scarſellini, in caſu &c.* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

II. *An, & quomodo per Societatem ſit facienda redditio rationis, in caſu &c.*

Ad I. Ad mentem, & mens eſt, quod ſubminiſtrentur alia ſcuta decem pro quolibet capite ad quinquennium, & donec non adſint Puellæ proximè dotandæ, & cum declaratione, quod Puellis nuptis ceſſet in totum ſubminiſtratio. Ad II. Negativè, ſalvo jure Epiſcopi, & amplius.

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM.

I. *An, & quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbyter Collegiatæ SS. Petronii, & Proſperi participare debeant de diſtributionibus quotidianis, in caſu &c.* *Seſſ. 21. cap. 3. de Reform.*

II. *An, & de quibus emolumentis Miſſarum, aliorumque legatorum participare etiam debeant DD. Archidiaconus, & Archipresbyter in caſu &c.*

III. *An idem Archidiaconus, & Archipresbyter vocem activam, & paſſivam in actibus Capitularibus factis, & faciendis habere debeant in caſu &c.*

IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium ſimplex Sancti Franciſci a Paula facta, excluſis Archidiacono, & Archipresbytero, ſuſtineatur in caſu &c.*

Ad I. Iterum proponatur. Ad II. Dilata, & ſcribatur juxta inſtructionem. Ad III. Negativè quoad ea, quæ

quæ respiciunt Massam Capitularem, in reliquis affirmativè, & amplius. Ad IV. Dilata, & ad mentem: Mens est, ut citato etiam Sacerdote Antonio Brignani, impetretur commissio super supplicatione ejus favore signata.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

NEPESINA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ. Quæstio super restauratione Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Stephani Oppidi Fiani, inter Capitulum, Baronem, & Communitatem, Sac. huic Congregationi a Sanctissimo Domino Nostro ablegata, sapienti EE. VV. judicio subjecta fuit die 31. Augusti anni elapsi, proposito dubio = *An, & quis teneatur ad restaurationem Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ Fiani, ejusque Domus Archipresbyteralis, in casu &c.* = Nulla tamen tunc capta resolutione, demandatum fuit, ut de reditibus tum Archipresbyteratus, tum duorum Canonicatuum, nec non de aliis quibuscumque fructibus ex eadem Ecclesia provenientibus, diligenter ab Episcopo inquireretur. Datæ proinde sunt Episcopo litteræ, eique injunctum, ut de omnibus Beneficiis tam residentialibus, quam simplicibus, & de Capellaniis, legatis piis, habita etiam pensionum, & onerum ratione, accuratè referet.

Quæ Episcopus ad hæc responderit, patet ex una, atque altera illius relatione, quæ circumfertur, ex quibus Capitulum satis constare arbitratur de Capitularium redituum tenuitate, ita quidem ut vix, ac ne vix quidem congrua pro Rectore superfit, ideoque impar omnino se dicit cuique pro Ecclesiæ fabrica oneri faciendo. Ex litteris autem Episcopi, & ex adjecto Mensæ Capitularis statu colligitur, annuos Capituli reditus ascendere ad scuta 481. 03., expensas verò pertingere ad scuta 258. 36 $\frac{1}{4}$ proindeque singulis annis obvenire Archipresbytero scuta 111. 33 $\frac{1}{4}$, unicuique vero ex Canonicis scuta 55. 66 $\frac{1}{4}$: Atque hunc statum tanta diligentia confectum asserit Episcopus, ut majori confici non potuerit. Non inficiatur majorem aliquando fructum ex prædiis Capitularibus ab aliquo Canonico retrahi, id tamen peculiari uniuscujusque industriæ tribuendum existimat.

Quo verò ad eos, qui Beneficia, & Capellanias possident, refert Episcopus aut parum, aut nihil ab iis percipi, vel id solum, quod oneribus respondeat. Hinc infert, nil ferè ex beneficiis in Ecclesia erectis detrahi posse pro fabrica, sed in Communitatem, vel in eos, qui Patronatus habent, vel in Populum reparationis onus refundi oportere. Demum addit consilium dedisse, ut minori, qua fieri posset impensa necessitati pro nunc occurreretur, & scuta biscentum a Capitulo, totidemque tum a Barone, tum a Com-

Communitate impenderentur, atque huic consilio annuisse quidem Capitulum, sed Baronem, & Communitatem illud amplecti renuisse.

Ex alia parte Baronis Defensores præmittunt, defectum sufficientis congruæ Parochialis nunquam de jure præsumi, sed perspicuis probationibus fore a Parocho demonstrandum *Panimol. decis.5. annotat.8. num.10.*, *Rot. decis.9. n.38. part.18. Recent.*. Ad id autem probandum nihil conferre statum redituum, & expensarum ab Episcopo transmissum, quem pluribus de causis erroneum esse contendunt. Ac primò quidem, quia confectus fuerit per quinquennium, quod minus rectè factum asserunt in præsenti casu, quo prædia non in quinque, sed in quatuor partes divisa ad sationem sunt destinata *Rot. sin Romana, seù Nepesina Affictus 15. Junii 1767. §. 1. coram R.P.D. Mannelli, & in altera Romana, seù Nepesina Affictus super Cultis 4. Junii 1768. §.1. coram eodem*.

Accedere, quod quatuor illæ partes, in quas Capituli prædia sationi apta dividuntur, æquales non sunt, sed duæ majores, reliquæ vero minores, atque in his bis quolibet quinquennio, in illis verò semel tantum satio frumenti recurrit. Conqueruntur autem, quo exhibitus non fuerit Rectrictus, & Notarii rogitus, & mensura Agrimensoris, quibus monumentis redituum Capitularium calculus innixus deprehenditur.

Objiciunt præterea, frumenti pretium perperam fuisse taxatum in ratione scut. quinque pro qualibet mensura, cum tamen juxta taxam Tribunalis Agriculturæ majori pretio elapso decennio calculari debuisset. De errore redarguunt Canonum quantitatem expressam in statu abEpiscopo transmisso, ubi frumentum in rubris 4. 2.2. pecunia vero in scutis quinque adnotatur; Siquidem longè majorem Canonum quantitatem ex monumentis a Communitate in præterita Causæ propositione adductis, resultare affirmant.

Addunt, in eodem redituum statu prætermissa fuisse tum annua scuta tria, quæ ex pretio herbarum cujusdam Prati percipi solent, tum emolumenta Parochialia, quæ ad scuta 15. quolibet anno pertingunt, tum cætera emolumenta, quæ pro annuis officiaturis Capitulo persolvuntur, & scutis 30. 90. computantur. Ac demum contendunt ex quodam Codice nuncupat. *Quartarino* desumi, introitum frumenti ex omnibus bonis ad coloniam traditis, & in quatuor partes de more distributis, in rubris 488. 83. calculari.

Plura quoque ex notula expensarum Capitularium tollenda sustinent, videlicet eleemosynam Missæ pro Populo, quam absque ulla eleemosyna quilibet Parochus applicare tenetur *Fagnan. in Cap. Fraternitatem de Sepulturis num.93.*, *& 95.*, *Barbos. de Offic.*, *& potest. Paroch. part.1. cap.11. num.11.*

Delendam pariter partitam scutorum 12. pro fructibus census in sorte scut. 300., nec non ratam scutorum 30. pro illius extinctione quolibet anno deponendam, tum quia hujusmodi onus temporaneum est, atque extraordinarium, de eoque nulla in præsenti controversia haberi ratio debet. *Barbos. tract. var. de clauf. usu frequent. clauf.* 47. *num.* 8. & 16., *Rot. coram Buratto decis.* 418. *num.* 1., tum etiam quia census fuerat impositus, ut pecuniæ in reparationem Parochialis Ecclesiæ erogarentur, & nihilominus in hujusce litis expensis fuerunt improvidè consumptæ. Denique perperam omissam fuisse adnotationem quantitatis frumenti retrahendi ex nonnullis prædiis, quæ inculta ob defectum Colonorum falsò asseruntur, cum tamen frugifera, & Colonis locata comperiantur.

Ex his colligunt reditus Capitulares computari debere in ea summa, quæ congruam unicuique competentem longè excedant. Congruam verò in scutis centum pro Rectore a Concilio præfinitam intactam in ea summa tunc solum præservari, quando agitur de gravando Parocho pensionibus, non verò quando res sit de Ecclesiæ reparatione *Franc. de Eccles. Cathedral. cap.* 13. *num.* 49., *Barbos. de Offic.*, & *Potest. Paroch. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 4. & 5., *Amostaz. de cauf. piis lib.* 4. *cap.* 28.. Cæterum observant in præfinienda congrua perpendendas esse circumstantias loci, beneficii, onerum, & personæ Rectoris *Navar. de redit. Eccles. quæst.* 5. *monit.* 36. *num.* 4., *Vgolin. de Offic. Episcop. cap.* 14. *§.* 1. *sub num.* 2., ac præsertim habendam esse rationem pretii alimentorum *Rebuff. de congr. portion. num.* 76.

Hisce autem pensatis circumstantiis concludunt, hodiernum Archipresbyterum bonis patrimonialibus ditatum reperiri, quod quidem hac in Causa animadversione dignum censent *Rot. decis.* 15. *num.* 21., & *seq. coram Panimoll.*, & *in Nazarena Congruæ* 30. *Junii* 1732., & 19. *Junii* 1734. *coram Calcagnino*. Hinc pro congrua Archipresbyteri sufficere putant scuta 50., & alia scuta 50. partiri posse inter duos Canonicos, & postea quidquid deductis oneribus supererit in restaurationem Ecclesiæ fore erogandum, pro qua quidem restauratione negant requiri sumptus in ea quantitate, qua a Capitulo extolluntur.

A Communitate nihil hactenus deductum est. Quidquid in hac Causa animadvertendum occurrit, habetur ex folio diei 31. Augusti anni præteriti, quod Eminentissimi PP. resumere rogantur, ut respondeant dubio, quod denuò proponitur.

An, & quis teneatur ad repartationem Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ Fiani, & Domus Archipresbyteralis, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

SE-

SENOGALLIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Post plura ordinata Missarum legata, Sacerdos Franciscus Antonius Cristofanetti mandavit, ut hæredes fiduciarii in Testamento designati bona omnia sua venderent *privatamente*, *senza suono di tromba*, pretiumque, satisfactis legatis, ac solutis expensis, erogarent in celebrationem Missarum, constituta pro iis elemosina manuali. Has autem Missas celebrari voluit *dalli RR. PP. Cappuccini di Sinigaglia*, *Rocca Contrada*, *Jesi*, *Cingoli*, *e Montalboddo*, *e dalli RR. PP. Riformati di Sinigaglia*, *Jesi*, *Cingoli*, *Belvedere*, *e Castel d'Emilio*, a quibus implenda etiam jussit alia Missarum legata, quæ inadimpleta remansissent. Denique fructus omnes censuum tam decursos, quam imposterum decurrendos, usque dum illorum venditio sequeretur in eamdem celebrationis Missarum causam erogandos esse declaravit. *Sess.22. cap. 6. de Reform.*

Sequuto Testatoris obitu pauca tantùm bona vendi potuerunt pretio scutorum 380., quibus alia legata fuerunt adimpleta; bona autem reliqua scut. 2663. æstimata nullum adhuc, neque post Edictorum affixionem invenerunt Emptorem. Hac de re Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Montis Sancti Viti supplicat, ut immutata Testatoris voluntate, quatuor ex hisce bonis erigantur Mansionariæ, quarum Patronatus eidem Capitulo reservetur, & unicuique Mansionario onus injungatur residentiæ, & servitii Chori, nec non celebrationis 50. Missarum quolibet anno in spirituale Animæ Testatoris suffragium. Hæredes fiduciarii commutationi voluntatis consensiunt, sed loco quatuor Mansionariarum postulant, ut duæ tantùm Mansionariæ, & unus Canonicatus instituatur, quorum Patronatus ipsis pro prima vice tribuatur. Reliqui interesse habentes consensum præstitere, ut fiduciarii hæredes de bonis pro libito disponerent. De eo igitur, quod agendum sit, EE.VV. exquiritur judicium.

Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Montis S. Viti duos tantùm Mansionarios eorum Ecclesiæ dicunt addictos, congruum idcircò, immò necessarium putant pro Ecclesiæ servitio, & implemento voluntatis Testatoris, ut aliorum quatuor Mansionariorum numerus augeatur; proindeque sustinent justam concurrere, ac rationabilem causam commutandi Missarum legata, maximè si novis Mansionariis Missarum onus adjiciatur, prout alias a Sac. Congregatione definitum asserunt in *Pistorien. commutationis voluntatis* 20. *Novembris* 1734., *& 16. Martii* 1737., *in Interamnen. Commutationis voluntatis* 8. *Maii* 1756., *& in Cassanen.* 26. *Novembris* 1763.: attenta præsertim impossibilitate vendendi bona Testatoris, quæ impedit, ne istius voluntas præscripto ab eo modo adimpleri valeat *Barbos. ad Concilium Trident. sess.*22. *de Reform. cap.*6., *Amostaz. de caus. piis lib.*1. *cap.*14. *num.*33.

num.33., *Rot. in Recent. decis.269. num.2. ad 4. part.19.*, hęc autem tanti habita, ut commutationi voluntatis adhæserit Sacra hæc Congregatio in *Romana Commutationis voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *in Nullius Terræ Pontiani* 8. *Maii* 1756., *in Civitatis Plebis Legati* 28. *Augusti* 1756., & 15. *Aprilis* 1758.

Advertunt, præter domum, ac duo prædia, quæ Testator Cristofanetti Sorori reliquit, reliquum hæreditatis consistere in activis censibus, qui invendibiles ex facto comperti sunt, nam pluribus adhibitis diligentiis etiam a Religiosis Cappuccinis, & Reformatis, distrahi non potuerunt: Præsertim quia census sunt numero plures, & super pluribus fundis constituti, ac neminem esse, qui ad illorum emptionem alliciatur, cum nemo sit, qui exigibilitatem de jure, & de facto promittat. Nullimodè autem convenire, ut venditio fiat sub hasta publica, tum quia incongruum esset, ut census in certa summa constituti minori pretio distrahantur, tum etiam quia Testator ipse bonorum suorum venditionem injunxit *privatamente*, *senza suono di tromba*. Hinc magis urgentem concurrere commutationis causam, pro qua non physica, sed moralis impossibilitas, ac magna difficultas sufficit *Barbos. de Offic.*, & *Potest. Episcop. part.3. allegat.* 83. *num.9. in fin.*, *Rot. in Recent. decis.269. num.5. part.19.*, S. Congregatio in *Interamnen. Commutationis Voluntatis* 8. *Maii* 1756.

Accedere etiam Divini Coltus augumentum, Ecclesiæque utilitatem, quæ commutationem in melius, & in opus magis pium faciendam suadent *Monet. de Commut. ultim. volunt. cap.6. num.81.*. Ajunt enim, non deficere annuam, & perpetuam Missarum biscentum celebrationem, ac præterea augeri pro Ecclesiæ decore Manfionariorum numerorum, qui Choro inservient, & Animæ Testatoris suffragium afferent *Piton. disceptat. Eccles.69. num.13.*, Sac. Congregatio in *Liegien. Erectionis Collegiatæ* 1704.. Et pro eadem commutatione rationem quoque habendam esse meritorum Communitatis Oppidi Montis S. Viti, quæ Collegiatam Ecclesiam ingenti sumptu ædificavit, ac proinde dignam esse, ut Apostolica gratia in utilitatem Populi cumuletur *Piton. loc. citat. num.11.* & 12., omnesque in id interesse habentes, & Episcopum quoque consentire.

Ad modum autem commutationis quod attinet, sustinent, erectionem quatuor Manfionariorum præferendam esse erectioni unius tantùm Canonicatus, & duorum Manfionariorum. Ajunt siquidem, Collegiatam Oppidi Sancti Viti constare Archipresbytero, & novem Canonicis, duos vero tantùm ibi adesse Manfionarios inservientes, convenire proinde ut istorum numerus augeatur. Denique æquitati consonum esse, ut Manfionariorum electio fiat a Capitulo, tum in præmium sollicitudinis, qua præsentem promo-

movet instantiam, tum quia jure gaudet nominandi alios duos Mansionarios, qui modò adsunt, tum quia ejusdem Oppidi Clerici, spe allecti nominationis, magis in officio poterunt contineri.

Ex alia verò parte hæredes fiduciarii, qui voluntatis commutationi consentiunt, dissentiunt quoad modum. Instant enim pro erectione unius Canonicatus, & duorum Mansionariorum, quorum nominationem ipsis pro prima vice reservari supplicant. Hoc modo inquiunt, fieri debere commutationem, etiam ex stylo Sac. Congregationis, quæ commutationes nunquam admittit, nisi ad formam consensus interesse habentium, ac præcipuè hæredum fiduciariorum, sive Testamenti Executorum, ita quidem ut injuria fieret, si ab eorum sensu recederetur. Addunt, Ecclesiam minimè indigere aliis quatuor Mansionariis, cùm aliæ Collegiatæ minori Mansionariorum numero contentæ sint, nec a Mansionariis Collegiatam constitui, sed a Canonicis, qui Ecclesiæ decorem augent *Innocen. cap. 2. de Instit*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubr. Canon. lib. 1. tit. 4. num. 1.*, *Rot. coram Cavaler. decis. 91. num. 4.*

Præterea tum novi Canonici, tum Mansionariorum nominationem sibi vel ex justitia, vel ex gratia adscribi postulant, nec inconveniens esse dicunt, ut Patronatus reservetur etiam favore hæredum, qui exequendo Testatoris voluntatem fundationem perficiant, quamvis de proprio nihil conferant *Card. de Luc. de Jurepatron. discur. 55. num. 3.*, *Vivian. lib. 2. cap. 1. num. 3. par. 1.*, *Rot. decis. 871. num. 2. coram Seraphin.*, *& coram Buratt. decis. 22. num. 1.*. Observant insuper, Testatorem non solum ipsis arbitrium reliquisse distributionis Missarum, sed etiam voluisse, ut ex venditione bonorum emolumentum perciperent: Cum autem hujusmodi emolumentum percipi ab ipsis amplius non possit, æquitati consonum esse, ut amissio lucri, Patronatus reservatione compensetur, intuitu etiam curæ, & laboris, quem pro exequenda dispositione Testatoris sustinuerunt *Cyriac. controv. 503. num. 5.*, *Amostaz. de cauf. piis cap. 4. de Missis, earumque stipendiis num. 39.*. Idque consonum esse menti Sacræ Congregationis panditæ in *Perusina, seù Civitatis Plebis* 27. *Junii* 1733.. His ergo de causis supplicant, ut Canonicatus erigendus prima vice tribuatur Sacerdoti Attilio de Grandis ex Oppido Montis S. Viti, atque uni ex hæredibus fiduciariis, & Testatori benevisо.

Episcopus testatur, præcipuam bonorum hæreditariorum Sacerdotis Christofanetti partem in censibus consistere, summam scutorum bismille sexcentorum æquantibus, & frustrà hæredes fiduciarios pro curanda venditione laborasse: Repugnare autem paupertati Fratrum Cappuccinorum, & Reformatorum, ut bona ab istis recipiantur; hinc Testatoris dispositionem exequi nullo modo posse, atque idcircò con-

consentit, ut eosdem Census *Suprema, qua Sanctitas sua pollet potestate, assignare concedat pro nova erectione, & Dote quadruplicis Mansionariatus in eadem Collegiata Ecclesia cum onere cuilibet eorum tum Residentiæ, & chorali servitio, tum Missarum 50. quotannis in perenne suffragium Animæ Sacerdotis Testatoris, aliorumque Defunctorum ipsius Familiæ* = Hanc autem quatuor Mansionariorum erectionem præseferendam putat petitæ ab hæredibus fiduciariis unius Canonicatus, & duorum Mansionariorum erectioni, cum non Canonicis, sed Mansionariis Ecclesiam indigere affirmet. Non tamen omninò prætereundos Religiosos Reformatos, & Cappuccinos, quorum favore eleemosinam pro Missis circiter mille præservari posse censet. Denique Patronatus reservationem nulli tribuendam, sed collationem liberè relinquendam existimat.

Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* justam, & necessariam causam pro voluntatis commutatione reqnirit; necessitatem verò inducit impossibilitas adimplendi Testatoris dispositionem. Juxta varias circumstantias Sac. Congregatio commutationes aliquando fieri permisit, aliquando denegavit. In *Interamnen. Commutationis voluntatis* 8. *Maii* 1756., commutationi consensit, quia distrahi non poterant bona, quorum pretium ex præcepto Testatoris in celebrationem Missarum erogari debuisset. Idque etiam censuit in *Olinden.* 3. *Martii* 1703., & *Bononien. Legati Missarum* 12. *Januarii* 1704.. Verùm instantiam pro commutatione rejicit in *Pisauren. Commutationis Legatorum* 17. *Junii* 1713., & 23. *Junii* 1714., *ac in Januen., seù Savonen. Erectionis Capellaniarum* 19. *Augusti* 1720., in qua petitum fuerat, ut scuta 9000. pro eleemosyna Missarum juxta Testatoris dispositionem eroganda, in dotem octo Capellaniarum constitueretur..

Quo verò ad Patronatum animadvertendum est, illum non solùm ab ipso beneficii Fundatore reservari posse, sed etiam ab ejus hæredibus, qui exequendo ejus voluntatem fundationem perfecerint, juxta authoritates in libello Hæredum allegatas, quæ superiùs relatæ sunt. Videndum tamen, an id locum habere possit in præsenti casu, quo agitur de commutanda voluntate, ob difficultatem exequendi Testatoris dispositionem juxta modum ab eo demandatam. *In Perusina, seù Civitatis Plebis* 27. *Junii* 1730., cum Episcopus testatus fuerit, nullimodè ob dèficientiam emptorum deveniri posse ad venditionem bonorum, quorum pretium in celebrationem Missarum erat erogandum, Sacra Congregatio permisit, ut ex iisdem bonis erigeretur Capellania, cum onere Capellano injuncto celebrandi tot Missas, quot celebrari potuissent ex fructibus bonorum ad rationem eleemosynæ manualis, detractis utensilibus, sed quoad petitam Patronatus reservationem instantiam re-

rejecit, & solùm ex gratia injunxit Episcopo, ut pro prima vice Capellaniam conferret Cognato Testatoris.

Ponderandum igitur, an commutationem in præsenti casu suadeat difficultas vendendi census relictos a Sacerdote Cristofanetti, qui quousque eorumdem censuum venditio sequuta non fuisset, mandavit, *che li frutti, che saranno maturati, e che dovranno maturare fino al giorno, che saranno detti Censi venduti, pagati gl'Istromenti, debbano ancora questi servire per tante Messe*. Quatenus verò Emi PP. commutationi locum esse crediderint, dijudicandum erit, an, & cui, saltem pro prima vice, Patronatus sit tribuendus. Quæritur enim

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Francisci Antonii Cristofanetti, in casu &c.

NULLIUS S. ÆDISTI CAPELLANIÆ. Mandarunt Delia Cassi, & Lucretia Lupi ejus filia, ut pro modo redituum, qui retraherentur ex certis ab iis designatis bonis, tot Missæ singulis annis celebrarentur in Capella Divis Petro, & Paulo Apostolis dicata, & existenti in Ecclesia S. Laurentii Oppidi S. Ædisti. Canonicus Petrus Paulus Lupi hujusce Capellaniæ possessor plurium Missarum celebrationem omisit, earumque loco fructus eorumdem bonorum in ornatum Capellæ, sacrarumque Suppellectilium comparationem erogavit. Hinc Eminentissimus Abbas occasione Sac. Visitationis non solùm illum coegit ad celebrationem Missarum pro scutis tredecim, quæ ad totum annum 1767. juxta tabellam assignata superextabant, sed insuper confirmavit decretum alias editum in Sac. Visitatione anni 1763., quo injunctum fuerat, ut Sac. hanc Congregationem adiret pro definitione, utrum jure potuerit alia scuta 36. ex dictorum bonorum fructibus provenientia in beneficium Capellæ, & pro sacris Utensilibus impendere. *Sess. 25. cap. 4. & 5. de Reform.*

Id igitur definiri hodie postulat Canonicus Lupi. Contendit autem, dictam summam jure in eam causam erogatam a se fuisse, quum non aliter pia dispositio Deliæ Cassi, & Lucretiæ Lupi exequutioni mandari potuisset, nisi Capella ornata, & de sacris Suppellectilibus provisa fuisset, & ideo ex actis præcedentium Visitationum resultare affirmat, hujusmodi expensas ex Capellaniæ reditibus fuisse peractas.

Neque onus manutentionis Capellæ, & Utensilium refundi posse existimat in Familiam Lupi assertam illius Patronam. Negat enim, probatum quoquo modo esse Patronatum Familiæ Lupi. Cæterùm quatenùs ipsi, ejusque Nepotibus, Patronatus revera tribuatur, non recusant, necessaria pro manutentione Capellæ suppeditare.

In

In secundo dubio eadem repetit, ut suadeat, adigi minimè posse ad Missarum, quæ omiserat, celebrationem, affirmans scilicet, Suppellectilia comparata fuisse ex reditibus bonorum, idque ab Eminentissimis Abbatibus fuisse approbatum, nec Missarum celebrationi adimpleri potuisse, nisi Capella fuisset ornata, & de Suppellectilibus provisa.

Eminentissimus Abbas in sua relatione egregiè de more animadvertit, quod etsi nullum de origine Patronatus habeatur documentum, deprehendi tamen, illud vigere favore Familiæ Lupi, tum ex censualibus tabulis Capituli Sancti Laurentii, in quibus enunciatur = *La Cappella de Santi Apostoli Pietro, e Paolo di Casa Lupi* =, tum clariùs ex quadam protestatione apud acta Curiæ Ecclesiasticæ S. Ædifti emissa a Canonico Lupi hodierno Capellano, ejusque Fratre, in qua quidam Paulus Tritavus ab ipsis constituitur possessor *Sacelli*, & *Sepulturæ sit. in Parochiali Ecclesia Sancti Laurentii*, idque convenire putat cum antiquitate Capellæ, legatisque Missarum in ea adimplendis, & ab iis de Familia Lupi relictis, quæ Capellaniam Deliæ, & Lucretiæ temporis prioritate antecedunt. Cæterùm a Vicario, Foraneo Sancti Ædifti accepisse refert, quod si Familiæ Lupi *placuerit Patronatui vale dicere, futuras partes Capituli Capellæ dominium alteri dimittere, qui curam gerat Altaris, & Capellæ SS. Petri, & Pauli*.

Ex his quoad onus Missarum infert, possessorem Capellaniæ, de qua agitur, teneri huic oneri adamussim adimplere, quin curæ eidem esse debeat sumptus facere de reditibus Capellaniæ ad Capellam, & Altare ornandum, & instruendum; proindèque concludit, nullo pacto Petrum Paulum Lupi oratorem annuum Missarum numerum ex Capellania Deliæ Cassi, & Lucretiæ Lupi prodeuntem eo colore minuere potuisse, nec posse, ut Capellam exornet, eique de Supellectili provideat.

Unanimis est Doctorum sententia, Patronum teneri ad omnia Altaris, Capellæ, aut Ecclesiæ onera subeunda, quia æquum est, ut qui commodum sentit juris honorifici, onerum quoque incommodum sentiat ex *Text. in Leg. Secundum naturam est* 10. *ff. de reg. jur.*, & *Cap. Qui sentit de regul. jur. in 6.*. Inter onera recensetur illud restaurandi Altare, seu Capellam, vel Ecclesiam, ac etiam a fundamentis extruendi, si aut collapsa fuerint, aut ruinam minentur, & sufficienter dotandi, atque de omnibus necessariis ad Divinum Cultum, Sacraque peragenda providendi *Cap. Placuit* 1. *caus.* 1. *quæst.* 2., *Cap. Piæ mentis* 26. *caus.* 16. *quæst.* 7., *Cap. Nemo* 9. *dist.* 1. *de consecr.*, *Cap. Cum sicut* 8. *de consecrat. Eccles.*, *Cap. Quoniam* 3., & *Cap. Nobis* 25. *de Jurepatron.*, & ita sentiunt *Lambertin. de Jurepatron. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 11. *artic.* 7. *num.* 3. & *seq.*, & *lib.* 3. *quæst.* 7. *ar-*

artic.5. num.1., *Barbos. de potest. Episcop. alleg. 64. num. 15.*, *& alleg.102. num.10.*, *Piton. de controv. Patron. tom.1. allegat.12. num.4. & seq.*, *Card. de Luc.de Jurepatron. discur.52. num. 12.*

Hinc Altaria, quæ ornamentis, & dote carent, possunt ab Episcopis destrui, vel aliis etiam concedi, si post tertiam monitionem, & termini præfinitionem, Patroni id præstare negligant, aut recusent. Ita sæpius respondit Sacra Congregatio, præsertim verò in *Mutinen.2.Maii* 1601., *2. Ianuarii*, *3. Iulii* 1602., *16. Februarii* 1605., *9. Ianuarii* 1604., , *& 9. Octobris* 1618., quemadmodum refert *Pignattel. tom.9. consult.82. num.145.*. Idque procedit, etiamsi in fundatione sufficiens dos fuerit a Patrono constituta, & deinde decursu temporis imminuta, aut penitus perierit, ut tradit *Fagnan.in Cap.Quoniam 3.de Iurepatron.num.52.*, *Reiffenstuel lib.3.Decretal.tit.38.nnum.4.*, *Pirhingh.ibid.num.9.*, *Pignattel. tom.6. conf.15. num.4.*

Hæc tamen generalis regula limitationem patitur, ubi contraria adsit consuetudo, quod Patroni nunquam fuerint ad Altaris manutentionem coacti, sed omnes expensas subierit Ecclesia, ubi Altaria erecta fuerunt; nec beneficiati, qui Capellanias in iisdem Altaribus constitutas habent, possunt illorum manutentioni consulere. Tunc enim inhærendum est consuetudini, & cogenda Ecclesia ad Altaris manutentionem, prout refert *Pignattel. tom.6. consult.15. num.1.* delaratum olim a Sacra Congrgatione fuisse in *Urbinaten.* 10. *Martii 1635. ad cap. 7. sess.21.*, *& cap. 9. sess. 22.*, dum respondit = *Teneri Ecclesiam ad limites consuetudinis legitimæ, in reliquis prout de jure.*

Altera generalis regulæ limitatio est, si Patronus dotem ita conspicuam ab initio assignaverit, ut ea sustentationi Capellani, & Capellæ manutentioni sufficeret. In hoc quippe casu, nisi contraria vigeat consuetudo, aut certa, ac distincta redituum portio fuerit pro Capella designata, adigi Capellanus poterit ad illius manutentionem *Cap. Si Monachus 22. cauf.16. quæst.prima Cap. Quicumque 1. & Cap. Dubis 3. de Eccles. ædific.*, *Concil. Trident. sess.11. cap.7. de Reformat.*, *Pignattell. loc. citat. num. 5.*, *Sperell. decis. 68. num.11.*. Ratio est, quia Beneficiatus, seu Capellanus æquiparatur Usufructuario *Cap. Præsenti 9. de offic. Ordinar. in 6.*, *Cap. Requisisti 15. de Testament.*, *Cap. Si quis 6. de pecul. Cleric.*. Usufructuarius vero ad bonorum conservationem tenetur *Leg. Usufructu Legato 7. §.2. ff. de usufruct.*, *Leg.Eum ad quem 7. Cod.eod.tit.*

Dijudicent ergo Eminentissimi PP.

I. *An expensæ pro manutentione Capellæ Sanctorum Petri, & Pauli Terræ S. Ædisti, nec non pro Utensilibus sint detrahendæ ex reditibus Capellaniæ pro celebratione Missarum destinatis, in casu &c.*

II. *An Canonicus Lupi sit adigendus ad celebrationem Missarum pro scutis 36. in expensas erogatis, in casu &c.*

Sess. 22. cap. 6. de Reformat.

ASTEN. CELEBRATIONIS MISSARUM. In Testamento, quod anno 1737. condidit Joannes Baptista de Rubeis ex Oppido Solii, assignatis titulo Legitimæ Sacerdoti Joanni Ludovico ejus filio libris 400., usumfructum omnium bonorum reliquit Dominicæ Mariæ Crova Uxori suæ, & proprietarium hæredem instituit Josephum Baptistam alterum filium a Patria absentem, dummodo tamen infra annos quindecim ab obitu Matris computandos ad Patrios lares fuisset reversus. Sequuto autem Uxoris obitu, quousque præfinitus terminus decurreret, bonorum fructus in celebrationem Missarum erogari mandavit, eoque elapso, & conditione nondum adimpleta, præcepit, ut bona omnia per Sacerdotem Simeonem Navona Exequutorem Testamentarium sub hasta venderentur, pretiumque ex venditione retrahendum distribueretur Sacerdotibus, qui Sacrificia in ipsius Animæ suffragium offerrent.

Anno 1752. cum adhuc a Patria exularet Joseph Baptista, obiit Dominica Maria, quæ de suis bonis favore Sacerdotis Ioannis Ludovici filii disposuit. Hic bonorum omnium ad Parentes suos pertinentium possessionem apprehendit, deindeque judicialiter petiit, irritum declarari testamentum Joannis Baptistæ Patris ob defectum substitutionis demandandæ in casu, quo conditio reditus Josephi Baptistæ non fuisset adimpleta; atque insuper paterna bona sibi adjudicari postulavit tum pro reintegratione maternæ Dotis, & lucri Dotalis, tum titulo legitimæ sibi, suoque fratri debitæ, tum ex aliis maternis juribus, ac creditis, nec non ex causa expensarum funeris, & solutionis Legatorum. Obstitit hisce petitionibus per triennium Sacerdos Simeon Navona Testamentarius exequutor, verum diuturnæ litis tedio pertesus, Exequutoris officium dimisit, subrogatusque in ejus locum fuit Promothor Fiscalis Curiæ Episcopalis.

Hic munus sibi injunctum suscepit, sed agnita postmodum Causæ gravitate, ad parcendum litis expensis, quæstionis definitionem de communi Partium consensu judicio Pro Vicarii Capitularis submisit. Is verò præmissa æstimatione bonorum hæreditariorum Joannis Baptistæ Rossi ascendentium ad scuta 1027. 80., libratisque juribus hinc inde adductis, Sacerdoti Joanni Ludovico in causam maternæ Dotis assignavit scuta 440., eique, atque illius Fratri legitimam ad juris tramites tradendam esse decrevit, emissa tamen obligatione de relevando causam piam a quacumque molestia, quæ inferri quoquo modo potuisset.

fet. Quæ verò fupererant hæreditaria bona, ab eodem Ludovico retineri permiſit, cum onere erogandi fructus præfinitos in ratione ſcut. trium pro centenario in adimplenda quolibet anno 118. Miſſarum celebratione, uſque dum terminus annorum quindecim completus fuiſſet, quo elapſo diſpoſitionem Joannis Baptiſtæ ad formam Teſtamenti exequi mandavit. Actum quoque fuit de fructibus bonorum uſque tunc decurſis, & a Joanne Ludovico percipiendis, pro quibus onus celebrandi infra annum Miſſas 440. eidem injunxit.

Juxta hunc modum anno 1757. ſtipulata tranſactio fuit, decreto Vicarii Capitularis probata. Obiit anno 1768. Sacerdos Joannes Ludovicus, elapſoque jam termino quindecim Annorum, cum Joſeph Baptiſta in Patriam nondum rediiſſet, & Promothor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis pro exequutione voluntatis Teſtatoris inſtetiſſet, Antonius Crova ex teſtamento ejuſdem Sacerdotis Joannis Ludovici hæres, ſupplicem SSmo obtulit libellum, quo facultatem petiit retinendi bona Cauſæ piæ Roſſi affecta, eorumque pretium in Miſſarum celebrationem erogandi. De hac petitione ſapienti EE VV. judicio commiſſa modò agitur.

Tuetur primò dictus Antonius tranſactionis validitatem, utpotè quia inita fuerit ad formam Sententiæ Pro-Vicarii Capitularis, iuribus hinc indè accuratè perpenſis, ac præmiſſa bonorum æſtimatione, omnibuſque adhibitis ſollemnitatibus, de cujus proindè æquitate dubitare non liceat, præſertim quia Ordinarii approbatione roborata deprehenditur *Rot. in Anconitana, ſeu Piſauren. Immiſſionis* 27. *Junii* 1738. §. 4. *coram Millino*. Addit, nihil pro parte Operis pii remiſſum fuiſſe, contra vero Sacerdotem Ludovicum conſenſiſſe, ut quantitas maternæ Dotis eidem reſtituendæ imminueretur, nec non quarto Dotali a Matre ſuperlucrato, aliiſque juribus renunciaſſe. Ac demum advertit, ope tranſactionis peremptam fuiſſe litem jam a triennio agitatam, & pro cujus proſequutione conſpicui ſumptus impendi debuiſſent, ita ut quid minimum pro Miſſarum celebratione ſuperfuiſſet.

Nec obeſſe defectum Apoſtolici beneplaciti, cum tranſactio diſpoſitionis ſubſtantiam non immutaverit, ſed ſolùm modum exequutionis magis tutum, ac facilem præfinierit. Quoties ergo ſubſiſtat, atque adimpleatur finis a Teſtatore volitus, ſuſtinet, Beneplacitum Apoſtolicum minimè requiri debuiſſe *Gomeſ. var. reſol. lib.* 2 *cap.* 11. *num.* 49., *Rot. in Romana Oblationum ſuper bono jure* 22. *Januarii* 1725. §. 13. *coram Calcagnino*.

Advertit, Teſtatorem Joannem Baptiſtam de Rubeis dum bona ſua ſub haſta vendi, pretiumque in celebrationem Miſſarum erogari mandavit, unice Suffragium Animæ re-

ſpexiſſe: Quo circa nihil referre, ſi bona vel præſcripto modo vendantur, vel ab alio retineantur, dummodo Miſſarum celebratio adimpleatur, & Teſtatoris diſpoſitio exequutioni mandetur *Manſ. conſult. 522. num. 7., Rocc. diſp. 25. num. 31.* Præſertim quia venditio ſub haſta non fuit adeo enixè injuncta, & certis clauſulis adeo circumſcripta, ut aliter fieri nequiret, quare contendit, ſuppleri etiam poſſe per æquipollens, quoties voluntas Teſtatoris ſuo non careat effectu *Leg. cum controverſia ult. §. ult. ff. mandati, & gloſſ. ibid. verb. teneri.*

Minimè verò dubitari poſſe dicit, quin bonorum pretium in tranſactione liquidatum, reſpondeat pretio, quod ex licitatione retrahi valuiſſet. Siquidem obſervat, tranſactionem initam fuiſſe prævia bonorum æſtimatione facta a Peritis judicialiter electis, & a Judice Compromiſſario, & Vicario Capitulari probata, immò & ab aliis Peritis confirmata. Neque ex venditione ſub haſta ſpem augumenti effulgere potuiſſe, tum ob Incolarum paupertatem, tum ob bonorum peſſimam qualitatem, tum ob expenſas ea de re ſubeundas. Cæterum ſpem quamlibet augumenti abunde compenſatam fuiſſe numero biſcentum Miſſarum, quarum celebrationem Epiſcopus in ſua relatione ea de cauſa cenſet injungendam,

Præterea animadvertit, nihil in tranſactione præſervatum fuiſſe pro Dote, & legitima Sacerdoti Joanni Ludovico debita, nec certa deſignata bona, quorum pretium in celebrationem Miſſarum eſſet erogandum. Hinc infert, quod ſi ad novam bonorum æſtimationem, & ſeparationem deveniendum eſſet, jurgia, & contentiones iterum exurgerent, & expenſæ augerentur, in præjudicium pii operis, ut proinde magis expediat tranſactionem exequi, quam licitationis modum a Teſtatore propoſitum amplecti.

Denique confidit Orator, dilationem quatuor annorum fore indulgendam, ut aſſumptum Miſſarum onus poſſit adimplere. Sanè dilationem non incongruam, nec irrationabilem putat habito reſpectu tum ad numerum 4728. Miſſarum, pro quarum eleemoſyna ſumma ſc. 472. 80. requiritur, tum ad rei familiaris anguſtiam, quæ non ſinit, ut onus hujuſmodi citius adimpleat, tum etiam quia ſi bona ſub haſta venderentur, major dilatio requireretur, ob ſollemnitates, quæ ſervari deberent.

Epiſcopus de veritate expoſitorum teſtatur: Addit tamen, non ſatis conſtare, an Sacerdos Ludovicus, ſive ejus hæredes oneri Miſſarum integrè adimpleverint, quæ ad totum menſem Aprilis anni 1770. in numero 610. celebrari debuiſſent. Cenſet autem, Oratoris precibus poſſe aſſentiri, injuncto eidem onere celebrationis Miſſarum 4728., ita quidem ut Miſſæ 3918. celebrentur pro rata, quæ reſpondeat valori bonorum hæreditariorum, nec non aliæ

Miſſæ

Missæ 610. in supplementum earum, quæ præterito tempore fuerint prætermissæ, ac demum Missæ 200. pro augumento, quod ex venditione sub hasta retrahi posset. Adhæret Oratoris instantiæ Promothor Fiscalis, & convenit etiam Eminentissimus Corsinius, qui de sua sententia requisitus exist imat, nullum Testatoris dispositioni præjudicium irrogari, cum idem sit Missas celebrare ex pecuniis a licitatione retrahendis, vel ex aliis ab Oratore oblatis.

Nihil addendum videtur ad ea, quæ ab ipso Oratore in suo libello exposita sunt, vel in transactione, quę circumfertur fusius relata, vel in Episcopi informatione perpensa. Videndum, an petitio voluntatis commutationem præseferat, an Causæ piæ utilitas resultet. Quæritur.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

AQUEN. REDUCTIONIS. In honorem B. Virginis Dolorum, Ecclesiam in Burgo majori Civitatis Aquensis ære proprio ædificavit bo. me. Carolus Antonius Gozanus ejusdem Civitatis olim Episcopus, &. in ea Beneficium anno 1720. instituit cum Dote Duplarum Hispanicarum 250. in nonnullis censibus constituta, ex quibus duplæ quindecim singulis annis retrahebantur. Onus Beneficiato injunxit quotidianæ unius Missæ celebrationis per se ipsum adimplendæ, cui quidem oneri tunc solum ab alio Sacerdoti suppleri posse permisit, quando Beneficiatus legitimo impedimento detineretur; eidemque Beneficiato obligationem adjecit excipiendi sive per se, sive per idoneum Sacerdotem Sacramentales Fidelium Confessiones quolibet die festo, nec non feriis IV. cujuslibet hebdomadæ. Post hæc alium censum in sorte duplarum 50. dicto Beneficiato assignavit, cujus reditus in annuis duplis tribus deservire voluit pro linteaminum, sacrarumque suppellectilium emundatione, nec non pro expensis vini, & hostiæ, quæ omnia unicuique Sacerdoti in memorata Ecclesia celebraturo subministrari mandavit. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Patronatum activum reliquit Marchioni Fabritio Gozano Nepoti suo, nec non Comitibus Guido, & Francisco Andreæ Roberti, eorumque descendentibus masculis in infinitum, in quorum defectu Episcopum pro tempore Aquensem substituit. Deindeque prævidens casum, quo aliquis ex censibus ab eo designatis fuisset extinctus, tunc novum investimentum fieri præcepit cum intercessentia, & cura ejusdem Comitis Roberti alterius ex Compatronis, quem una cum ejus descendentibus in Protectorem supradictæ Ecclesiæ elegit.

Be-

Beneficii reditus decurſu temporis imminuti ſunt, ita quidem ut ſcuta 33. 25. ex Capitali duplarum 250., & ex altero Capitali duplarum 50., ſcuta tantum 6. 75. modò percipiantur. Hujuſmodi reditus ad omnia onera ſubeunda impares comperiit Sacerdos Guidus Gaito hodiernus ejuſdem beneficii poſſeſſor, atque idcircò reliquis præſervatis oneribus, reductionem expoſtulat numeri Miſſarum. Aſſerit enim, juxta conſuetudinem in Civitate Aquenſi vigentem, adigi non poſſe exteros Sacerdotes in Eccleſia B. Virginis Dolorum celebrantes ad ullam pecuniæ quantitatem pro utenſilibus perſolvendam, nec æquum eſſe, ut deſit in eadem Eccleſia Confeſſarius diebus illis, qui fuerunt a Fundatore deſignati; Hinc non alium ſupereſſe modum, quam Miſſarum numerum minuendi, ut ſubveniatur Beneficiato, cum æquum ſit, ut imminutis reditibus onera quoque imminuantur *Perez. de Anniverſ.*, *& Capellan. lib.* 1. *cap.*15. *num.* 8., *& ſeq.*, *Paſqualig. de Sacrif. Miſſ. tom.*2. *quæſt.*1075. *num.*1., *&* 2.

Habita verò ratione oneris perpetui, & obligationis beneficiato inhærentis celebrandi Miſſas per ſe ipſum in determinata a Fundatore Eccleſia, non alia ratione Miſſarum numerum præfiniri poſſe exiſtimat, quam juxta taxam perpetuam, ut præfinitum dicit a Sac. Congregatione in *Prænestina* 15. *Februarii* 1709. *in Romana* 6. *Februarii* 1734., *& in Nepeſina* 24. *Iulii ejuſdem anni*. Advertit demum, in caſum non conceſſæ raductionis ipſum dimiſſurum eſſe Beneficium, iſtudque ob redituum tenuitatem diuturnæ vacationi futurum eſſe obnoxium, cum maxima voluntatis Fundatoris jactura.

Petitioni Sacerdotis Gaito adhærent tum omnes intereſſe habentes, tum etiam Epiſcopus, qui Miſſarum reductioni locum eſſe cenſet, dempta tamen obligatione celebrandi per ſe ipſum, ac firmis remanentibus aliis oneribus, pro quibus refert, annua ſcuta 16. requiri, nempe ſcuta 7. 40. pro vino, & hoſtiis ſubminiſtrandis ſex Sacerdotibus in relata Eccleſia quotidiè celebrantibus, atque alia ſcuta octo pro honorario Confeſſarii, ac obulos 80. pro Linteaminum, ſacrarumque ſuppellectilium emundatione. Addit, minimè convenire, ut exteri Sacerdotes ad utenſilium præſtationem adigantur, quia id novum eſſet in Civitate Aquenſi, & cauſam quærimoniis præbere poſſet, immò Sacerdotes a Miſſarum in relata Eccleſia celebratione retraheret, cum ſpirituali Populi detrimento, & imminutione cultus Deiparæ Virginis Dolorum, cujus propagationem Fundator optavit.

Quemadmodum verò Sacerdos Gaiti Miſſarum reductionem expoſtulat juxta eleemoſinam in ratione taxæ perpetuæ, idcircò teſtatur Epiſcopus, hanc taxam pro Aquenſi Diœceſi in obulis duodecim cum dimidio pro unaquaque Miſ-

Miſſa eſſe conſtitutam . Beneficiatum autem paratum ſe præbuiſſe beneficii reditus augere in ſcuto uno, & ob. 35. ſi petita Miſſarum reductio concedatur, ſi verò denegetur exhibuiſſe beneficii dimiſſionem, quod ob reddituum tenuitatem difficile admodum erit, ut ab alio recipiatur. In omnem autem caſum poſtulat Epiſcopus, ut præfiniatur methodus, quæ in conſtituendo Miſſarum numero, earumque eleemoſina ſervari debeat.

Reductioni Miſſarum juſtam, & rationabilem cauſam præbet imminutio reddituum, qui pro ſubeundis oneribus impares comperiantur *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap. ult. n.* 28., Sac. Congreg. *Romana Reductionis* 7. *Februarii* 1756. Præcipuè ſi legatum taxativè fuerit relictum, quia tunc hæredes ad ſupplementi præſtationem adigi non poſſunt *Fargn. de Jurepatr. part.* 2. *can.* 27. *num.* 2. Cæterum ſi Miſſarum celebratio, & alia pia opera demandata fuerint, in iſto caſu alia potius pia opera, quam Miſſarum numerus imminuitur *Fagnan. in Cap Ex parte de Conſtit. num.* 34., *Monacell. formul. legal. pract. formul.* 19. *tit.* 10. *num.* 23., *& ſeq.*

Ab hac tamen regula receditur vel quando ex toto diſpoſitionis contextu contraria dignoſcatur Teſtatoris voluntas *Paſſarin. de Stat. Homin. tom.* 2. *quæſt.* 183. *num.* 1101., Sac. Congregatio in *Bracharen. Reductionis onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib.* 67. *decret. pag.* 378., vel quando Teſtator diverſos reditus pro unoquoque onere aſſignaverit; tunc enim proportionata eorumdem onerum reductio, juxta deficientium reddituum quantitatem fieri debet *Paſqualig. de Sacrif. Miſſ. quæſt.* 1190. *num.* 3., *&* 4.

Epiſcopus Gozanus, qui pro ſua erga Deiparam devotione, beneficium in Eccleſia a ſe conſtructa fundavit, onus Beneficiato impoſuit celebrationis Miſſæ quotidianæ, nec non excipiendi ſtatutis diebus Sacramentales Fidelium Confeſſiones, & pro his duobus oneribus nonnullos cenſus aſſignavit. Præterea eidem injunxit curam, & Sacrorum ſuppellectilium emundationem, voluitque vinum, & hoſtiam ſubminiſtrari cuilibet Sacerdoti celebraturo, pro quibus adimplendis alium cenſum reliquit. Videndum itaque, quænam ex hiſce Legatis, & pro qua rata imminutioni ſubjici debeant,

Miſſarum eleemoſina pro oneribus perpetuis quamvis in Concilio Romano ſub ſan. mem. Benedicto XIII. celebrato anno 1725. præfinita fuerit in ratione ob. 20. pro qualibet Miſſa, nihilominus advertit ſan. mem. *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap. ult. num.* 35. in more poſitum eſſe, ut quando Sac. hæc Congregatio facultatem tribuit Epiſcopis Miſſarum onera reducendi, eleemoſinam præfiniri mandet in ea quantitate, quæ vel ex Synodalibus Conſtitutionibus

tutionibus, vel ex recepta regionis consuetudine præstari pro Missis manualibus solet.

Cæterum dum agitur de perpetuis Missarum oneribus, si nondum Testatoris dispositio exequutioni mandata fuerit, & ob redituum tenuitatem sit locus reductioni, tunc eleemosina in ratione taxæ perpetuæ constitui solet, ut in *Prænestina* 15. *Julii* 1709., *in Nepesina reductionis onerum* 24. *Junii* 1734., *in Viterbien. Capellaniæ* 11. *Januarii* 1735., Si verò sit decernenda reductio post jam exequutam Testatoris voluntatem, in isto casu, ut ea minori quo fieri possit detrimento sequatur, manualis eleemosina constituitur, ut in *Burgi S. Sepulchri reductionis Missarum* 30. *Martii* 1748. *in Nepesina reductionis Missarum*, 15. *Februarii proximè elapsi*, & alibi passim.

Ponderandum denique, an ratio haberi debeat periculi diuturnæ Beneficii vacationis, & difficultatis inveniendi Sacerdotes, qui pro manuali eleemosina Missas celebrare velint, ut omnibus perpensis circumstantiis Eminentissimi PP. decernant.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

NULLIUS S. ÆDISTI. Postquam Bernardinus Lupi quatuor in Collegiata Ecclesia Divi Nicolai Terræ S. Ædisti Canonicatus instituerat, Domum eidem Ecclesiæ adhærentem reliquit pro habitatione Canonici Senioris, cui districtè percepit *abitare, e dormire nelle sudette stanze, e sotto pena di scudi dieci, quali applico alla Sagrestia della detta Collegiata.* Occasione S. Visitationis agnovit Eminentissimus Abbas Commendatarius inadimpletum a Canonico Petro Paulo Lupi Testatoris præceptum, cum nec Domum inhabitaverit, nec pœnam persoluerit; quare & pœne solutionem quoad præteritum, & habitationem in eadem Domo decreto suo indixit. Provocavit Canonicus Lupi, qui citato Promothore Fiscali, absolutionem a pœna, & exemptionem ab injuncta sibi habitationis lege efflagitat.

Utrumque autem assequi posse confidit, dum inquit, Domum pro habitatione destinatam duobus tantum angustis cubiculis constare, atque in humili, & insalubri Terræ loco sitam reperiri, itaut ob æris intemperiem necesse fuerit Moniales S. Augustini ibidem olim commorantes ad eminentiorem locum transferre. Hac proinde de causa evenisse putat, ut in Visitatione anni 1660. ab Episcopo Lerinensi peracta, licet compertum fuerit, Canonicum Seniorem Domum a Testatore relictam nunquam incoluisse, non tamen ad eam inhabitandam fuisse coactum; nec alii in Canonicatu Successores illam inhabitarunt.

Ad-

Addit, eamdem Domum habitationis commodum præbere modo non posse, cum malè parata sit, & ruinam minetur. Hinc rogat, ut senex ætate gravis, & podagra affectus ab adimplemento præcepti illam inhabitandi eximatur; quod eo magis obtinere confidit, quia Ecclesia nullum patitur detrimentum, nec ipse Animarum curam adnexam habet.

Eminentissimus Abbas post relatam facti seriem, Oratorem excusatione, ac venia dignum censet, tum ob bonam fidem, tùm ob æris insalubritatem, tum ob ætatem, & salutis incommoda, quibus afficitur. Cæterum quoad futurum animadvertit, claram esse, atque enixam Testatoris voluntatem, qui scuta decem anno quolibet Sacrario Ecclesiæ persolvi mandavit, si Canonicus Senior Domum inhabitare prætermitteret; hinc non ita facile dispensandum putat Oratorem, & præsertim cum non sit probatum in facto *aerem ita insalubrem, & ædes adeo esse male constructas, ut inhabitari, aut reparari nequeant*. Concludit itaque, quod *inopia redituum, & indigentia Sacristiæ S. Nicolai, cui etiam prospicere voluit Testator per applicationem pœnæ, suadent quodammodo, & exigunt, ut petitio Oratoris pro eo quod respicit tempus futurum saltem in totum non admittatur*.

A Promothore Fiscali nihil contra Oratoris petitionem deductum huc usque est. Inspecta Testatoris dispositione, perpensisque circumstantiis, rogantur Eminentissimi PP. decernere.

I. *An Canonicus Lupi teneatur inhabitare Domum a Testatore præscriptam in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An quoad præteritum sit absolvendus a pœna in casu &c.*

COMEN. TRANSLATIONIS CAPELLANIÆ. Publicum Oratorium sub invocatione *B. M. V. Annunciationis* in Oppido *Vergeletti* Comen. Dioecesis propriis sumptibus extruxit anno 1675. *Joannes Petrus Terribilini* incola ejusdem Oppidi, ac in eo amovibilem Capellaniam pluribus bonis dotatam instituit, injuncto Cappellanis onere quinque Missas singulis hebdomadis ibi celebrandi, & residendi in domo pro iisdem assignata. Juspatronatus vero Capellaniæ reliquit suis fratribus *Joanni*, & *Romerio*, ipsorumque descendentibus masculis in infinitum pro una vo-

Sess. 21. *cap.* 6. *de Reform.*

voce, & pro altera Priori, Officialibus, & Confratribus Sodalitii Sanctiſſimæ Annunciationis in dicto Oratorio erecti, dumodo tamen originarii eſſent, & habitatores dicti Loci *Vergelletti*, vel alterius finitimi Oppidi *Agreſſus*.

Expreſſe autem declaravit = *quia ad dicti Oratorii inſtitutionem ejuſque Dotis aſſignationem prædictus Terribilini devenit, & devenire dicit pro comoditate dd. Locorum Vergeletti, & Agreſſus attenta diſtantia milliarium quatuor circa a Parochia Ruſſus, ideo vult, & ordinat, quod nullus ultra Cripinarios, & habitatores, ut ſupra dd. Locorum Vergelletti, & Agreſſus, etiamſi Officialis, & Confrater ſupradictæ Confraternitatis, nullo unquam futuro tempore poſſit, & queat quovis ſub prætextu, & titulo ſe immiſcere, aut intromittere in concernentibus ad dictum Oratorium, & hoc tam quoad Cappellani electionem, ac deputationem, quam quoad alia onera tangentia Capitale aſſignatum, & alia tractu temporis ſubroganda, eorum adminiſtrationem, vel cujuſvis legati pii, & diſpoſitionis executionem.*

Decurſo temporis aucto Incolarum Oppidi *Vergelletti* numero, hi nunc proprium Parochum, aliumque habent Capellanum. Qua de re Incolæ finitimi oppidi *Agreſſus* nullum Sacerdotem habentes, poſt ſibi extructum in proprio Oppido Oratorium, preces Sanctiſſimo dederunt pro tranſlatione dictæ Capellaniæ Petri Terribilini ab Oratorio *Vergelletti* ad aliud loci *Agreſſus*, ut ſic hujus Incolarum neceſſitati quoque conſuli poſſit. Ablegatis autem precibus ad Sacram Congregationem, ſtatim Incolæ Vergeletti habita petitionis notitia acriter eidem obſtiterunt, ſed cum deinde eorum Procurator in translationem conſenſum præſtiterit, ceſſata idcirco oppoſitione *S.S^us ſub die* 14. *Sept.* 1770. *annuit pro abſoluta, & perpetua translatione Capellaniæ inſtitutæ a Petro Terribilini in loco Vergeletti ſalvis juribus Parochialibus*.

Gratia hæc ubi primum innotuit familiis Terribilini deſcendentibus a Fratribus Fundatoris, ad quos vox una ſpectat juriſpatronatus, ſtatim ipſæ ad intactam Fundatoris voluntatem ſervandam novas preces Sanctiſſimo dederunt, in quibus de injuſtitia conqueſti ſunt, & Gratiam obrept. & ſubreptionis vitio infectam dixerunt. Remiſſis itaque a Sanctiſſimo his novis precibus ad S. Congregationem *cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis*, quæren ſum modo eſt, an obtenta Capellaniæ translatio ſuſtineatur.

Inquiunt Incolæ *Agreſſus*, nihil in precibus expreſſum, nihilque omiſſum, unde gratia de obrept. vel ſubreptionis vitio notari queat. Nec recte obreptionem deſumi vel ex narrato conſenſu familiarum Terribilini, vel ab expreſſione itineris impervii, difficili & difficilis ad Oratorium *Vergeletti*. Reſpondent enim, num quam narratum ab ipſis fuiſſe dictarum familiarum conſenſum, quem tamen clare evinci putant ex diuti-

na

ita ipſarum aquieſcientia, nec non ex conſenſu præſtito a Procuratore nomine incolarum *Vergeletti*, quas inter dictæ Familiæ numerantur. Nullo item modo excludi aſperitatem, & difficultatem itineris, immo hoc ipſum certe probari ex indubitato Epiſcopi teſtimonio.

Injùria vero ſubreptionem deduci ex reticita narratione juriſpatronatus familiarum Terribilini. Hoc enim claris, apertiſque verbis ab Epiſcopo expreſſum fuiſſe, immo etiam fundationem tranſmiſſam extitiſſe, in qua litteralis eſt illius reſervatio. Addunt, ex illius etiam omiſſione nullam ſubreptionem induci, dum actum non eſt de translatione voluntaria, ſed de neceſſaria, & juſta, quæ etiam Patronis invitis largiri debet *Card. Zibarel. in cap. quæſitum num.* 23. *de rer. permut.*, *Vitalin. in Clement. I. num.* 80., & 81. *eod. tit.*, & *Piton. de contr. Patr. alleg.* 55. *num.* 10.

Ambigi autem non poſſe de neceſſaria, ac juſta translationis cauſa, quum in Oppido *Vergeletti* modo Parochus adſit, aliique Sacerdotes, quorum opera abunde conſultum et incolarum neceſſitati. Contra vero in loco *Agreſſus* ſpatio unius fere milliarii diſſito nullus præſto ſit Sacerdos, itaut cogantur hujus incolæ ob aſperum, difficileque iter vel maximo incomodo ad *Vergeletti* locum accedere, vel etiam ſacrum diebus feſtis non audire, prout contingit valetudinariis, fœminis, pueris, aliiſque hujuſmodi. Ex his proinde arguunt, perperam opponi voluntatem Teſtatoris, ut Sacra in Oratorio *Vergeletti* impleantur. Juſta enim, vel neceſſaria cauſa facit ut Teſtatoris voluntas quandoque ſit commutanda. Verum in caſu Teſtatoris voluntati conſonum maxime eſſe, ut potius Sacra in Oppido *Agreſſus* impleantur, cujus incolarum comodo proſpicere quoque voluit, quam in Oppido *Vergeletti*, cujus incolis modo ex Parochi aliorumque Sacerdotum celebratione abunde conſultum eſt. A familiis Terribilini nondum libellum habuimus.

Epiſcopus in ſua Informatione ſupponit, quod *familiæ de Terribilinis*, & *Incolæ Aggreſſus habentes juſpatronatus inſtent pro translatione*, ac concludit = *Ego autem animi mei ſententiam aperiens cenſeo, attentis circumſtantiis diſtantiæ loci Agreſſi a Terra Vergeletti, viarum difficilium, & plenarum periculis potiſſimum tempore hiemali ab nives, & glacies indulgeri poſſe precibus incolarum Agreſſii, ita tamen ut translatio ſuum ſortiatur effectum ſolum a Kalendis Decembris uſque ad diem Dominicam Palmarum excluſive cujuslibet anni*.

Quamvis Fundatores ob excellentiam Sacrificii totum, idemque ſuffragium obtineant ſive in una, ſive in altera Eccleſia Sacrum impleatur, ubi tamen certa Eccleſia deſignata fuit, non aliter ipſorum voluntas integrum aſſequitur effectum, niſi in præſcripta Eccleſia Sacra peragantur. Sacra proinde in certa Eccleſia præſcripta ad

aliam diversam transferenda non sunt, tum ne Fundatorum menti injuria fiat, tum ne cultus prædilectæ Ecclesiæ quoquomodo imminuatur *Navar. in Manual. cap.* 25. *num.* 134., & *Rot. in Romana Celebrationis Missarum* 13. *Junii* 1732. §. *ex ipsa coram Calcagnino*.

Qua de re cum Translationes apertam commutationem voluntatis præseferant, non aliter ex præscripto Sac. Concilii Tridentini in *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Ref.* permittendæ sunt, nisi justa vel necessaria causa urgente. Causa autem justa non ea est, quæ aliquam rationem secumferat, sed quæ necessitatem suadeat commutationis voluntatis, cujus interpretatio potius sit, quam integra, & absoluta mutatio *Piton. de contr. Patron. alleg.* 50. *num.* 1., *Pignatel. consult.* 148. *num.* 4. *Tom.* 4., & *Sac. Congr. in Perusina* 12. *Maii* 1764.

Caute proinde Sacra Congregatio vindex Sacrorum Canonum, & Fundatorum voluntatum procedit in translationibus concedendis. Eam quippe rejecit semper non concurrente necessaria, vel justa causa ut in *Æsina Legatorum* 21. *Aug.* 1700. *in Mediolanen. seu Ferentina Capellaniæ* 23. *Febr.* 1715., *in Neapolitana Capellaniarum* 16. *Junii* 1731., *in Ariminen. Translationis Capellaniæ* 20. *Dec.* 1732., *in Panormitana translationis oneris Missarum* 26. *Febr.* 1739., & *in Comen. translationis Missarum* 15. *Sept.* 1764.

Fundator *Joannes Petrus Terribilini* Incola Oppidi *Vergeletti* propriis sumptibus Oratorium in dicto Oppido extruxit, ibique Capellaniam instituit dato onere Capellanis quinque Sacra singulis hebdomadis in eo celebrandi, nec non in dicto Oppido residendi. Aperta ergo opus est commutione voluntatis Testatoris, ut dicta Sacra in Oppido *Vergeletti* implenda, transferantur ad Oratorium nuper extructum in Loco *Agressus*. Perpendendum hinc, an justa, & necessaria causa concurrat; alias enim etiam translatio concessa, & executa revocanda est, Sac. Congr. in *Neapolitana Capellaniarum* 16. *Julii* 1731., & *in Faventina Translationis* 31. *Aug.* 1771.

Ponderandum, quanti momenti sit contemplatio incolarum Loci Aggressus a Fundatore habita, an nempe eo tantum animo habita fuerit, ut in propinquiori Oratorio *Vergeletti* Sacrum audirent, Capellanumque haberent, quin cogerentur ad diffitam spatio quatuor milliarium Parochialem Ecclesiam accedere, vel potius eo usque extendenda, ut modo tum Oratorium *Vergeletti* proprio Capellano, tum *Vergeletti* incolæ subsidio illius privari debeant, ut majori incolarum Agressus comodo consulatur.

EE. PP. dignentur definire.

An translatio Capellaniæ sustineatur in casu &c.

Die

Die Sabbathi 27. Junii 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BInæ in præſenti Folio tranſcribuntur Cauſæ: Reliquas exhibet Folium præcedentis Congregationis, pro cujus reaſſumptione Emi PP. deprecantur.

NEPESINA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & quis teneatur ad reparationem Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ Fiani, & Domus Archipresbyteralis, in caſu &c.

Dilata, & reproponatur Cauſa cum alio dubio ſuper pertinentia Patronatus, & interim per modum proviſionis, & ſine præjudicio Jurium Partium ſolvantur ſcuta 300. ab Eccleſiaſticis, totidem a Barone, totidemque a Communitate, & ad Eminentiſſimum Præfectum pro exequutione, & directione operis, facto verbo cum Sanctiſſimo.

SENOGALLIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo pro commutatione voluntatis Franciſci Antonii Criſtofanetti, in caſu &c.

Negativè, & amplius.

NULLIUS S. ÆDISTI CAPELLANIÆ. *Seſs. 25. cap. 4. & 5. de Refor.*

I. *An expenſæ pro manutentione Capellæ Sanctorum Petri & Pauli Terræ S. Ædiſti, nec non pro Vtenſilibus ſint detrahendæ ex reditibus Capellaniæ pro celebratione Miſſarum deſtinatis, in caſu &c.*

II. *An*

II. *An Canonicus Lupi sit adigendus ad celebrationem Missarum pro scutis 36. in expensas erogatis, in casu &c.*

Ad I. quoad utensilia Affirmativè, in reliquis Negativè, & Orator agat contra quos de jure. Ad II. Affirmativè, detractis expensis pro utensilibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ASTEN. CELEBRATIONIS MISSARUM.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

AQUEN. REDUCTIONIS.

An, & quomodo sit locus reductioni, in casu &c.

Deleto onere audiendi Confessiones, non esse locum reductioni Missæ quotidianæ.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

NULLIUS S. ÆDISTI.

I. *An Canonicus Lupi teneatur inhabitare Domum a Testatore præscriptam, in casu &c.*

Et quatenus affirmari è

II. *An quoad præteritum sit absolvendus a pœna, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

COMEN. TRANSLATIONIS CAPELLANIÆ.

An translatio Capellaniæ sustineatur, in casu &c.

NEA-

NEAPOLITANA MATRIMONII. Quinto mense postquam Marchio Vincentius Confalone, & Catharina Bajona matrimonium inierant, & una cubantes simul cohabitaverant, inexpectato eadem Catharina a Viro recessit, seseque recepit in Monasterium, quod dicitur *delle Scorziate*, ubi adhuc moratur. Allegavit deinde Viri impotentiam, & hac de causa Matrimonii nullitatem proposuit: Vir autem Matrimonii consummationem cum juramento affirmavit, assertamque impotentiam Medicorum quoque judicio excludere conatus est. Acta diu causa fuit, sed dum ad exitum properabat, Marchio Vincentius mutato consilio priorem retractando depositionem declaravit, Matrimonium ratum tantummodo fuisse, non tamen consummatum, & facultatem ingrediendi Religionem postulavit. Itaque Curia Archiepiscopalis sententiam dixit, qua pronunciavit = *Matrimonium esse ratum, non autem consummatum, ac proinde licere, & licitum esse Marchioni Vincentio Confalone ingredi Religionem approbatam ad finem solemniter profitendi*. *Sess.24.cap.6.de Reform.Matrim.*

Provocavit Matrimonii Defensor ad Sacram Congregationem, propositoque die 28. *Aprilis anni* 1770. dubio = *An constet de Matrimonio rato, & non consummato, ita ut liceat Marchioni Vincentio Confalone ingredi Religionem approbatam ad effectum in ea profitendi, in casu &c.* = responsum prodiit = *Negative* = Novis autem paratis juribus, obtentoque no. æ Audientiæ beneficio, renovatum fuit certamen die 28. *Septembris* anni elapsi; cum tamen extrajudicialiter recepta jura fuerint, nec citato Defensore Matrimonii, idcirco nulla capta resolutione rescriptum fuit = *Dilata, & coadjuventur probationes servata forma Constitutionis Benedictinæ* = Omnibus proinde adimpletis, causa iterum EE. VV. sapienti judicio subijcitur.

Paucis se expedit Conjugum Patronus, iis contentus rationibus, quæ in præcedentibus propositionibus deduxerat. Sustinet autem nil ultra desiderari posse pro excludenda Matrimonii consummatione, dum concurrere dicit repetitum utriusque Conigis juramentum, qui copulam intercessisse negant; accedere quoque juramentum septimæ Propinquorum manus ex parte Viri, & ex parte Mulieris nullos habentis Consanguineos septimæ manus Vicinarum; nec deesse juramentum Matris Catharinæ, ac publicam vocem, & famam, ex quibus omnibus, addito præsertim medicinalium usu, mutatione aeris, aliisque remediis, quemlibet de sequuta Matrimonii consummatione scrupulum submotum existimat.

Coherere insuper testimonium octo Peritorum, qui Vincentii corpus recognoverunt; nec non judicium Obstetricum, quæ inspecto corpore Catharinæ, adhibito etiam experimento

mento balnei aquæ calidæ, illam intactam retulerunt. Ex his infert claras undique, & concludentes erui de non sequuta consummatione probationes, cum tamen leviores, immò etiam conjecturas sufficere contendat, ut alteri ex Conjugibus religiosum institutum amplecti, & profiteri permittatur.

Defensor verò Matrimoni nihil quoad probationum legalitatem opponit, seseque refert ad ea, quæ in præteritis scriptis animadverterat. Iterum ergo notatu dignum censet, quod Vincentius impotentiam negavit, immò constanter asseruit, Matrimonium fuisse consummatum, idque ipsum juramento pluries confirmavit, & novem annorum spatio sustinuit; ac postea consummationem impugnavit. Deferendum autem magis putat prioribus juratis depositionibus, quam posterioribus, quæ contra æditæ fuerint ad *Text. in Leg.* 2. *ff. de Testib.*, *Farinacc. de test. quæst.* 66. *num.* 122., *Pax Jordan. lucubrat. Can. tit.* 18. *n.* 1214.

Quatenus tamen Marchioni Vincentio petita facultas ingrediendi Religionem tribuenda videatur, repetit, non ideò liberum Catharinæ illicò relinquendum, ut ad alias nuptias transire valeat, cum hujusmodi libertas non prius eidem permitti possit, quam post exactum ab eodem March. Vincentio integro tyrocinii annum, emissamque sollemniter professionem, quia non nisi per Professionem Matrimonium dissolvitur *De Just. de Dispensat. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 85. *&* 86., *Clericat. de Sacram. Matrimon. decis.* 13. *num.* 39., *& seq.*, & alibi.

Jam alias animadversum est, licere alteri ex Conjugibus post consensum in Matrimonium præstitum, Religionem ingredi, dummodo carnalis copula non intercesserit *Cap. Verum* 2. *de converf. Conjug.*, *& Cap. Ex publico* 7. *eodem tit.*. Hinc per sollemnem professionem alterius ex Conjugibus Matrimonium dirimitur, & contrarium asserentes anathemate damnavit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Matrimon. cap.* 16.. Quamvis autem duorum mensium spatium a jure concessum fuerit ad deliberandum de ingressu in Religionem, ut in *Cap. Ex publico de converf. Conjug.*, nihilominus hujusmodi terminus computari non debet a die contracti Matrimonii, quemadmodum nonnulli existimarunt, sed a die præfinitionis termini a Judice factæ, ut de communi Canonistarum sententia præter alios nonnullos testatur *Fagnan. in d. Cap. Ex publico*. 20., *& in Cap. Cum sit eis n.* 45. *&* 46. *de ætat.*, *& qualit. Ordin.*

Inspectio itaque ex facto pendet, an scilicet ex adductis probationibus Matrimonii consummatio excludatur. Videndum quanti habenda sit prior Marchionis Vincentii de sequuta consummatione declaratio, cum posterior negativa Catharinæ etiam declarationi cohereat, aliisque monumen-

mentis fulcita comperiatur. Folia dierum 31. *Martii* 1770., & 28. *Septembris* 1771. distinctam hujus causę narrationem fusiùs explicant. Perpensis autem circumstantiis definiendum ab EE.VV. erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

CINGULANA MISSÆ CONVENTUALIS. Prioratus sub titulo D. Exuperantii Episcopi, & Cingulanæ Civitatis Patroni, simplex olim beneficiorum, auctoritate fel. rec. Clementis XIII. suppressus fuit, ejusque bona in dotem insignis Collegiatæ fuerunt applicata. Inter onera Prioratus recensebatur celebratio annuarum centum Missarum, pro indefinitis Benefactoribus, quod onus etiam post novæ Collegiatæ erectionem a Capitulo adimpletur. Ex causa hujusce oneris, atque etiam ob redituum tenuitatem, in animum suum induxerunt Capitulares se dignos esse, ut a Missæ Conventualis onere eximerentur. Supplicem in id libellum Sanctissimo obtulerunt. Precibus vero ad S. Congregationem remissis, auditoque Episcopo, sapientissimum hac de re EE. VV. judicium exquiritur. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

Petitam exemptionem assequi posse confidunt Capitulares, eo quia erectio, & dotatio novæ Collegiatæ facta fuerit ex bonis Prioratus, cui peculiaris obligatio celebrandi, applicandique Missas centum pro incertis Benefactoribus jam inerat, eademque obligatio transierit in Collegiatam. Hinc prægravari non posse dicunt alio Missæ Conventualis onere, cum huic oneri abunde satisfactum dicant centum Missarum celebratione. Atque in præsenti casu locum haud habere putant *text. in cap. Cum creatura de celebr. Miss.* ajentes, illius dispositionem tunc solum procedere, quando constat quidem de erectione Collegii, non tamen de quantitate Missarum, quæ pro incertis Ecclesiæ Benefactoribus debeant applicari *Monacell. formul. legal. in supplem. ad tom. 1. num. 238., & seq.*

Fatentur plane, plura post Collegiatæ erectionem ex piorum Benefactorum liberalitate eidem bona accessisse, sed advertunt, novos Benefactores peculiaria Missarum onera præscripsisse. Ita fecisse Exuperantium Palpacelli, qui dum bona sua pro novo erigendo Canonicatu donavit, onus adjecit 36. Missarum annis singulis celebrandarum: Ita etiam egisse Primicerium Galli, qui ex suis bonis Primiceriatus dignitatem erigendo, annuam præscripsit celebrationem 24. Missarum, & alterius cum cantu in die Anniversaria sui obitus: Ac ita tandem servasse Canonicum Simonem Tomassoni, qui in alterius Canonicatus fundatione dema-

davit quatuor Missarum celebrationem quolibet mense, jussitque ulterius, ut in Anniversario suæ depositionis, præter Missam cum cantu, unusquisque ex Capitularibus Missam in Suffragium Animæ suæ celebraret. Advertunt autem, neminem de aliis jam præexistentibus oneribus mentionem habuisse, proindeque concludunt, liberam omnino Missæ Conventualis applicationem ipsis relinqui oportere *Vrsaya disc. Eccles. tom. 3. disc. 23. num. 69., & seq.*

Ad obtinendam exemptionem addunt etiam redituum tenuitatem. Eos, deductis oneribus, vix scuta, 134. 50. pertingere affirmant, & si ab hac summa demantur quotidianæ distributiones, quæ in tertia fructuum parte consistunt, superesse tantum annua scuta 80. inter omnes partienda; adeout Priori, cui ratione Curiæ Animarum duplex portio debetur, obveniant sola annua scuta 18., unicuique vero ex Canonicis scuta 9.. Addunt, habendam quoque esse rationem oneris Missarum centum pro incertis Benefactoribus, quod suppresso Prioratui inhærebat; nec non aliarum Missarum 35. ex diversis oneribus dimanantium; ac demum Missarum circiter 80., quæ singulis diebus festis debent pro Populo applicari. Ab hujusmodi autem oneribus sustinent, Capituli reditus magis semper, magisque imminui, ita quidem, ut ad nihilum fere redigerentur, si onus Missæ Conventualis accederet.

Rogant igitur, ut ipsis impertiatur nedum reductio ad dies festos, sed omnimoda ab hujusmodi onere exemptio; cum reductio ad dies festos ex sola ratione tenuitatis redituum a S. Congregatione concedi consueverit in *Velitern* 14. *Martii* 1722., *in Spalaten. Missæ Conventualis* 2. *Julii* 1729., *in Amerina* 12. *Martii* 1740., & *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751. Sed in præsenti casu non tantum concurrat circumstantia tenuitatis redituum, sed insuper agatur de Collegiata erecta cum dote desumpta ex bonis, quibus peculiare inest onus applicationis Missarum pro incertis Benefactoribus, de qua quidem circumstantia nunquam actum fuisse dicunt in S. Congregatione, quando sermo de reductione fuit institutus.

Missa Conventualis pro Benefactoribus in genere in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis quotidie debet applicari, quemadmodum Missa Parochialis pro Populo applicatur ab iis, qui curam Animarum gerunt, idque pluries declaratum fuit a S. Congregatione, cujus resolutiones legi poterunt apud *Merati ad Gavant. part. 2. tom. 1. pag.* 808. Idemque edixit S. M. Benedictus XIV. in Constitutione *Cum semper oblatas* 19. Augusti 1754. Hujusmodi autem oneri satisfactum dici non potest per applicationem Sacrificii pro peculiaribus Benefactoribus, quia Missa Conventualis non pro singulis Benefactoribus, sed pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere debet applicari, que-

quemadmodum aperte docuit laudatus Pontifex in eadem Constitutione §. *Hæc igitur post med.* ibi = *Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus, quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur, & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant* =.

Ex his ergo dijudicandum erit, an Canonici S. Exuperantii oneri Missæ Conventualis adimpleant, dum satisfaciunt celebrationi centum Missarum pro incertis Benefactoribus, juxta obligationem inhærentem bonis suppressi Prioratus, in dotem Collegiatæ assignatis. De hac tamen obligatione Episcopus hæc ait = *De antiqua obligatione Priorum celebrandi Missas centum pro Benefactoribus apud me dubium non fuit* = imo paulo inferius, satis de illa se dubitare affirmat; Cæterum petitioni annui posse existimat, præcipue vero *si antiqua illa obligatio pro Benefactoribus in genere fuisset instituta*.

Certa res est, & quotidiana fere praxi comprobata, redituum tenuitatem justam præbere causam coercendi ad dies tantum festos onus Missæ Conventualis, prout evincunt plures S. hujus Congregationis resolutiones in *Narnien.* 11. *Junii* 1712., *in Spalaten.* 23. *Julii* 1729., *in Amerina* 12. *Martii* 1746., *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., *in Alexandrina* 28. *Julii* 1770. & alibi. Inquirendum proinde, quæ sit Canonicalium redituum tenuitas sive in se, & absolute, sive saltem relative ad onera a Capitulo subeunda. Expendenda notula expensarum, quæ recensentur pro manutentione duarum Ecclesiarum, & Ministrorum inservientium, pro solutione collectarum, pro taxa Seminarii, aliisque similibus. Videndum, an ratio habenda sit passivi census scut. 2200. a Capitulo impositi, ut subiret sumptus erectionis Collegiatæ, cujus fructus persolvuntur, & singulis annis scuta 32. pro illius extinctione deponuntur, quod tamen onus temporaneum est.

Episcopus de Capitularium redituum quantitate requisitus, respondit = *Ii quidem reditus, si nude per se spectentur, non adeo quidem tenues videri possunt, ut ex eo tantum capite Oratores ab obligatione Missæ, ut vocant, Conventualis, eximi debeant; quum præsertim pluris hoc tempore frumentum venire soleat, quam ex legali, uti ajunt, taxa hujus Provinciæ, quæ ad rationem scutorum quatuor in singulos modios, quos rubra appellamus, computabatur. Sed nihilominus adhuc*

se Oratores a Vobis exaudiendos confidunt, si ratio habeatur annuorum sumptuum, qui in adjunctis huic Epistolæ precibus recensentur, quosque reipsa veraciter narratos fuisse confirmare possum =.

Denique non est prætereundum, Capitularium preces eo directas esse, ut si non perpetuo, saltem ad tempus *venga sospesa la celebrazione di dette Messe quotidiane pro Benefattoribus, fin tanto che non resti almeno estinto l' enunciato censo di scudi* 2200. An autem sit annuendum, dijudicent EE. PP., a quibus quæritur.

An, & quomodo sit concedendum Indultum exemptionis ab onere applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. Julii 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRoſtant in præſenti Folio tum Cauſæ, quæ ex poſtrema Congregatione indeciſæ remanſerunt, tum aliæ, quæ ſapienti EE. VV. judicio ſubjiciuntur, ut earum definitione juſtitiæ complementum Partes aſſequantur.

NULLIUS S. ÆDISTI.

Seſs. 21. cap. 6. de Reform.

I. *An Canonicus Lupi teneatur inhabitare Domum a Teſtatore præſcriptam, in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè

II. *An quoad præteritum ſit abſolvendus a pœna, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè, & ad mentem, ſcilicet conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione. Ad II. Affirmativè facto verbo cum Sanctiſſimo.

COMEN. TRANSLATIONIS CAPELLANIÆ.

Seſs. 22. cap. 6. de Reform.

An translatio Capellaniæ ſuſtineatur, in caſu &c.

Negativè, & amplius.

NEAPOLITANA MATRIMONII.

Seſs. 24. cap. 6. de refor. Matrim.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Prævio receſſu a deciſis licere Marchioni Vincentio ingredi Religionem approbatam, & in ea profiteri, & ad mentem. Mens eſt, quod March. Catharina libera non remaneat, niſi poſt expletum a March. Vincentio integrum Tyrocinii annum, emiſſamque Profeſſionem, idque eidem Marchioniſſæ Catharinæ notificetur.

CIN-

Sess.23. cap.1. de Reform.

CINGULANA MISSÆ CONVENTUALIS.

An, & quomodo sit concedendum Indultum exemptionis ab onere applicationis Missæ Conventualis, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

Sess.22.cap.5,& sess.24. cap.3. de Reformat.

FIRMANA. Intra limites Parochiæ, quæ unica est in Castro Massiniani, adest ruralis Ecclesia in honorem Sanctorum Felicis, & Adaucti splendidè erecta. Adnexus est eidem Ecclesiæ titulus Beneficii simplicis, cujus Rector ad Ecclesiæ cultum duos retinet Capellanos, quorum alter ibi quotidie celebrat, ac Sacramentum Pœnitentiæ ministrat, alter celebrat, & applicat diebus tantum festivis. Quumque ob insignes gratias intercessione eorumdem Sanctorum a D.O.M. elargitas magna sit in eamdem Ecclesiam frequentia Fidelium nedum ex finitimis locis, sed ex tota etiam Picæni Provincia quotidie confluentium, hinc factum est, ut in vicinia eisdem Ecclesiæ plures extructæ fuerint humiles Domus veluti vicum efformantes ad habitationem Villicorum, ac nonnullorum etiam Opificum. Ob id a tempore, cujus initii memoria deest, asservari in eadem Ecclesia consuevit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut habitatoribus in ea vicinia morbo detentis præsto esset ejus Spirituale subsidium a Capellanis suppeditandum, hyemali præsertim tempore, quo intermedium flumen imbribus tumescens impedimento esse solet, ne Parochus in Castro degens eisdem ægrotis tempestivè succurrat.

Quum autem Eminentissimus Archiepiscopus in Sacra Visitatione anni 1768. animadverterit, nullum adesse pro Sacramenti retentione Apostolicum Indultum, unius anni terminum Ecclesiæ Rectori ad illud obtinendum præstituit. Rectoris tamen negligentiæ supplevit Castri Universitas, atque Parochus, obtento Indulto per literas in forma Brevis sub die 5. Maii 1770.. Loco tamen habendi gratias obtinentibus, Ecclesiæ Rector obreptionis, subreptionisque vitio accusavit Breve Apostolicum: Remissaque ex Rescripto Sanctissimi tum ejus rei, tum aliarum subortarum quæstionum notione Sacræ huic Congregationi, e re visum fuit controversias omnes in septem capita dispertire, quæ nunc definienda subijciuntur.

Quoad I. sustinent Parochus, & Universitas Massiniani, nihil in precibus fuisse expositum, quod veritati adamussim non cohæreret, omniaque relatione Eminentissimi Archiepiscopi fuisse confirmata, nihilque reticitum, quod necessariò foret exprimendum. Hinc onus Rectori inhærere concludenter probandi obreptionem, vel subreptionem *Maresc.*

ver-

*var. resolut. lib.*2. *cap* 37. *num.*69., *Rot. dec.*485. *num.*3. *&* 4. *part.*4. *tom.*2. *Recent.*, præsertim cum gratia jam fuerit exequutioni mandata *Rot. ibidem num.*5. *&* 6., advertunt insuper, quod etiamsi aliquid in supplici libello fuisset reticitum, nihilominus Summum Pontificem de omnibus fuisse certiorem redditum ab Eminentissimo Archiepiscopo, idque ad excludendam subreptionem sufficere *Text. in Leg. Idem Vulpian.* 12. *§. Sunt*, *Rot. in Recent. dec.*227. *n.*9. *par.*13. Cæterum observant, tunc solum subreptionem induci, quando circumstantia, quæ reticita fuit, vel Summum Pontificem a concessione gratiæ retraxisset, vel illum difficiliorem reddidisset *Rot. cor. Merlin. decis.*688. *n.*7., *& dec.*162. *num.*43. *par.*12. *Recent.*

Ad II. fatentur quidem, ex littera Indulti compelli non posse Rectorem Ecclesiæ SS. Felicis, & Adaucti ad retinendum in ea Sanctissimum Sacramentum; secus tamen si ratio habeatur mentis Summi Pontificis Indultum concedentis, & causæ, ob quam illud fuit concessum. Causam sanè non aliam fuisse dicunt, nisi ut prospiceretur adjacentium Incolarum necessitati, qui læthali morbo correpti, non rarò Sacramentorum auxilio destituebantur. Cogendum idcircò Rectorem ad retinendum Sanctissimum Sacramentum, ne mens, & intentio Summi Pontificis fraudata remaneat.

Addunt, post obtentum Indultum jus ipsis fuisse quæsitum ad id cogendi Rectorem vigore etiam immemorabilis consuetudinis, quam ex testibus, & ex relatione Eminentissimi Archiepiscopi resultare affirmant. Ex hac autem consuetudine præsumptionem desumi cujuscumque tituli inductivam *Rot. coram Coccin. decis.*425. *num.*5., *coram Buratt. decis.*692. *num.*6., *& coram Cerro decis.*402. *num.*2.. Hinc præsumendum, aliquam quoad tempus præteritum intercessisse conventionem, injunctamque obligationem pro retentione Ssmi Sacramenti; Maximè quia ex actis Visitationum eruitur, onus adjectum fuisse Rectori Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Populo administrandi.

Observant insuper, Indultum sumptibus Communitatis Massiniani fuisse impetratum, neque idcircò Populum privari posse commodo, atque utilitate ex eo dimanante; nec modo posse a Rectore in controversiam revocari, cum jam fuerit exequutum, *Spad. conf.*52. *num.*8. *tom.*2., *Rot. dec.*14. *n.* 7. *part.*16. *Recent.*

Quo verò ad III. contendunt, impensas pro cæra, oleo, aliisque Ecclesiæ servitio necessariis detrahendas esse ex reditibus Præbendæ Rectoralis SS. Felicis, & Adaucti *Can. Nemo distinct.*1. *de Consecr.*, *Can. Placuit* 1. *eodem tit.*, *Barbos. de offic.*, *& pot est. Paroch. part.*2. *cap.*20. *num.*3.. Nec hujusmodi detractionem ullius fore momenti habita ratione ad annuum reditum scut.300., qui a Rectore percipiuntur. Præ-

fer-

fertim quia oleum fuit semper a Rectoribus subministratum, idque fassum fuisse dicunt hodiernum Rectorem, qui in precibus oblatis Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, inter alia onera, quibus se gravatum asseruit, impensam pro lampade recensuit. Demum hujusmodi onus Rectori inhærere vi immemorabilis consuetudinis, cui consona est traditio, ac fama de legato a quadam Muliere relicto pro oleo, de qua traditione Testes deponunt.

Inquiunt ad IV., cuique Parocho jus esse exercendi jura Parochialia in quibuscumque Ecclesiis intra limites suæ Parochiæ existentibus, ad *Text. in Clem. Dudum de Sepultur.*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Paroch. part. 2. cap. 26. num. 66.*, *Rot. dec. 348. per tot.*, *& decis. 124. num. 1. & seq. part. 12. Recent.*. Idque multo magis convenire Parocho Massiniani, tum ob Populorum necessitatem, qui hyberno tempore Parochialem adire nequeunt, tum etiam vigore immemorabilis consuetudinis, de qua Testes, Sacrarum Visitationum libri, & Parochiales codices fidem perhibent.

Eamdemque consuetudinem allegant quoad V. dubium, dum contendunt, teneri Capellanos administrare Populo Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, etiam in casu infirmitatis, quemadmodum retroactis temporibus observatum fuisse dicunt: Præsertim ob impossibilitatem recipiendi Sacramenta a Parochiali: Idque æquitati, ac justitiæ consonum esse, cum omnia, quæ Ecclesia possidet, a Populi pietate fuerint elargita.

In VI. dubio agitur de cogendo Rectore, & Capellanis ad exponendum singulis diebus Dominicis Sacram Hostiam, atque in hoc etiam immemorabili nituntur consuetudine, de qua Eminentissimum A chiepiscopum meminisse asserunt.

Ad VII. denique expedire ajunt, ut quælibet Ecclesia habeat Archivum, in quo Scripturæ ad eam pertinentes serventur *Cap. Ad audientiam 14. de præscript.*, ibique *Barbos. num. 5.*, ne alias deperditionis periculo subjaceant, vel aditus Populo intercludatur illas, cum opus fuerit, inspiciendi: Atque hoc ipsum decreto Eminentissimi Archiepiscopi demandatum fuisse sustinent.

Rector Ecclesiæ SS. Felicis, & Adaucti nihil hactenus deduxit. Cæterum Sacramentum in Ecclesia retinet, oleum pro lampade præbet, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per Capellanos administrat, & jurium Parochialium exercitium Parocho Massiniani non impedit.

Nota sunt, quæ de retinendo Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento in Ecclesiis non Parochialibus, deque jurium Parochialium in iisdem Ecclesiis exercitio, Sacri Canones disponunt. Ponderandum itaque in facto, quod ex actis Visitationis anni 1664. resultat, asservatum in Ecclesia SS. Fe-

SS. Felicis, & Adaucti fuisse Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum : Idque ipsum desumitur ex Visitatione anni 1687., ex qua insuper deprehenditur, unum ex Capellanis teneri administrare Populo Sacramentum Pœnitentiæ, & quotidie in Ecclesia celebrare ; alterum verò, qui Sacristæ munere fungitur obstrictum esse singulis festis diebus de præcepto ad Sacrificii celebrationem, & applicationem.

Ex iisdem quoque Visitationibus habetur, Parochum Castri Massiniani, in cujus districtu memorata Ecclesia sita est, functiones omnes Parochiales occasione funerum exercuisse, eoque impedito illas a Capellanis Ecclesiæ fuisse peractas ; Et hoc etiam colligitur ex Visitatione anni 1695., atque ex altera anni 1699., in qua ulterius injunctum legitur Capellanis onus docendi Fidei rudimenta Rusticos Societatis S. Isidori. Eadem repetuntur ex Visitatione annorum 1711., & 1715., atque in aliis, quæ gestæ fuerunt annis 1722., & 1728., mandatum deprehenditur utrique Capellano, ut Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Populo administraret.

Præter hæc habendæ præ oculis sunt partitæ extractæ ex Libris Defunctorum Parochialis Ecclesiæ Massiniani, nec non Testium depositiones, quæ inter monumenta Causæ recensentur, ut omnibus maturè perpensis Eminentissimi PP. definiant

I. *An constet de obreptione, vel subreptione Brevis, seu Indulti Apostolici concedentis facultatem retinendi in Ecclesia SS. Felicis, & Adaucti Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in casu &c.*

Et quatenus negativè

II. *An Rector, & Capellani cogi possint ad retinendum in dicta Ecclesia Augustissimum Sacramentum, in casu &c.*

III. *An Rector, & Capellani dictæ Ecclesiæ teneantur subministrare Oleum pro lampade ante idem Sanctissimum Sacramentum ardente, in casu &c.*

IV. *An eadem Ecclesia SS. Felicis, & Adaucti sit subjecta Parocho Massiniani, itaut dictus Parochus valeat in ea Parochialia jura exercere, in casu &c.*

V. *An Capellani pro tempore in dicta Ecclesia existentes teneantur subministrare Populo etiam in casu infirmitatis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, in casu &c.*

VI. *An Rector, & Capellani pro tempore teneantur exponere in dicta Ecclesia Sanctissimum Sacramentum singulis diebus Dominicis, & festis, & cum eo benedicere Populo, quoties Habitatores expensas in id necessarias subeant, in casu &c.*

VII. *An Rectori prædicto liceat retinere extra Ecclesiam, & Diœcesim libros, aliasque Scripturas respicientes jura, & legata, seu aliudquodcumque Ecclesiæ interesse, in casu &c.*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FULGINATEN. Post demandatam a Petro Calcioni celebrationem Missarum 300. perficiendam in circulo unius anni in privilegiato Altari Cathedralis Ecclesiæ Fulginatensis, hæredem testamento nuncupavit animam suam, præcepitque, ut bona omnia tam stabilia, quam mobilia venderentur *colla maggior sollecitudine per il prezzo, o prezzi reperibili, ed accettandi*, ad effectum erogandi pretium in celebrationem aliarum Missarum *in quelle Chiese, e da quei Sacerdoti, che pareranno, e piaceranno all'infrascritto Esecutore Testamentario*. Hoc autem officium commisit Sacerdoti Josepho Moretti ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Priori.

Post obitum Testatoris fategit Sacerdos Moretti, ut omnia sedulo exequerentur, adimpletaque celebratione Missarum 300. juxta modum in testamento præscriptum, manum admovit venditioni bonorum, ac præsertim unius prædii, quod Periti æstimarunt scutis 950. Verum affixis ædictis, major oblatio adinventa non est, quam scut. 900., & quidem ea conditione, ut solutis in numerato scutis quingentis, pro reliquis scutis 400. celebrarentur in qualibet beneviſa Ecclesia spatio decennii tot Missæ, quot eidem summæ responderent. Spretis proinde duabus inferioribus oblationibus, quarum una abibat ad scuta 700., altera verò ad scuta 722. prædium majori Licitatori ad formam oblationis fuit deliberatum.

Dubitans autem testamentarius Exequutor, ne quid minus rectè egerit, aut in proprio munere defecerit, ob concessam oblatori decennalem dilationem, tributamque facultatem adimplendi in qualibet Ecclesia Missarum celebrationem, judicium EE.VV. pro conscientiæ serenitate hac de re requirit. Et quemadmodum datum eidem huc usque non fuit nonnullos libros numerata pecunia vendere, & difficilis sit illorum venditio, nisi cum aliqua dilatione, & habita fide de pretio, idcircò supplicat, ut decernatur, an valeat hoc modo inire contractum.

Quoad I. in nihilo defeciſſe putat circa prædii venditionem, cum Testator Missas tantum 300. intra terminum unius anni celebrari mandaverit, sed in reliquis nullam temporis præfinitioem adjecerit, atque idcircò rem omnem prudenti Exequutoris arbitrio committere voluerit. Prudens autem arbitrium suaſiſſe, ut major oblatio scutorum 900., etiam cum decennali dilatione quoad partem, aliis inferioribus scutorum 700., & 722. præferretur. Nec obeſſe, quod Testator rem omnem perfici voluerit *colla maggior sollecitudine*, cum id ipsum juxta circumstantias intelligi debeat, nec præsumi possit, ut pro magis celeri executione venditionem prædii minori pretio permittere voluerit.

Addit, quod licet Testator certam Ecclesiam Cathedralem, certumque Altare privilegiatum pro adimplenda tercentum

tum Missarum celebratione designaverit, nihilominus pro reliquis Missis nullam Ecclesiam, nullumque Altare præscripserit; sed immò illas celebrare voluerit *in quelle Chiese, e da quei Sacerdoti, che pareranno, e piaceranno all'infrascritto Esecatore testamentario*. Concludit itaque, a Testatoris dispositione in nihilo recessisse.

Quo vero ad II. liberum sibi esse putat librorum, qui adhuc invenditi sunt, venditionem exequi habita fide de pretio, & cum dilatione Emptori impertienda. Asserit enim spem omnem deesse inveniendi Emptorem, qui numerata pecunia illos comparare velit, proindeque ne diutius invenditi remaneant, & Testatoris voluntas fraudetur, necesse fore, ut possibili, ac faciliori modo vendantur, & pii hominis dispositio exequutioni mandetur.

Episcopus, qui Sacerdotis Moretti probitatem, atque integritatem commendat, nullum censet oriri posse dubium quoad arbitrium Exequutori competens adimplendi Missarum celebrationi in qualibet benevisa Ecclesia, cum illud expresse tributum dignoscatur. Quo verò ad tempus, quo Testatoris voluntas adimpleri debeat, hæc ait = *Sin ea, quam Testator præcepit celeritas obtineri neutiquam potuit ob conditiones, quas emptor in oblationibus apposuit, voluitque, non dicam culpæ, sed ne defectui quidem est testamentario Exequutori ducendum, præsertim quia idem, prævia Editorum affixione, bona hæreditaria ultimo, ac meliori Oblatori tanti venundare arbitratus est, quanti fuerunt a Peritis pretio æstimata.*

Dijudicent ergo EE. PP.

I. *An constet de adimplemento voluntatis quondam Petri Calcioni, in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit providendum, in casu &c.*

ROMANA. Franciscus Fusconi institutis hæredibus suis ex fratre Nepotibus, istorumque vocatis descendentibus, post eorum deficientiam substituit Ven. Monasterium Sancti Cosmatis in bonis Urbis, & in bonis Nursiæ Ven. Monasterium S. Mariæ de Pace ejusdem Civitatis. Onus utrique Monasterio injunxit recipiendi, admittendique absque ulla Dotis solutione ad regularem professionem duas pauperes Puellas, iisque defectis alias perpetuò subrogandi. Per obitum Marchionissæ Franciscæ de Sparapanis factus est locus substitutioni, sed bonorum hæreditariorum possessionem diu Monasterio contradixerunt tum Camera Capitulina, vindicare contendens nonnullas marmoreas Statuas, quas fideicommisso Adriani de Fusconibus subiectas putabat, tum etiam alii de gente Fusconia, qui suam vocationem ad hæreditatem Franciscí viriliter proponebant. Memoratos tamen Contradictores repulit Sacra Ro- *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

ta, quæ Monasterio S. Cosmatis tribuit *immissionem ad Palatium insulam faciens inter Plateam Farnesiam, & Campi Floris, cum omnibus Domibus, & Apothecis adhærentibus una cum statuis, & lapidibus pretiosis.*

His superatis litibus, aliam excitarunt Fratres de Borgia hæredes Marchionissę de Sparapanis, qui ex juribus ejusdem Marchionissæ quamdam Domum, & Apothecam vindicarunt. Præterea Comes Mauritius Ferreri, hæreditario nomine Alexandri Pichini junioris, qui fuit alter ex possessoribus Fideicommissi Fusconi, restitutionem postulavit conspicuæ summæ, quam in meliorationes Palatii fideicommissarii erogatam fuisse contendit. Et quamvis super hac re favore Monasterii Rotæ Decisio prodierit, beneficio tamen novæ Audientiæ Actori impartitæ illa revisioni subest, & incertus est exitus ejusdem Litis. Ac demum litem alteram minatur Monasterium S. Mariæ de Pace Civitatis Nursiæ; Contendens enim, plura bona, ad quæ fuerat substitutum, alienata extitisse ab hæredibus gravatis, pretiumque in fabricam Palatii Urbis conversum, jactat, sese quam primum reintegrationis actionem esse instituturum.

Exploratis autem interea temporis hæreditatis viribus compertum est, eam pluribus gravatam esse censibus ad summam usque scut. 17637., deductisque annuis fructibus in quantitate scut. 545. 68., aliisque sumptibus in reparationes perneccsse erogandis, deprehensum est, ex hæreditariis reditibus vix supereste annua scuta 66. 50., & quidem incerta, quia reditus subsunt periculo dislocationis alicujus partis Palatii fideicommissarii, ut habetur ex calculo Ratiocinatoris, qui EE. VV. circumfertur. Ut igitur aliqua in parte dimitti possit æs alienum, quo hereditas gravata est, auctoritate S. Congregationis Episcoporum, & Regularium vendita fuit pars statuarum, & lapidum pretio scut. 4000., quæ in extinctionem duorum censuum erogata fuerunt; cumque extinctorum censuum fructus singulis annis persolverentur in summa scut. 138. 47., providè mandavit Emus Protector, ut eadem summa inposterum etiam in æde Sacra deponeretur, ad effectum illam erogandi in aliorum censuum extinctionem, eamdemque methodum servandam præcepit, si datum erit statuas reliquas lapidesque distrahere, donec hæreditas ab onere omnium censuum soluta fuerit.

In his idcirco circumstantiis Monialium nomine preces SSmo Domino Nostro oblatæ sunt, ut suspensionem demandare dignaretur oneris recipiendi, admittendique ad habitum duas pauperes Puellas, usque dum omnia hæreditatis debita dimittantur, & Monasterium expensarum omnium, quas ære proprio in lites erogavit, reintegrationem fuerit assequutum.

Su-

Super hac petitione, quæ EE. VV. judicio remissa fuit, animadvertunt Moniales, ex hæreditariis Francisci Fusconi bonis, deductis aliis oneribus, exiguam tantùm summam scut. 66. 50., & quidem incertam modò retrahi, quæ adimplendæ illius voluntati impar omninò deprehenditur. Nec quidquam utilitatis ex jam sequuta aliorum censuum extinctione in Monasterium rediisse, cum eamdem summam, quam pro fructibus antea persolvere debebat, deponere imposterum teneatur, quo usque summa conficiatur, quæ omnium censuum extinctioni sufficiat.

Addunt, habendam quoque esse rationem conspicuæ quantitatis expensarum, quas pro tuendis juribus hæreditatis Francisci Fusconi Monasterium de propriis pecuniis debuit erogare, proindeque æquum esse, ut de hisce expensis reintegrationem assequatur, antequam illius voluntas exequutioni mandetur.

Monialium petitionem æquitati consonam censet Eminentissimus Protector, qui de sua sententia requisitus, hæc ait= *Petitam suspensionem ad biennium dumtaxat concederem, & conditionem quoque adiungerem, ut quod supereſt de reditibus prædictæ hæreditatis, deductis expensis, & annuis fructibus censuum, id totum penes eadem Sacram interim deponatur, & in censuum extinctionem erogetur.*

Viderint Emi PP., qua ratione Monialium petitio excipi mereatur, dum quæritur.

An, & quomodo Oratricum precibus sit annuendum in casu &c.

CALARITANA. Quo tempore sex Beneficiati Cathedralis Ecclesiæ Calaritanæ facti sunt totidem Canonici nuncupati *de Stallo*, sive *de folio*, inita cum antiquioribus Canonicis *de Præbenda* concordia fuit, auctoritate sa. mem. Urbani VIII. per Litteras Apostolicas in forma specifica confirmata, atque statutum, ut antiquiores Canonici tenerentur *intuonare l'Invitatorio negl'Offizj Canonicali, e Pontificali*: in aliis verò Officiis duplicibus duo ex recentioribus Canonicis *scenderanno ad intuonare l'antifone seconda, e terza*; in reliquis verò *s'osservi, e s'adempia il lodevole, ed antico costume di questa Chiesa Primaziale*. Nonnullis autem exortis dubiis super istius concordiæ intelligentia, omnia quæstionum capita ad Sacram Congregationem fuerunt delata, atque inter cætera disputatum fuit IV. *An prædicti Canonici* (nempe de folio) *possint canere Antiphonas, & Invitatoria ex propriis Stallis, seu potius teneantur pro iis canendis accedere ad Faldistorium* = & die 17. Januarii 1761. prodiit responsum = *servetur solitum* = quod confirmatum fuit in nova dubii discussione habita die 14. Februarii 1767. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Non acquieverunt huic responso Canonici de folio, & non satis sibi consultum putantes, die 4. Maii 1771. dubium pro-

propoſuerunt = *An ſex Canonici nuncupat. de Stallo excepta intonatione Invitatorii in Officiis Canonicalibus, & Pontificalibus, ac ſecunda, & tertia Antiphona in Officiis duplicibus, alias Antiphonas ex propriis Stallis, uti cæteri Canonici nuncupat. de Præbenda ſemper, & quandocumque canere, & intonare valeant, ita ut ſit ſtandum, vel recedendum a quarto loco deciſis ſub die 14. Februarii 1767. in caſu &c.* = Cumque eadem die perſtitum fuerit *in deciſis*, idcirco Canonici de ſolio iterum jura ſua deducere conantur.

Aſſerunt enim, ipſos æquè eſſe Canonicos, ac ſunt alii de Præbenda, qui pro canendis Antiphonis, & Invitatoriis nunquam ad Faldiſtorium deſcendunt. Incongruum proindè eſſe, ut ipſi tantummodò ad Faldiſtorium deſcendere cogantur, & in eodem corpore admittatur diſparitas inter ejus membra: Et quamvis in concordia aliqua invecta fuerit differentia, hæc nihilominus protrahi non debeat ultrà id, quod in illa legitur expreſſum. In ea quidem fuiſſe conventum, ut Invitatorium in Officiis Pontificalibus, & Canonicalibus, Antiphona verò ſecunda, & tertia in Officiis duplicibus propè Faldiſtorium eſſet incohanda, & conſtitutum quoque fuiſſe, ut in reliquis eſſet inter omnes æqualitas, *ſervato in reliquis intonationibus, & Cæremoniis laudabili de more ipſius Majoris Eccleſiæ ſtylo*. Non ergo licere a concordiæ littera recedere, nec excipiendum quidquid in illa non fuerit exceptum, Præſertim quia concordia Apoſtolica auctoritate roborata, & clauſula *ſublata*, ac decreto irritanti munita reperitur, & propterea corruptelam eſſe, & abuſum, ſi quid innovari præſumatur.

Accedere, quod Coadiutores Canonici de Præbenda, qui verè Canonici dici non poſſunt, Antiphonas canunt abſque eo quod a proprio loco diſcedant, proindeque indecorum, atque inconveniens fore, ut ii tanquam digniores habeantur, & præferantur Canonicis de Solio, qui verè, & propriè Canonici dicuntur, & ſunt. Denique advertunt, Canonicos de Præbenda ſæpius interpellatos, nihil oppoſuiſſe, atque idcircò eo facilius petitioni eſſe annuendum.

Nihil in hac cauſa addendum videtur. Quidquid enim erat animadvertendum, deductum fuit in præcedentibus foliis, pro quorum reaſſumptione Emi PP. deprecantur, ut tandem dijudicent.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Seff. 22. cap. 6. de Ref.

MELEVITANA LEGATI PII. Henricus Magi Melitenſis in ſuo Teſtamento quod condidit anno 1761., & in Codicillis confectis *anno* 1764. hæredes in uſufructu inſtituit *Innocentium Fratrem*, & *Beatricem*, ac *Joſephan Sorores* cum reciproca ſubſtitutione, hiſque omnibus vita functis, plura legata pia ordinavit, ſuæque voluntatis exe-

executorem elegit Parochum pro tempore Ecclesiæ Parochialis Portus salutis Civitatis Vallette, quæ commendata reperitur Patribus Ordinis S. Dominici, quibus etiam legatum annuorum scut. 72. illius monetæ cum onere unius Missæ quotidianæ reliquit, addita lege, ut impletis legatis quidquid superfuerit ex annuis reditibus distribueretur pauperibus fœminis districtus ejusdem Parochiæ in die', quo Sacra Synaxi per modum Viatici refectæ fuerint, ita tamen ut si quid adhuc annuatim supereſſet, in celebrationem tot Missarum infra mensem erogari deberet.

E vivis jam excesserunt *Innocentius*, & *Beatrix*, atque unica modo supereſt *Josepha* ex hæredibus usufructariis. Hæc autem optans, ut pia Fratris voluntas celerius impleatur, post obtentam ex Sententia Curiæ Episcopalis bonorum suorum a bonis hæreditariis separationem, judicialiter tam Parochum Ecclesiæ Portus Salutis, quam Procuratorem Conventus Ordinis Prædicatorum lacessivit ad declarandum, vellent nec ne piam Fratris defuncti hæreditatem cum connexis oneribus acceptare. Sed hisce renuentibus animum declarare, preces dedit Sacræ huic Congregationi, ut posset hæreditatem cum oneribus in Testamento, & Codicillis præscriptis transferre ad Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti erectam in eadem Ecclesia Parochiali Portus salutis, ex cujus instituto tenentur Confratres associare SSmum Viaticum, hac vero etiam renuente, ut posset eamdem hæreditatem in aliam Parochialem Ecclesiam transferre.

Datis autem Episcopo Littèris, ut singulis interesse habentibus auditis Sacram Congregationem super expositis instructam redderet, iterum Parochus, & Prior Conventus, licet pluries interpellati, constanter renuerunt animum declarare, etiamsi Josepha oratrix pro uberiori legatorum implemento alia annua scuta decem de proprio superaddidisset. Propositis tamen precibus in Congregatione *diei* 8. *Junii* 1771. rescriptum fuit *Episcopo, qui auctoritate Sacræ Congregationis brevem, & peremptorium prefigat terminum tam Parocho, quam Patribus Conventus S. Dominici, seu Portus salutis ad declarandum, an velint acceptare dispositionem Henrici Magi, nec non ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione, itemque audiat Officiales Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti ejusdem Parochialis Portus salutis, vel quatenus renuant, Rectores aliarum Ecclesiarum, seu Locorum Piorum, qui parati sint acceptare præditam dispositionem Henrici Magi.*

Hæc omnia impleta fuerunt. Terminus præfixus est tam Parocho, quam memoratis Religiosis ad declarandum, & jura deducenda, at adhuc contùmaces sunt, nec jura sua deducunt. Auditi vero Confratres Sodalitii, hi se paratos declararunt ad acceptandam hæreditatem præfati Henrici, dumodo tamen Confraternitas nullo unquam tempore,

re, nullaque ex causa teneatur quidquam de proprio erogare in implementum dictæ dispositionis, sed tantum hanc exequi valeat juxta quantitatem redituum bonorum, & fructuum hereditatis. Hisce proinde sic stantibus, nunc iterum quærendum, an Oratricis precibus sit annuendum pro translatione dictæ hæreditatis in sodalitium SSmi Sacramenti.

Inquit Josepha Oratrix, non semel, sed pluries auctoritate etiam Sacræ hujus Congregationis interpellatos fuisse tam Parochum Ecclesiæ Portus salutis, quam Procuratorem Conventus Ordinis Prædicatorum ad declarandum, an velint, nec ne relictam hæreditatem acceptare: hos vero semper contumaces fuisse, nec hæreditatem acceptasse, ideoque eam pro repudiata habendam esse *Amostaz. de Cauf. piis lib. 2. cap. 6. num. 5.*, *& seqq.*. Necessitatem ideo urgere, ut alteri committatur executio voluntatis Testatoris ad hoc, ut pauperes infirmæ relictum consequantur auxilium, & pia disponentis voluntas quanto citius promeritum obtineat effectum.

Hinc spectandum non esse, an subrogatio Sodalitii commutationem voluntatis Testatoris secumferat; Ita enim urgere necessitatem ob contumaciam executoris a Testatore præelecti: At urgente necessitate commutandam esse voluntatem, ne alias hæc debito careat effectu. Potissimum vero, quando, prout in casu, in nihilo substantia voluntatis mutatur, sed integra adhuc servantur omnia, & singula onera a Testatore præscripta, ita ut commutatio personam tantum executoris, non vero executionis substantiam respiciat.

Episcopus post relatam contumaciam tam Parochi, quam Prioris Conventus, adjuvans piam Oratricis voluntatem celerius exequendi ipsa vivente Fratris dispositionem, concludit, *& quidem pia non minus, quam æqua mihi videtur recurrentis petitio, eique annuendum arbitror.*

Maxime expedit, ut pia Oratricis voluntas celerius exequendi defuncti Fratris dispositionem executioni demandetur. Parochus enim, & Prior Conventus Portus salutis, licet interpellati, oblatam hæreditatem non acceptarunt: Pro repudiata itaque habenda est *Amostaz de cauf. piis lib. 8. cap. 6. num. 5.*, *& seqq.* Videndum, an illius executio alteri sit comittenda, ne diutius effectu careat cum gravi damno fæminarum pauperum infirmarum, quibus Testator maxime prospicere voluit.

Itaque inquirendum, an executio committenda sit sodalitio SSmi Sacramenti, & an conditiones ab eodem adjectæ in actu acceptationis sint admittendæ, vel saltem quibus cautelis sint moderandæ. Judicium hac de re erit Emorum PP., quibus definiendum proponitur.

An, & quomodo Oratricis precibus sit annuendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 8. Augusti 1772. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes Causæ adjiciuntur aliis, quæ ex præterita Congregatione indecisæ remanserunt. De omnibus Sapientissimum EE. VV. judicium exquiritur.

CINGULANA MISSÆ CONVENTUALIS. *Sess.23. cap.1. de Reform.*

An, & quomodo sit concedendum Indultum exemptionis ab onere applicationis Missæ Conventualis, in casu &c.

Affirmativè pro diebus ferialibus tantùm, & donec extinguatur census scutorum 2200.

FIRMANA.

I. *An constet de obreptione, vel subreptione Brevis, seù Indulti Apostolici concedentis facultatem retinendi in Ecclesia SS. Felicis, & Adaucti Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, in casu &c.* *Sess.22.cap.5., & sess.24. cap.3. de Reformat.*

Et quatenus negativè

II. *An Rector, & Capellani cogi possint ad retinendum in dicta Ecclesia Augustissimum Sacramentum, in casu &c.*

III. *An Rector, & Capellani dictæ Ecclesiæ teneantur subministrare oleum pro lampade ante idem Sanctissimum Sacramentum ardente, in casu &c.*

IV. *An eadem Ecclesia SS. Felicis, & Adaucti sit subjecta Paroccho Massiniani, itaut dictus Parochus valeat in ea Parochialia jura exercere, in casu &c.*

V. *An Capellani pro tempore in dicta Ecclesia existentes teneantur subministrare Populo etiam in casu infirmitatis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, in casu &c.*

VI. *An Rector, & Capellani pro tempore teneantur exponere in dicta Ecclesia Sanctissimum Sacramentum singulis diebus Dominicis, & festis, & cum eo benedicere Populo, quo-*

ties Habitatores expensas in id necessarias subeant , in casu &c.

VII. *An Rectori prædicto liceat retinere extra Ecclesiam , & Diœcesim libros , aliasque Scripturas respicientes jura , & legata , seu aliud quodcumque Ecclesiæ interesse , in casu &c.*

Ad I. Negativè . Ad II. Affirmativè , & amplius. Ad III. Affirmativè quoad Rectorem , & amplius . Ad IV. Quoad Jura Parochialia tantùm Affirmativè. Ad V. Affirmativè intra Ecclesiam , & amplius, extra verò Ecclesiam Affimativè in casu necessitatis tantùm. Ad VI. Dilata , coadjuventur probationes, & scribatur Emo Archiepiscopo juxta instructionem . Ad VII. Servetur Edictum Emi Archiepiscopi .

Sess.22. cap.6. de Reform.

FULGINATEN.

I. *An constet de adimplemento voluntatis quondam Petri Calcioni, in casu &c.*

II. *An , & quomodo sit providendum , in casu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Arbitrio Episcopi cum facultatibus .

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA .

An , & quomodo Oratricum precibus sit annuendum, in casu &c.

Non proposita , cum reliquis .

Sess.24. cap.12. de Reform.

CALARITANA .

An sit standum , vel recedendum a decisis , in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reform.

MELEVITANA .

An, & quomodo Oratricis precibus sit annuendum, in casu &c.

THEA-

THEATINA MATRIMONII. Ex triplici capite Nobilis Actrix Anna Maria Leognani Ferramosca nullitatis accusavit suum Matrimonium cum Ignatio de Dura Duce Collis Petri, ex eo nimirum, quia Pater ejus Alanni Dux compluribus minis ad illud contrahendum ipsam adegit invitam, ex defectu insuper suæ legitimæ ætatis, tunc non excedentis annos undecim, menses novem, & dies viginti quinque, & demum ex deficientia proprii Parochi, quum Matrimonio interfuerit solus Archipresbyter Oppidi Cattiniani, qui neutrius ex Contrahentibus Parochus erat. Hac re proposita in Congregatione diei 16. Martii anni elapsi, visum fuit, aliquid deesse probationibus allatis, qua de re ampliata resolutione demandare placuit, ut eæ coadjuvarentur, & interim Archiepiscopo Theatino scriberetur, ut formali examini subjiceret Ducissam Olimpiam Valignani Puellæ Matrem, Archipresbyterum Catiniani, reliquosque Testes; & jura a Defensore Matrimonii in partibus exhibenda reciperet. *Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

Omnibus ab Archiepiscopo adimpletis excepto examine Archipresbyteri, quia mors eum è vita antea eripuerat, remissoque Processu, Defensor Annæ Mariæ tria, quæ proposuerat nullitatis capita, jam pleniſſimè probata contendit. Denuò proindè repetit, Ducem Alanni Patrem omnes adhibuisse minas, & violentias, ut renuentem Filiam ad invisas nuptias compelleret, eamque pluries atrocibus verbis increpasse, pluries etiam comminatum fuisse exhæredationem, ac relegationem in Monasterium, ac devenisse etiam ad actum proximum illam percutiendi, ità ut Filia timore percita, contremiscens, & lacrymis madefacta apud Matrem sese receperit, ut furentis Patris indignationem effugeret.

Hæc omnia resultare ex jurata Matris depositione asserit, eamque inutiliter officia interposuisse, ut vehementes Ducis Alanni motus, atque iram compesceret. Addit, in ipso actu celebrati Matrimonii adstitisse Patrem minaci vultu, & trucibus oculis filiam intuentem, ne dissentiret; cumque post Matrimonium perrexerit Anna Maria suam avversionem, & repugnantiam patefacere, & a Viro aufugerit, immò Matrimonii nullitatem deducere professa fuerit, nihilominus a minis, ab objurgationibus, & a sævitiis non destitisse Patrem, qui eo devenit, ut Feudum Cattiniani Duci de Dura venderet. De his autem dubitari non posse affirmat, quia tum a Testibus in priori Causæ propositione adductis, tum ab aliis in novo processu relatis, tum etiam a Matris depositione probata noscuntur, & accedit etiam ipsius Ducis Alanni Patris testimonium, qui morti proximus, ac conscientiæ stimulis percitus, juramento fassus est violentias Filiæ illatas, ut eam ad invitum Matrimonium adigeret.

Neque amplius opponi poſſe exiſtimat, vel quod Dux Alanni Pater, dum declarationem emiſit, non eſſet compos ſui; vel quod Teſtes utpote Familiares, & Conſanguinei attendi minimè debeant. Primum enim objectum eliminatum dicit ex Medicorum judicio, & ex depoſitione Confeſſarii, qui omnes de perfecta Ducis Alanni cognitione, rectaque intelligentia, & diſcretione teſtantur. Ad alterum verò reſpondet, Teſtes etiam Conſanguineos, & Familiares admitti ad eruendas coactiones, & ſævitias, quæ non palam, ſed inter domeſticos parietes adhiberi ſolent. Cæterum advertit, quemcumque defectum ex Teſtium numero, & qualitate abundè ſuppleri; nec deeſſe plures Teſtes ad inſtantiam Defenſoris Matrimonii nuper in partibus examinatos, qui aliorum Teſtium dicta confirmarunt,

Atque hæc quoad vim, & metum a Duce Alanni Patre Annæ Mariæ inculſum. Quo verò ad alterum nullitatis caput deſumptum ex imbecilli Annæ Mariæ ætate, ejuſque ad copulam inhabilitate, præter Teſtes jam præcedenter adductos, alii modo cumulantur examini nuper ſubjecti, & ex his affertur præcipuè Matris teſtimonium aſſerentis, Filiam nec corporis habitu, nec mentis cognitione aptam fuiſſe ad matrimonium, cum inter pueriles nugas quotidiè verſaretur,

Denique, quod attinet ad tertium nullitatis caput, contendit, Matrimonium fuiſſe contractum coram Archipresbytero Cattiniani de licentia Abbatis Murronenſis, qui nullius ex Contrahentibus Parochus erat, idque ſatis probatum dicit ex particula extracta a Libro Parochiali Archipresbyteralis Eccleſiæ Cattiniani; Ex atteſtatione memorati Archipresbyteri; ex Epiſtola ab eo ſcripta Duciſſæ Matri, atque ex plurium Teſtium depoſitionibus. Horum itaque è conſpectu deſpiciendam dicit poſtremam ſupradicti Archipresbyteri depoſitionem, quum falſa deprehendatur tum ex ipſius Archipresbyteri declaratione, qui ad priorem atteſtationem emittendam coactum ſe dixit a Parocho Cathedralis, tum ex jurato alterius Teſtis, & Duciſſæ Matris teſtimonio, quod in novo Proceſſu exhibetur.

Ex his ergo ſatis conſtare ſuſtinet de nullitate Matrimonii, quod tamen nunquam conſummatum fuiſſe contendit, idque reſultare affirmat ex juramento ſeptimæ manus Propinquorum tum ex parte Viri, tum ex parte Mulieris, nec non ex inſpectione Corporis Mulieris ab Obſtetricibus facta, & ex depoſitione Matris aſſerentis, Ducem de Dura nunquam valuiſſe renuentem, atque immaturam Puellam comprimere. Hinc arguit, Matrimonium etiamſi validum eſſet, nihilominus auctoritate Summi Pontificis fore dirimendum, ad evadendas diſſentiones, odia, & ſcandala,

quæ

quæ oriri possent, neque in his circumstantiis dispensationem denegari consuevisse *Corrad. in prax. dispens. lib.8. cap.7. num.33. in fin.*, *& num.35.*, *Card. de Luc. de Matrimon. discur.7. num.7.*, *& discur.9. num.7.*, *& 15.*, *Vrsaya disceptat. Eccles. tom.2. part.1.*, *& disceptat.3. num.45.*

Defensor vero Matrimonii ex officio iterum animadvertendum proponit, quod cum res sit de causa gravissima, scilicet de Matrimonio in faciem Ecclesiæ contracto, in quo adest periculum dissolvendi vinculum divina institutione prorsus indissolubile, probationes requiruntur omninò concludentes, & testes omni exceptione majores, *Cap. In Litteris de testib.*, *& attestat.*, *Cap. Super. eo*, *qui cogn. Consanguin.*, *cap.5. de consanguinit*, *& affinit.*. Rejiciendos proinde Testes, qui adducti fuerunt ad probandam coactionem, & ad demonstrandam Puellæ inhabilitatem, vel quia extrajudiciales, & informes *Constit. fan. mem. Benedicti XIV. Dei miseratione §. Quoad ordinem §. Quoad officium*, *& §. Et demum*; vel quia viles, vel etiam quia consanguinei, affines, & intrinseci Familiares, *citat. Cap. In litteris de testib.*, *& leg.2. eod. tit.*, *Rot. in Recent. decis.129. num.16. part.18. tom.1.*, *& decis.37. num.6. part.19. tom.1.*. Rejiciendas pariter postremas tum Ducissæ Matris, tum aliorum Testium depositiones, quia præsumitur Matrem obsecundare voluisse Filiæ voluntati; Testes verò fere omnes de auditu deponere; Atque inverosimile prorsus esse, Patrem amantissimum unicam Filiam, quam diligebat, ad invitas nuptias compellere voluisse.

Omnem autem Testibus fidem sublatam dicit ex testimonio Archiepiscopi Theatini, ejusque Vicarii Generalis, qui Puellæ voluntatem exploravit, nam uterque affirmat Annam Mariam non minis, non violentiis, non blanditiis, sed sponte sua consensum in Matrimonium præstitisse. Siquidem Archiepiscopus ait, ipsam planè instructam agnovisse de oneribus status conjugalis, in eaque deprehendisse *la di lei giusta capacità*, *e malizia conveniente sù tal proposito*, *coll'inclinazione di passare all'ultimazione del Matrmonio*. Vicarius autem Generalis, qui Puellam interrogavit, responsum accepit, *che sapeva benissimo*, *che cosa era Matrimonio*, *e che era pronta a congiungersi in Matrimonio col detto Signor Duca de Dura*. In decernendo autem, an Puella esset Viri potens, & an malitia suppleret ætatem, sustinet, standum esse judicio Ordinarii, *Fagnan. in cap. De Illis de desponsat. impuber. num.47.*

Objicit post hæc, haud attendendas esse depositiones Medici *Menicula*, & alterius Medicinæ Professoris *Nicolai Pachetti*, quia uterque deponit de auditu ab ipsa Anna Maria, vel ab ejus Matre, & eorum depositiones Matrimonii tempus non respiciunt. Nullam similiter habendam esse rationem de iteratis corporis Puellæ inspectionibus ab

Ob-

Obstetricibus factis, cum hujusmodi recognitiones nihil ad excludendam pubertatem, aut malitiam conferre possint. Ad dignoscendam denique Puellæ capacitatem necessarios non fuisse dicit Testes, aut Peritos, cum idoneitatis cognitio ad Ordinarium pertineat, idque ejus prudentiæ, ac judicio committatur *Sanchez de Matrimon. lib. 6. disput. 104. num. 29.*, *Perez de Matrmon. disput. 37. sect. 12. num. 7.*, *Covarruv. de Sponsal. par. 2. cap. 5. num. 5.*, aliàs indecorum esset, honestas Puellas derisionibus, & ludibrio per confectionem Processus exponere, maxime quia Archiepiscopus, & Vicarius nihil omninò prætermiserunt, quod ad detegendam Puellæ capacitatem, & malitiam conferre posse existimarunt.

Transit deindè ad alteram nullitatem desumptam ex deficientia proprii Parochi, quam nullimode subsistere affirmat, cum Archipresbyter Cattiniani licet non fuisset proprius Contrahentium Parochus, nihilominus Matrimonio adstitit vigore facultatis eidem tributæ a Vicario Generali, & a Parocho Hebdomadario Cathedralis Ecclesiæ Theatinæ: Sustinet autem, jure potuisse Parochum Hebdomadarium eumdem Archipresbyterum delegare *Clericat. de Sacramen. Matrimon. decis. 35. num. 12.*, *Guttier. de Matrimon. cap. 62. num. 10.*. Perperamque objici, quod Archipresbytero Cattiniani non innotuerit licentia eidem tributa a Parocho Hebdomadario, ut Matrimonio adstaret; cum oppositum resultet ex illius depositione, quæ plurimum debet attendi *Gratian. disceptat. foren. cap. 481. num. 8.*, *Rot. coram Cerro decis. 751. num. 13.*, *& in Romana Matrimonii 3. Julii 1719. §. Cæterum coram Corio*.

Et quamvis ex Libro Matrimoniorum Archipresbyteralis Ecclesiæ Cattiniani resultet, Matrimonium prævia licentia Vicarii Murronensis fuisse celebratum, censet nihilominus, id evenire potuisse ex errore, aut oscitantia, vel etiam ex eo, quod Archipresbyter Cattiniani existimaverit, necessarium non fuisse licentiam Parochi Hebdomadalis Cathedralis Thæatinæ in suis libris referre. Idque eo magis existimandum esse, quia præsumi non debet, Archipresbyterum Cattiniani personas sibi non subditas Matrimonio jungere voluisse, nec alia ratione Puellæ Pater licentiam Vicarii Generalis Thæatini, & Parochi Hebdomadarii requisivit, nisi ut Matrimonium coram eodem Archipresbytero ritè posset celebrari.

Cæterum quatenùs etiam Archipretbytero Cattiniani non innotuisset delegationis licentia, non ideo tamen ex hoc capite Matrimonium irritum esse concludit, cum defectus scientiæ delegationis sit quid extrinsecum, quod actus nullitatem non inducit. *Piton. disceps. Eccles. 71. num. 3.*, *& seq. part. 3.*, *Card. de Luc. in oper. de pension. impress. post tract. de Statut. succes. cap. 15. n. 9.*; Denique observat, Archipresbyterum

terum Cattiniani obiisse, absque eo quod priorem depositionem datam ParochoHebdomadario Cathedralis Theatinę retractaverit; atque ex hoc illius veritatem magis,magisque desumi.

De dispensatione super Matrimonio rato, & non consummato nihil agendum censet Matrimonii Defensor, cum hujusmodi inspectio sit a proposito dubio prorsus aliena.

Plura sanè hac de causa relata fuerunt in Folio diei 16. Martii anni præteriti, quod opportunè resumi poterit; In eo autem quidquid deductum ab utraque parte fuerat, fusius recensetur, & nonnulla etiam pro munere meo animadverti, quæ ad rem conferre posse existimavi. Nil itaque addendum censeo, ut Eminentissimi Patres perpensis juribus hinc inde adductis sapientissimum edant de Matrimonio judicium. Archiepiscopus Theatinus, qui mandata Sacræ Congregationis adamussim fuit exequutus, his verbis suam relationem concludit = *Candide fateor, majoris ponderis videri momenta adducta pro nullitate, quam pro Matrimonii validitate. Nihilominus tutissimum censeo in re tam gravi inire viam, consulendum scilicet Sanctissimo Domino Nostro pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, attentis præsertim gravissimis Sponsos inter subortis inimicitiis.* Post hæc definiendum erit

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

FAVENTINA REDDITIONIS RATIONIS. Eximiæ pietatis monumenta non pauca, nec incognita reliquit Nobilis Vir Marchio Paulus Spada; atque inter cætera, annuum præstituit reditum scutorum 1550., quibus nonnulla in primis designata opera pia exerceri, & quod annis singulis supereset in pauperes Oppidi Brixichellæ, atque adjacentium Pagorum distribui mandavit. Hujus reditus administrationem commisit primum P. Virgilio,& cl.mem. Cardinali Bernardino suis Filiis, deindè aliis Descendentibus a Familia Spada, & Congregationi in eodem Oppido erigendæ, quæ a suo nomine *Paulina* nuncuparetur. *Sess. 21. cap. 8. & 9. de Reform*

Occasione Pastoralis Visitationis anni 1769. optabat Episcopus administrationis computa inspicere, sed Deputati Congregationis Paulinæ, *Vocales* appellati, libros exhibere recusarunt, seseque ab Ordinarii jurisdictione dixerunt exemptos. Postea Pauperum nomine libellus Sanctissimo Domino Nostro fuit oblatus, quo conquesti sunt de non sequuta eleemosynarum partitione, atque idcircò injungi Vocalibus postularunt, ut fieret illarum distributio juxta Testatoris præceptum. Remissis precibus ad Sacram Congregationem, requisitus de expositorum veritate fuit

fuit Episcopus; Is autem quum nonnisi quam inspectis, dispunctisque computis instructam reddere posset S. Congregationem, librorum petiit exhibitionem; Sed quia Vocales illos exhibere denuò detrectarunt, nihil referre posse respondit. Id causæ fuit, cur ad quæstiones omnes inter Episcopum, & Vocales dirimendas necesse fuerit plura dubia in calce transcripta sapienti EE. VV. judicio definienda subijcere. Illud tamen præmonere præstat, Nobilem Virum Marchionem Mutium Spada, qui Congregationi Paulinæ præest, solemniter apud acta declarasse, nolle se Episcopi petitioni obsistere, & protestatus est, litem agendam non sumptibus Congregationis Paulinæ, sed Vocalium, qui contradicunt.

Hoc præmisso, Promotor Curiæ Episcopalis inquit ad I. Episcopo jus esse quæcumque loca pia visitandi, eorumque administrationis rationem petendi, atque ex officio omnia cognoscendi, & exequendi, quæ ad Dei cultum, & Animarum salutem, vel Pauperum subsidium sunt instituta *Concil. Trident. sess. 22. cap. 8., & 9. de Reform.*; Idque juxta communiorem Sententiam locum habere, etiamsi agatur de Locis piis absque Ordinarii auctoritate erectis *Monacell. in formul. tit. 5. formul. 1. num. 10., Piton. de controv. Patron. allegat. 32. num. 5.*, & Sacra Congregatio in *Imolen. 29. Novembris 1692.*, & *20. Julii 1693.* apud *Monacell. loc. sup. citat.*. Et præsertim quoad redditionem rationis ex clara dispositione Concilii Tridentini dicta *sess. 22. cap. 9.*, ubi generaliter, & indistinctè omnes casus comprehenduntur, eo tantum excepto, quo Episcopus expressis verbis in fundatione fuisset exclusus *Fagnan. in c. 4. de Relig. domib. n. 8. 18. 33. 47. & 57.*, *Monacell. tit. 13. formul. 2. quæst. 48.*, & Sacra Congregatio apud eumdem in *Hispalen. 11. Januarii 1596.*

Fatetur quidem quoad demandatam infra sex menses Missarum celebrationem, prohibuisse Testatorem, ne a Commissariis, aliisque Judicibus ratio exposceretur: & vetitam quoque fuisse quamcumque suæ voluntatis commutationem, aut pii Operis reformationem: Negat tamen, excluſum ob id censeri Ordinarium ab exigendis contra Administratores rationibus, cum hujusmodi exclusio inducta nullo modo dici possit, nisi in institutione, & ordinatione expressa legatur *Concil. Trid. cit. cap. 9. Barbos. ad idem Concil. num. 10., & 27., Piton. de controv. Patron. allegat. 23. num. 2., & seq.*; In præsenti autem casu hujusmodi expressionem deesse: Immo addit, ex juris dispositione in *Cap. Tua nobis de Testam.* Locorum Ordinariis mandatam esse curam omnia juxta defuncti voluntatem exequendi, *licet etiam a Testatoribus id contigerit interdici*.

Perperam verò Congregationis Paulinæ Vocales præsidium mutuare posse a centenaria consuetudine. Respondet enim,

Con-

Concilium Tridentinum dicto *cap.9.* quamcumque contrariam consuetudinem, vel privilegium subsstuliſſe per hæc verba = *Consuetudinibus, & privilegiis quibuſcumque in contrarium ſublatis*: Quibus verbis quamlibet etiam centenariam, & immemorabilem consuetudinem ſublatam contendit, tum quia ea ſunt universalia, indefinita, omniaque complectuntur *L. Iulianus 66. ff. de Legat.3.; Rot. deciſ.2. num.5. cor. Molines, & in Recent. dec.379. n.5.part.15.*, tum etiam quia alibi minori verborum amplitudine immemorabili consuetudini derogatum a Concilio fuiſſe, non ambigitur *Garz. de benef. part.3. cap.2. num.197., 211., & 224., Piton. de controv. Patron. alleg.5. num.5.*, tum demum quia in litteris confirmatoriis Concilii a ſa. mem. Pio IV, æditis, ultra clauſulam ſublatam, adiectum quoque reperitur *decretum irritans*, quod cuilibet Concilii Capitulo ineſſe cenſetur *Gonzal. ad reg.8. Cancel. gloſſ. 15. num.35., Piton. loc. cit. num.19., Rot. coram Emerix Jun. deciſ.1279. num.17.* Decreti vero irritantis, eam eſſe vim, ut reſiſtat, impediatque, ne centenaria, vel immemorabilis consuetudo valeat incohari *Piton. loc. cit. n.6., & diſcept. 150. num.4.*

Cæterum advertit, contrariam consuetudinem fore ab iis concludenter probandam, qui illam allegant, & habent contra ſe juris præſumptionem *Menoch. de præſumpt. lib.1. præſumpt.32. num.5., Piton. de controv. Patron. alleg.45. num.19.*, cumque agatur de obſervantia negativa, probandam eſſe ſuſtinet eo probationis genere, quod negativam coarctatam dicunt *Rot. deciſ.97. num.17. part.13.*, vel eo modo, quo omnis in oppoſitum poſſibilitas excluſa remaneat *Rot. deciſ.7. num.13. de union. Benef. coram Falconer., & coram Lancett. dec.129. num.15.*, ita ut ſola ſufficiat poſſibilitas, Epiſcopum alias ad redditionem rationis adegiſſe Administratores,

Quoad II. non diffitetur Epiſcopi obligationem loca ſuæ Diœceſis perſonaliter viſitandi, omniaque ſuis oculis intuendi, *Cap. Conquerente 16. de Offic. Ordin., Cap. Romana de Cenſib. in 6.* id tamen locum nequaquam habere contendit, ubi res ſit deexcipienda redditione administrationis, ſuſtinens, libros, & Scripturas ut diligentius expendantur, ad ædes Epiſcopi deferri opportere *Fagnan. in Cap. Ad hæc n.33., & ſeq. de Relig. Domib., Pignatell. conſ 17. num.10., & ſeq., Criſpin. de viſit. Paſtor. part. 2. §. 28. num.7., & ſeq., Rot. deciſ.672. num.32. coram Molines*, & plures allegantur Sac. hujus Congregationis reſolutiones. Addit convenire quoad hoc tum jus Cæſareum in *L. Tales conditiones §. Priſcus ff. de condit., & demonſtr.* ubi arbitrio Judicis relicta eſt deſignatio Loci, in quo redditio rationis expleri debeat; tum quoque jus Pontificium, quo poteſtas Epiſcopis tribuitur, unum, vel plura Tribunalia in quolibet ſuarum Diœceſum

loco, atque etiam in propriis ædibus erigendi, ibique jus dicendi *Cap.7. de Offic. Ordin. in 6.*, ibique *gloss. verb. loco*, *Rot. decis.*1700. *num.*3. *coram Coccin.*, & *decis.*672. *num.*27., & 32. *coram Molines*.

His autem nullo modo adversari putat nonnullas, quæ in oppositum afferri possent auctoritates, cum istæ tunc solum procedere valeant, vel quando agitur de magna librorum, & Scripturarum copia, vel longa sit distantia cum gravi incommodo conjuncta. Horum verò neutrum in præsenti casu verificari.

Ad III. advertit, Episcopum adiisse Brixichellam, ibique a Vocalibus Congregationis Paulinæ administrationis libros requisivisse. Incongruum proindè fore, ut Episcopus illuc denuò se conferat, sed immò æquum esse, ut Vocales, qui libros tunc tradere recusarunt, eos hac saltem vice ad Episcopum deferre teneantur *Abbas in cap. Sane num.*30. *de Foro compet.*, *Barbos. de potest. Episcop. alleg.* 80. *num.*5., *Passerin. in cap.*7. *num.*10. *de Offic. Ordin. in 6.*

Observat ad IV. opus non esse, ut Vacales eligant, & sumptibus piis Operis Faventiam mittant Ratiocinatorem, qui redditioni rationis interfit; cum id fieri tunc possit, quando aliqua oriatur difficultas, quæ disquisitione indigeat, & per Epistolam elucidari nequeat.

Ad V. dubium allegat praxim Diœcesis Faventinæ, secundum quam nihil persolui consuevit, quando computorum revisio fiat a Ratiocinatore Diœcesano, vel Synodali, qui tantummodò partitas in libris descriptas cum juribus, seu, ut vocant, recapitis conferat, secus ac evenit, quando partitas in Codicem refert, & Scripturam efformat. Censet tamen, inutile prorsus esse hac de re sermonem instituere; cum ignoretur, quid Ratiocinator agere debeat.

Ad VI. inquit, mentem Testatoris fuisse, ut annis singulis eleemosinæ pauperibus distribuerentur, & nunquam pecuniarum cumulus fieret. Verùm P. Virgilium Spada utendo facultate eidem a Testatore tributa faciendi *qualche mutazione*, *ed alterazione*, totam ferè dispositionem hac in parte immutasse, dum præcepit *che detta elemosina a poveri non si dia*, *se non negl'anni di carestia*, atque insuper demandasse, ut pecuniæ in subsidium pauperum erogandæ, deponerentur in Sacro Monte Pietatis Urbis *fino ad uno dei due bisogni*, *cioè ò di reintegrazione d'entrate mancate*, *o di anno di carestia*. Suspicatur autem, an facultas P. Virgilio a Testatore tributa eo usque protrahi potuerit, ut tantam immutationem induceret. De hoc tamen agendum sustinet cum Procuratore Pauperum, quo non citato dubium definiri non posse contendit.

A definitione istius dubii pendere ait decisionem VII. dubii, ubi quæritur ad quem pertineat annum caritatis determi-

mi-

minare. Quare progreditur ad VIII. in quo onus expensarum litis refundere conatur in Vocales Congregationis, qui injuste restiterunt Episcopo librorum exhibitionem postulanti, & temerè litigarunt *leg. Eum qui ff. de re judic., Leg. Properandum §. Licet cod. de Judic., Rot. decis* 18. *num.* 1., *& seq. de expens. coram Falconer.* Maximè quia accessit Sac. Congregationis rescriptum diei 13. Julii anni elapsi, quo Episcopus monitus fuit, ne interim permitteret, *expensas fieri sumptibus Congregationis*. Idemque dicendum de expensis huc usque factis, de quibus in postremo dubio disceptatur.

A Vocalibus Congregationis Paulinæ nulla hactenus deducta sunt jura.

Monuit Gregorius IX. in *Cap. Tua nobis* 17. *de Testam.* jus olim Episcopis fuisse pias Testatorum dispositiones, ipsis etiam prohibentibus, exequutionem curandi, cum id in eorum cederet utilitatem: Ita enim Gherardo Episcopo Noviodunen. rescripsit = *Tua nobis Fraternitas intimavit, quod nonnulli tam Religiosi, quam Clerici Sæculares, & Laici, pecuniam, & alia bona, quæ per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per Locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici, mandamus quatenus Exequutores testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, & plenariè in usus prædictos expendant, monitione prævia compellas.*

Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 8. *de reform.* Episcopis hæc præscripsit = *Episcopi etiam, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint exequutores: Habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates Laicorum, etiam quas Scholas, seu quocumque alio nomine vocent, non tamen quæ sub Regum protectione sunt, sine eorum licentia: eleemosinas Montis Pietatis, sive Charitatis, & alia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut Animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi etiam ex Officio suo juxta Sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto.*

Et sequenti *Cap.* 9., ubi de redditione rationis agitur, statuit = *Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici, fabricæ cujusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, eleemosinæ Montis Pietatis, & quorumcumque piorum Locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione, & ordina-*

tione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut ex Constitutione aliqua Loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minimè suffragentur.

Cæterum etiamsi Concilium fundationum leges præservaverit, ut innuunt verba = *nisi secus forte in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expresse cautum esset* = nihilominus præservatio hujusmodi intelligi debet ad formam *Cap. Tua nobis de Testam.*, ut scilicet non suffragetur administratoribus negligentibus, quemadmodum a Sac. Congregatione declaratum fuisse, testatur *Fagnan. in dicto Cap. Tua nobis num. 15., & 16. Monacell. in formul. tit. 1. formul. 14. num. 2. 3., & 4.*

Videndum proindè, quid in testamento Marchionis Pauli Spada quoad institutionem pii Operis fuerit iniunctum. In eo autem sic legitur = *Dichiarando espressamente, che ne quei di Roma, ne quei di Romagna siano tenuti a dar conto, ò giustificazione a Commissarj della Fabrica, ne a chi si sia di aver adempiuto, non volendo, che in ciò restino sottoposti ad altro Giudice, o censore, salvo che alle coscienze, e pietà loro, e di ciascun di loro, in tutti i quali confida appieno, e vuole, che siano esenti onninamente da ogni altro Giudice, e Tribunale* = Hæc tamen adiecta noscuntur in principio dispositionis, post demandatam Missarum 1200. celebrationem, atque idcircò inquirendum, an ad alia quæcumque pium opus respicientia trahi, & applicari debeant.

Deindè in eodem testamento hæc habentur = *E quando questi Esecutori discordassero in alcuna cosa, si ricorra al Rmo Vescovo di Faenza. E se forse in tempo alcuno Brisighella avesse Vescovo particolare, si ricorra a quello, quali Vescovi respettivamente abbino autorità di aderire ad una delle Parti, quando li voti fossero eguali &c.* = & infra addidit = *Dichiara, & protesta espressamente detto Signor Testatore, che se mai in alcun tempo i Commissarj della Fabrica di S. Pietro, ò altri chi si sia con qualsivoglia autorità, e pretesto volessero metter le mani in questo negozio, controvertere, e divertire in qualsivoglia capo, e maniera queste sue ordinazioni, e volontà in qualsisia parte, e in qualsisia tempo . . . ex nunc pro tunc revoca, ed annulla quella parte, che volesse controvertire, e divertire* = Sedulò hinc ponderandum, quid hæc verba præseferant, quomodo sint intelligenda, & an expressam Episcopi exclusionem importare valeant.

Denique dissimulari non debet, posse Episcopum cogere piorum Locorum, & Ecclesiarum administratores ad exhibendum, adsportandumque ad Palatium Episcopale, seu ad alium locum, ubi Episcopus stationis causa permaneat, administrationis libros, ut sæpius a Sac. Congregatione declaratum fuisse refert *Crispin. de visitat. part. 2.*

§. 28.

§. 28. *num.* 7., & 8., *Monacell. in formul. tit.* 1. *form.* 14. *num.* 7.

His ergo, aliisque ad rem assueta maturitate perpensis, Emi PP. definire dignabantur.

I. *An Vocales Congregationis Paulinæ Terræ Brixichellæ teneantur reddere rationem suæ administrationis Episcopo Faventino in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An iidem Vocales teneantur deferre, seu mittere ad Episcopum in Civitate Faventiæ Libros, & Scripturas respicientes dictam administrationem in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

III. *An teneantur dictos Libros, & Scripturas ut supra deferre, seu mittere pro hac vice tantùm in casu &c.*

IV. *An Congregatio Paulina, seu illius Vocales possint eligere, sive deputare Ratiocinatorem, qui eorum nomine præsentiam, & assistentiam præstet redditioni rationis recipiendæ sive ab Episcopo, sive a Revisore Synodali, aut ab alio per Episcopum deputando in casu &c.*

V. *An redditio rationis sive in Terra Brixichellæ, sive in Civitate Faventiæ gratis recipienda sit ab Episcopo, seu potius Vocales dictæ Congregationis teneantur soluere mercedem Revisori Synodali, sive alteri per Episcopum deputando, & in qua summa in casu &c.*

VI. *An eadem Congregatio teneatur quotannis eleemosinas Pauperibus distribuere, seu potius annis dumtaxat penuriosis in casu &c.*

Et quatenus negative ad primam partem, & affirmativè ad secundam.

VII. *An indicare, seu determinare annum penuriosum spectet privativè ad Vocales dictæ Congregationis Paulinæ in casu &c.*

VIII. *An præsens Lis agenda sit sumptibus dictæ Congregationis, seu potius sumptibus illius Vocalium in casu &c.*

Et quatenus negativè ad primam partem, & affirmativè ad secundam.

IX. *An reficiendæ sint eidem Congregationi a dictis Vocalibus etiam expensæ huc usque factæ in casu &c.*

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

ALBEN. IRREGULARITATIS. Cum Sacerdos Franciscus Maria Porta Vice-Parochi munus gereret in Oppido Rondelli, & illius Parochialis Ecclesiæ bona administraret, totis viribus adnisus est, ut eiceret é quadam Rurali Parochiæ domo Josephum Bondoninum prædiorum ad eamdem Ecclesiam pertinentium cultorem, eo quia malè in suo officio se gereret. Id autem via juridica assequi posse desperans, extrajudicialem amplexus est, & die 7. Novembris 1766., adscitis Testibus, ad ruralem domum accessit, & claves a Bondonino efflagitavit. Jurgia hinc, & contentiones Bondoninum inter, & Sacerdotem Porta: Res autem eo usque devenit, ut qui aderant, præ timore ausugerint, & Sacerdos Porta graviter vulneraverit Bondoninum, qui læthali vulnere saucius paulo post occubuit.

Delata ad Curiam Episcopalem homicidii fama, statim Pro-Vicarius Generalis, una cum Promotore Fiscali recognitionem Cadaveris defuncti commiserunt Chirurgo Ferdinando Garesi, qui retulit, *aver il medesimo una ferita dalla parte sinistra trà la quarta, e quinta costa della larghezza un traverso di dita, e lunghezza due traversi di dita penetrante nella cavità del torace fino al Cuore, la quale giudico, essere stata fatta da un Arma pungente, e tagliente, per quanto si puole giudicare, da due parti, la quale ferita gli ha cagionata la morte.* Pluribus deindè examinatis testibus, absolutoque processu, atque ipso Sacerdote Porta contumace, prodiit Sententia Pro-Vicarii Generalis, qui illum irregularem declaravit, nec non ad carceres per quinquennium, & ad emendationem damnorum erga hæredes defuncti Bondonini condemnavit.

Sententiæ acquievit Sacerdos Porta, qui relegationis pœnam mensibus sexdecim subiit in Religiosa Domo; cumque satisfacta jam Parte, absolutionem, attentis peculiarious circumstantiis a Curia Episcopali reportasset, supplex a SSmo Domino Nostro dispensationem ab irregularitate postulavit. Precibus Sac. huic Congregationi ablegatis, die 13. Julii Anni elapsi rejecta fuit petitio. Iterum ergo EE. VV. pietatem, & clementiam implorat Sacerdos Porta, ut dispensationem assequatur.

Asserit enim, jure tum civili, tum canonico immunem a pœna esse debere, qui ad sui defensionem aliquem occiderit. Necessarium autem fuisse homicidium a se perperatum, cum Bondoninus illum baculo percusserit, & ad necem ùsque lacessiverit, neque ullus adesset, qui ei auxilium præbere posset, nec aditus pateret, quo fugam arriperet; proindeque ut mortem evaderet, coactum fuisse aggressorem cultro haud vetito percutere, & hac de causa ab irregularitate immunem dici oportere ad *Text. in Clement. unic. tit. de homicid. neces.*

Ad-

Addit, casuale fuisse homicidium; cum non pravo animo, neque armis ad necandum paratis ruralem domum adierit: Quod si ex accepto vulnere Bondoninus interiit, id evenisse contendit non tam ex cultro ad percutiendum adhibito, quam ex loco, quo vulnus fuit inflictum. Nec obici posse, quod periculo occidendi sese exposuerit; cum non ad armatos, vel tumultuantes accesserit, neve tam funestum exitum prævidere unquam potuerit. Cæterum etiamsi irregularitatem contraxerit, minimè denegandam putat dispensationem post peractam pœnitentiam, atque exhibita resipiscentiæ signa, ac reportatam ab Episcopo absolutionem.

Juxta varias homicidii qualitates, variæ a Sacris Canonibus de dispensatione ab irregularitate regulæ præfinitæ noscuntur. Porrò qui homicidium voluntarium commiserit, omni Ordine, & Beneficio Ecclesiastico perpetuò privari debet, ut statuit *Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* Si verò ad propriam defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ commissum probetur, decrevit S. Synodus *loc. cit.*, ut *committatur Loci Ordinario, aut Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, & probatis præcibus dispensare possit*. Si autem in rixa patratum extiterit homicidium, spectari debet, an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus, an bonæ famæ, an pacem a Parentibus occisi obtinuerit, aliaque, quæ fusius refert *Fagnan. in cap. Henricus de Cleric. pugnant. in duell. num.* 35.

Hinc est, ut juxta casuum circumstantias Sac. Congregatio dispensationem quandoque concesserit, ut in *Imolen.* 28. *Januarii* 1741., *in Murana* 12. *Martii* 1763., *& in Agrien.* 31. *Martii* 1770., aliquando verò illam denegaverit, ut in *Feretrana* 22. *Januarii* 1757., *in Brixien.* 19. *Januarii* 1765., *& in Agrigentina* 30. *Januarii* 1769. Cæterum ut homicidium ad propriam defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ patratum dici possit, verificari debet defensio in ipso actu aggressionis, & non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, & quod æqualitas Personæ, Loci, & armorum intercesserit *Cap. Significasti* 18. *de homicid.*

Præstat demum hic ea referre, quæ resultant ex processu a Curia Episcopali exarato, quæque ad rem, de qua agitur, conferre poterunt. Inter Testes a Fisco inductos recensetur Joannes Dominicus defuncti Bondonini filius, qui solus rixæ interfuit, & in suo examine deposuit = *Vidi, che il Signor Don Porta se ne veniva frettoloso verso l'uscio di detta Casa, sù qual uscio si trovava mio Padre, ed entrato frettoloso dentro la Casa, entrò anche appresso del medesimo Signor D. Porta detto mio Padre; quindi da lì a poco entrato anch'io nella medesima, sentii, che il detto Signor D. Porta diceva, con voce alta a mio Padre, che voleva uscisse di Casa allora, ed aven-*

avendogli mio Padre, ed anche io risposto, che saressimo andati via all'indomani, detto Signor D. Porta nulladimeno si accostò al Letto, che ancora ivi esisteva, per toglierlo, e gettarlo fuori dell'uscio, ed avendogli mio Padre messe le mani sù le spalle al medesimo Signor D. Porta per trattenerlo di gettar via in Letto, tutto ad un tratto sentii, che detto mio Padre disse: Oh me pover'Uomo, che mi ha scannato: e così a sangue caldo si portò a sedere sù lo scalino dell'uscio di detta Casa, ove morì quasi subito.

Reliqui autem Testes de auditu deponunt, audivisse a Sacerdote Porta Bondoninum fuisse a se vulneratum, *perchè gli scagliò un colpo sul viso*, addunt tamen, quod in ejus voltu *non ci hanno veduto alcun segniale*. Deponunt præterea, Bondoninum fuisse *audace, e facile a prendere alterazioni*; Sacerdotem verò Porta bonis moribus præditum, nec vetita Arma unquam gestasse, *ma dal suo modo di parlare molto vivace, e facile ad alterarsi*.

Episcopus Oratoris misereatur, ac de ejus paupertate testatur; cumque per mensis sexdecim relegationis pœnam subierit, respicientiæ signa præbuerit, Partemque indemnem reddiderit, dispensationem eidem impertiri posse existimat. Viderint ergo Emi PP.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Die

Die Sabbathi 29. Auguſti 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUoniam in poſtrema Congregatione habita die 8. labentis menſis ſex, quas priori loco ſubjicimus, Cauſæ proponi non potuerunt; eas idcirco in præſenti Folio iterum tranſcribimus, ut cum aliis, quæ adjiciuntur, ab EE VV. definiantur.

ROMANA.

An, & quomodo Oratricum precibus ſit annuendum, in caſu &c. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

Affirmativè ad biennium tantùm arbitrio Eminentiſſimi Protectoris.

CALARITANA.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

Prævio receſſu a deciſis affirmativè ad formam Concordiæ.

MELEVITANA.

An, & quomodo Oratricis precibus ſit annuendum, in caſu &c. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

Affirmativè juxta preces, adimpletis per Societatem omnibus oneribus impoſitis a Teſtatore, facto verbo cum Sanctiſſimo, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.

Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.

THEATINA MATRIMONII.

An conſtet de nullitate Matrimonii, in caſu &c.

Affirmativè.

Seſſ. 21. cap. 8. & 9. de Reform.

FAVENTINA REDDITIONIS RATIONIS.

I. *An Vocales Congregationis Paulinæ Terræ Brixichellæ teneantur reddere rationem ſuæ adminiſtrationis Epiſcopo Faventino in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An iidem Vocales teneantur deferre, ſeu mittere ad Epiſcopum in Civitate Faventiæ Libros, & Scripturas reſpicientes dictam adminiſtrationem in caſu &c.*

Et quatenus Negativè.

III. *An teneantur dictos Libros, & Scripturas ut ſupra deferre, ſeu mittere pro hac vice tantùm in caſu &c.*

IV. *An Congregatio Paulina, ſeu illius Vocales poſſint eligere, ſive deputare Ratiocinatorem, qui eorum nomine præſentiam, & aſſiſtentiam præſtet redditioni rationis recipiendæ ſive ab Epiſcopo, ſive a Reviſore Synodali, aut ab alio per Epiſcopum deputando in caſu &c.*

V. *An redditio rationis ſive in Terra Brixichellæ, ſive in Civitate Faventiæ gratis recipienda ſit ab Epiſcopo, ſeu potius Vocales dictæ Congregationis teneantur ſoluere mercedem Reviſori Synodali, ſive alteri per Epiſcopum deputando, & in qua ſumma in caſu &c.*

VI. *An eadem Congregatio teneatur quotannis eleemoſinas Pauperibus diſtribuere, ſeu potius annis dumtaxat penurioſis in caſu &c.*

Et quatenus negative ad primam partem, & affirmativè ad ſecundam.

VII. *An indicare, ſeu determinare annum penurioſum ſpectet privativè ad Vocales dictæ Congregationis Paulinæ in caſu &c.*

VIII. *An præſens lis agenda ſit ſumptibus dictæ Congregationis, ſeu potius ſumptibus illius Vocalium, in caſu &c.*

Et quatenus negativè ad primam partem, & affirmativè ad ſecundam

IX. *An reficiendæ ſint eidem Congregationi a dictis Vocalibus etiam expenſæ huc uſque factæ, in caſu &c.*

Non propoſita, cum ſequentibus.

AL-

ALBEN. IRREGULARITATIS. *Sess.14. cap.7. de Reform.*
An sit locus dispensationi, in casu &c.

MEDIOLANEN. PROFESSIONIS. Decessit anno 1751. Franciscus Mauri Mediolanensis, qui Uxori suæ Antoniæ Mauri tutelam commisit Filiorum Josephi, Petri Antonii, & Michaelis. Hos Mater collocavit in Collegio Oppidi Busto, eosque deinde educandos, instituendosque tradidit Religiosis Viris Congregationis de Somascha, primùm in Collegio Terræ Meratæ, ac postea in altero Civitatis Novocomii, quod Gallium appellatur. Dum ibi degeret Adolescens Petrus Antonius, suam patefecit voluntatem assumendi habitum in præfata Congregatione; verùm mutato consilio Congregationem Barnabitarum ingredi statuit. Itaque adire cæpit Scholas Sancti Alexandri, commendatusque fuit P. Rusca Barnabitæ, qui ei a Confessionibus esset, & voluntatem exploraret; qua probè cognita, atque perspecta die 21. Januarii anni 1761. Petrus Antonius in Congregationem Barnabitarum fuit cooptatus. Hinc Modoetiam ductus in Domum Tyrocinii, induit secundum morem ejusdem Congregationis primum candidatorum habitum, quem vocant *di Messiere*, & die 26. Martii 1761. Novitiorum habitum suscepit, ac Tyrocinium ingressus est. *Sess.25. cap.15. & cap.19.de Regular.*

Nonnulla Tyrocinii tempore dedit volubilitatis, atque inconstantiæ signa, sive ob nimiam Magistri Novitiorum asperitatem, difficileque ingenium, sive ob defectum interni consensus perseverandi in Congregatione. Quare Congregationis Moderatores prorogandum duxerunt Tyrocinii tempus, insuperque Petro Antonio facultatem dederunt confitendi P. Tentorio Collegii Modoetiæ Vicario. Is autem die 1. Augusti datis litteris ad P. Provincialem scripsit, se eumdem Petrum Antonium promptum, paratumque invenisse ad professionem emittendam, quare die 7. Septembris 1762. Novitiorum Magistro frustrà resistente, ac reclamante, professionem emisit.

Facti deinde pœnitens P. Mauri, cogitare cæpit modum agendi de suæ Professionis nullitate, quam ne ratihabere videretur, constanter renuit Sacris Ordinibus initiari. Preces deinde obtulit Sacræ Congregationi, quibus suam Professionem irritam declarari postulavit, iisque remissis Eminentissimo Domino Cardinali Puteobonelli Archiepiscopo Mediolanen., ut procederet *ad formam Sac. Concilii Tridentini, & Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. incipien. Si datam hominibus*, quæstio per annos quatuor magna animo-

rum contentione fuit agitata. Die tandem 29. Septembris 1770. prodiit Archiepiscopalis Curiæ Sententia, qua declaratum fuit *Non constare de nullitate Professionis*. Contrà verò Delegatus a Superiore Regulari definivit *satis constare de nullitate Professionis*. In hac itaque pugnantium Sententiarum diversitate, Sapientissimum EE. VV. Judicium de Professione exquiritur,

Ex triplici capite suæ Professionis nullitatem desumit P. Mauri, tum scilicet ex defectu interni consensus, tum etiam ob intermissum Tyrocinii tempus, tum demum ob illud non completum. Ad primum, quod attinet, contendit, ex defectu interni consensus cessare obligationem, & irritam esse Professionem *Can. Præsens 20. quæst. 7. cap. Simul 14. de Regular.*, & defectum consensus resultare ex omnibus actibus, & circumstantiis, quæ Professionem antecesserunt, comitatæ, & subsequutæ sunt. Advertit autem, necessarium sibi hac in re non esse probare vim, & metum, sed satis esse, ut probet, defuisse animum profitendi ex aliqua honesta causa *Piton. disceptat. Ecclesiast. 110. num. 9., & discept. 58. num. 47. tom. 3.*. Hanc verò causam fuisse dicit, ut se eximeret ab assiduis vexationibus, seductionibus, & circumventionibus Matris, ejusque Consiliariorum.

Seductionum initium ex eo desumit, quod vix sexennis in Collegio fuerit collocatus, ac de uno translatus in alterum Collegium, severè, atque acerbè semper habitus, ut ejusmodi vitæ pertæsus regularem statum amplecteretur, quem Mater promissis, blanditiis, metu, aliisque importunis artibus proposuerat. Hæc autem omnia cum procederent a Matre violentæ indolis, & imperantis naturæ, cui reverentia debetur, præseferre dicit quoddam violentiæ genus ad extorquendum potius a Viro etiam constanti, quam ad impetrandum consensum *Sperell. decis. For. Eccles. decis. 5. num. 44.*, *Pignatell. consultat. canon. 173. num. 39. 50. & 159.*, *Vrsaya disceptat. Eccles. tom. 1 par. 1. disceptat. 3. num. 53.*. Addit, ademptam sibi fuisse a Matre libertatem loquendi, conversandique cum Amicis, & Consanguineis, immò denegatam etiam fuisse facultatem adeundi convivia cum a Cognatis, & Amicis invitaretur, ne animum a Regulari vita alienum posset patefacere. Dissensum quoque arguit ex inobservantia Regularis Instituti tempore Tyrocinii, ita quidem ut Novitiorum Magister graviter de ipso conquereretur, nilque aptius desiderari posse sustinet ad evincendum defectum interni consensus *Pignatell. loc. cit. num. 33.*, *Vrsaya disceptat. Eccles. tom. 7. part. 1. disceptat. 1. num. 77.*

Contendit præterea, seductum se fuisse tum a suggestionibus Matris, ejusque Consiliariorum, qui propositum discedendi a Religione operam Satanæ dictitabant, tum ab illorum sollicitudine adeundi Modoetiam, ut accurrerent, & impe-

pedirent, ne a Religione egrederetur, eumque a proposito revocarent, & ad Professionem urgerent. Affert hinc plures epistolas scriptas Matri, Avunculo, & P. Provinciali, quibus suum dissensum apertè declaravit: Subditque, se lacrimantem sæpiùs inventum fuisse, dum minaces litteras a Matre reciperet, & exclamantem, quod ad Domum suam redire vellet; Contrà verò maximo gestientem gaudio dum sperabat, quamprimum ad patrios lares fore rediturum. Id autem evenisse, tum tempore professioni proximo, tum in ipso fere emittendæ professionis momento, cum ob receptam a Matre Epistolam suo desiderio adversantem, vehementi dolore agitatus fuerit, & abstinuerit a communi refectione, atque ab observantia Instituti, immò in Cubiculo clausus amarè fleverit, eo quod Mater Religionem deserere impedierit. Ideò verò non discessisse dicit, quia vestes deerant, & ad suscipiendum iter pecuniæ, atque insuper quia præpeditus fuerat jussu P. Generalis, & P. Provincialis, qui Modoetiam brevi erant profecturi.

Concludit, hæc omnia satis ostendere simulationem in actu Professionis, cum præsumi non possit repentina voluntatis mutatio in eo, qui paulò antè adversum animum tot contrariis actibus demonstraverat *Glos. in cap. Perlatum verb. non timore de his, quæ vi, metuque fiunt, Vrsaya disceptat. 3. num. 36. tom. 1. part. 1.*, *Rota coram Arguel. decis. 9. num. 36.*. Post Professionem verò perseveravisse propositum egrediendi a Religione, illudque patefecisse, tum quando recusavit SacrosOrdines suscipere *Pignatell. d. consul. 173. num. 179. tom. 6.*, *Vrsaya discept. 20. num. 90.*, *Rota in Recent. decis. 201. num. 12. part. 13.*, tum etiam quando nondum elapso a Professione quinquennio reclamavit *Pignatell. loc. cit. num. 69.*, *Piton. discept. 110. num. 21. tom. 4.*

Negat, propositum egrediendi a Congregatione, dum adhuc Tyrocinium ageret, processisse a difficili, asperoque ingenio Magistri Novitiorum, cum immò affirmet constare ex Testibus, eum fuisse placidæ indolis, & lenis naturæ. Reijciendos verò testes, qui contrarium deposuerunt, tum quia inverosimile est, Hominem asperum, ac perdifficilem instituendis, instruendisque Novitiis præfici voluisse, tum etiam quia præsumi nequit, Religiosum probum, & in Regulari Disciplina apprime versatum eo devenire potuisse, ut aspera agendi ratione, ineptisque de causis Novitium a via salutis revocare voluerit; de eoque nunquam alios Novitios fuisse conquestos. Denique observat, contrarios Testes eos esse, qui una cum Matre Adolescentem ad emittendam Professionem adegerunt, proindeque utpotè deponentes ad propriam exonerationem nullam fidem mereri *Leg. 1. §. In propria causa ff. quando appell.*, *Farinacc. de Testib. quæst. 6. num. 18.*, *Conciol. allegat. 53. num. 12.*

Ni-

Nihili autem faciendas esse Epistolas à se scriptas, quibus significavit, libenter Professionem fore emissurum, cum eæ tribuendæ sint dolosis sermonibus Consiliariorum Matris, ejusque litteris, quibus aliquando factum est, ut ardor egrediendi è Congregatione imminueretur, qui tamen postea vehementius efferbuit, prout colligitur ex iis, quæ postea dixit, & fecit. Prout quoque nihil officere sustinet, quod læto, hilarique vultu professionem emiserit, cum ita se gerere debuerit, ut actum simularet, ideoque ineptum id esse ad internum consensum eruendum *Ricciardel. in Lyceo Eccles. cap.3. §.7. num. 16.*, *Ursaya tom. 1. part. 1. discept.1. num.38.*, *Panimoll. decis.29. num. 55.*. Denique nihil obesse putat, quod simulatio probetur *non positivè*, *& absolutè*, sed *illativè*, quia cum res sit de probando animo, mente, atque interiori sensu, qui sub oculis minimè cadit, necessario ex conjecturis, ex indiciis, ac præsumptionibus colligi debet, *Mantic. de tacit. lib.4. tit.23. num.ultim.*, *Piton.d.discept.110. num.13.tom.4.*

Atque hæc quoad primum nullitatis caput ex defectu interni consensus proponit P. Mauri: Quo verò ad alterum desumptum ex intermisso Tyrocinii tempore præmittit, annum Probationis a Tridentino præfinitum continuum esse debere, & de momento in momentum progredi, quemadmodum omnes docent Thologi, & Canonistæ, ac pluries definivit Sacra Congregatio, ut apud *Pignatell. consultat.87. num.5.tom.9.*. Contendit autem, sui Novitiatus tempus fuisse interceptum ex dimissione, & abdicatione Regularis Instituti tam ex parte sui, quam ex parte Congregationis, idque pluribus argumentis probare conatur. Ac primò quidem ex eo, quod a P. Provinciali veniam egrediendi a Congregatione obtinuerit; insuperque ex eo quod dum sæculares vestes parabantur, arbitratu suo è Novitiatu ad Collegium accederet, & è Collegio ad Novitiatum pro libito reverteretur: Præterea ex quo in Novitiatu non tanquam Novitius, sed tamquam Hospes maneret, Regularem disciplinam minimè observaret, & Novitii munera non obiret: ac demum ex quo plures scripserit litteras, ut ad Paternam Domum reduceretur, ac necessaria ad iter suscipiendum præberentur. Hinc arguit interruptum fuisse Tyrocinii annum, qui compleri debet cum intentione faciendæ probationis. *Navar. consil.19. de Regular.*, & animo experiendi Religionem *Castropal. Oper. Moral. tract. 16. disput.1. punct. 12. num.8.*, & in statu actualis obedientiæ *Passarin. de statu Homin. tom3. quæst.189. inspect.5. de contin. Novit. num.127.*

Hisce proinde deficientibus asserit, nihil in contrarium officere gestationem habitus Regularis, & permanentiam in Domo Probationis, cum Religio magis deferatur per deliberatam voluntatem mutandi propositum, quam per ma-

materialem Habitus dimissionem, *Rot. in Recent. part.* 13. *decis.* 14. *num.* 15., neque oppositum evinci ex aliis auctoritatibus requirentibus dimissionem Habitus, & egressum a Novitiatu, cum eas loqui affirmet *demonstrativè*, seu *exemplificativè*, non autem *taxativè*, seu de unico modo, quo Novitiatus interrumpatur. Cæterum animadvertit, per se non stetisse, quominus Habitum dimitteret, & ad Domum suam reverteretur, atque idcirco habendum esse acu Habitum revera dimisisset, & é Novitiatu fuisset egressus, *Leg. In executione* 85. *§. fin. ff. de verbor. oblig.*, *Leg.* 161. *ff. de regul. jur.*

Tertium denique nullitatis caput repetit ex quo Tyrocinii annum non compleverit. Asserit enim, Novitiorum habitum assumpsisse die 26. Martii 1761., atque idcirco annum probationis a Tridentino præfinitum finem habuisse die 27. Martii 1762.; Cumque ad sex menses concessa ei fuerit prorogatio, infert, non prius quam die 28. Septembris ejusdem anni ad professionem admitti potuisse. Irritam proinde sustinet fuisse professionem, quam emisit die 7. Septembris, scilicet viginti dies ante, quam Tyrocinii tempus compleretur. De prorogatione autem ad certum tempus sex mensium dubitari non posse dicit, cum ea satis resultet tum ex depositione P. Rusca, quem præsentem fuisse ait actui formalis prorogationis, tum ex fide Cancellarii Provincialis Lombardiæ, qui partitam extraxit ex Libro, ubi recepti, induti, & professi in Congregatione Barnabitarum adnotantur. Initium verò prorogationis desumendum esse a die, qua finem habuit annus probationis a Concilio Tridentino præfinitus. *Rota coram Priolo decis.* 83. *num.* 26., *& in Bononien. Cautelæ Angeli* 14. *Junii* 1781. *§.* 16. *coram Eminentissimo Elephantutio.*

Contendit itaque, prorogationis tempus compleri debuisse, cum tempus prorogatum ejusdem sit indolis, ac naturæ cum primo tempore, & importet continuationem anni probationis *Pignatell. consultat.* 87. *num.* 20. *tom.* 9.. Præsertim quando prorogatio concessa fuit ob varietatem, & incostantiam Novitii *Pignatell. ibidem num.* 13. *&* 19.; Et quando, pro ut accidit in Congregatione Barnabitarum, viget consuetudo, quod prorogationis tempus compleatur. Putat autem, inanem esse quæstionem, an Constitutiones, quę probationis tempus protrahunt ultra annum a Tridentino præfinitum, munitæ sint clausula *Sublata*, & *Decreto irritanti*; Cum hujusmodi quæstio locum habere non possit, quando ex aliquo particulari casu, & ex speciali providentia Præpositi Generalis, aut Provincialis professionis tempus fuerit prorogatum, cum in isto casu prorogatio importet ejusdem met temporis, & anni Conciliaris continuationem, & eo modo habeatur, ac annus probationis a Tridentino præscriptus.

Con-

Contrà vero Defensor Possessionis, quoad primum propositæ nullitatis caput *ex defectu interioris consensus*, ex officio animadvertit, ad illius nullitatem demonstrandam adeo graves, ac solidas requiri probationes, ut omnem dubitationem excludant, ne fides Deo data immani execratione violetur *Amayden. de styl. Datar. lib. primo cap.* 12. *num.* 13., *Card. de Lucade Regular. disc.* 41. *num.* 13., *Rota coram Molin. decis.* 798. *num.* 4. *tom.* 3. *part.* 12.. Hujus autem generis esse negat probationes a P. Petro Antonio Mauri adductas; Observat enim, non solum ipsum, sed alios etiam Fratres variis in Collegiis fuisse educatos; nec audiendum eumdem P. Petrum Antonium asserentem, durè nimis, atque acerbè cum eo actum fuisse, ut ad Regularem statum amplectendum adduceretur, cum hujusmodi assertioni ad propriam utilitatem, & commodum emissæ nulla fides adhiberi debeat *Rot. coram Crispo decis.* 20. *num.* 7. *tom.* 3., *& coram Lancetta decis.* 987. *num* 7. *tom.* 4.. Egregiè autem dicit egisse Matrem, dum vetuit, ne cum Amicis, aut Consanguineis conversaretur, neque cum ipsis invitatus accederet ad convivia, quia hoc modo optimæ illius educationi prospexit. Negat, Matrem fuisse violentæ, & imperantis naturæ, cum id solum affirment duo testes, quorum unus Procurator fuit P. Mauri, alter verò de auditu deponat, absque eo quod illam agnoverit. Immò ex aliis Testibus constare dicit, fuisse piam, docilem, amantem, ita quidem, ut P. Mauri doluerit eam deserere, quando Religionem fuit ingressus.

Advertit, actus internum dissensum exprimentes longè præcessisse Professionis tempus, eosque originem habuisse a perdifficili, asperoque ingenio Magistri Novitiorum, ut ipsemet P. Mauri in suis Epistolis non semel narravit; Secus autem evenisse, quando ad alium Spiritualem Directorem fuit missus, ab eoque charitativè exceptus. Non diffitetur, etiam sub novo Spirituali Directore consilium aliquando iniisse deserendi Congregationem, non tamen aliunde repetendam dicit hujusce deliberationis causam, quam ex suis Epistolis, quibus exposuit, ideò de deserenda Congregatione cogitasse, quia timuit, ne propter importunas Magistri Novitiorum suasiones in Capitulis pro sua admissione habendis excluderetur. Nec ullimodè subsistere, quod felix eorumdem Capitulorum exitus ingratus fuerit P. Mauri, & quod paucis ante Professionem diebus aperta dederit dissensus indicia, cum id unicus dumtaxat Testis de auditu referat, cæteri verò Testes de anteriori tempore loquantur: Aliundè verò satis constare, dictum Patre Mauri maximo gaudio professionem emisisse, grateisque hac de re Superioribus, aliisque Religiosis egisse.

Ait præterea, eos tantùm actus observari, atque attendi debere, qui præcisum Professionis tempus, ac momen-

tum

tum respiciunt, non verò antecedentes, aut subsequentes, cum humana voluntas repentinæ subsit mutationi *Gemin. in cap. Quod interrogasti distinct.27., Graff. consil.7. tom.1., Sperell. decis.79. num.56.*, ita ut ob præsumptam voluntatis mutationem neque attendatur protestatio ante Professionem emissa, si Professionem inter, & protestationem aliquod temporis intervallum interceserit *Rot. decis.798. num.37. tom.3. part.2. coram Molin.*, & etiamsi protestatio immediatè ante professionem emittatur, quia in isto casu attenditur factum, quod protestationi adversatur, *Rot. ibidem num.43.*

Animadvertit insuper, metum tantummodò mortis, vel minas gravium malorum, quæ Virum, etiam constantem terreant, aptas esse ad irritandam Professionem *Cap. Cum dilectus De his, quæ vi, metusve causa fiunt*, non tamen suasiones, & preces licet importunas *Suarez de Relig tom. 3. lib.6. cap.5. num.7., Passerin. de stat.Homin. quæst.189.art.10. inspect.3. num.78., Rot. decis.798. num.62. tom.3.part.2.coram Molines*. Hinc infert, irritam haberi non posse P. Mauri Professionem ex iis, quæ a Matre gesta sunt, quæque gravem metum nullo modo evincunt. Maximè quia nonnullis post Professionem actibus suam ipse voluntatem patefecit, cum præter lætitiæ signa, quæ ipso Professionis die publicè dedit, Mediolanum reversus, imprimi curaverit Carmen, quo tacito nomine lætabatur, proclamabatque victoriam contra Novitiorum Magistrum, quem suæ Professioni adversantem agnoverat: Insuperque quadriennio post Professionem tacitus in Congregatione permanserit, Regulare Institutum fuerit exequutus, minoresque Ordines, quorum tunc capax erat, susceperit, absque eo quod ullum dederit aversionis indicium. Ac demùm observat, illius voluntatem ante professionem fuisse exploratam a Spirituali Directore, a P. Generali, & ab uno ex Assistentibus generalibus Congregationis Barnabitarum, de quibus nefas est dubitare, quod in ejus Animæ detrimentum quidquam moliri voluerint.

Atque hæc primum nullitatis caput respiciunt. Ad alterum verò petitum *ex interruptione Novitiatus* prætermittit, Probationis tempus non interrumpi, nisi dimisso habitu Novitius e Religione egrediatur, animo illam deserendi *Barbos. de jur. Eccles. lib.primo cap.42. num. 122., & ad Concil. Trident. sess.25. de Regul. cap.15. num. 26., Tamburin. de Jur. Abbat. cap.4. quæst.8.*. Hinc tria copulativè requiri affirmat, ut annus probationis interruptus censeatur, nempè animum positivum in Novitio deserendi Religionem, nec non actualem habitus dimissionem, ac discessum a Monasterio; Infert proindè, inductam dici non posse interruptionem, etiamsi Novitius exire velit, & sæcularibus vestibus induatur, nisi è Monasterio simul egrediatur, cum

ante egressum pœnitere possit, & Religionis habitum resumere *Card. Petra ad Constitut. 9. Sixti IV. sect. unic. num. 3. tom. 5.*, *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 15. num. 7.*, *Navar. de Regular. cons. 32.*, & hanc fuisse Sacræ Congregationis sententiam in *Tyburtina restitutionis in integrum 7. Julii 1703. lib. 53. Decret pag. 300.*, *in Patavina restitutionis in integrum 29. Novembris 1710. lib. 60. Decret. pag. 447.*, *& in Cassanen. Professionis 21. Augusti 1717. lib. 67. Decret. pag. 342.*. Concludit itaque, frustra a P. Mauri proponi Novitiatus interruptionem, cum neque Regularem habitum dimiserit, neque a Cœnobio discesserit.

Addit, quod si solus discedendi animus, & Sæcularium vestium repetitio satis esset ad Tyrocinium intercipiendum, dubitari non immeritò posset de plurium Professionum validitate, cum plurimi Novitii vel Seculi illecebris irretiti, vel diabolica fraude decepti, regulare institutum deserere persæpè proponant, sed postea eos pœniteat, & in Religione perseverent. Spernendam verò esse exceptionem, quod P. Mauri non semper sub Magistri Novitiorum obedientia steterit: Respondet enim, ipsum quoad confessiones dumtaxat a directione Magistri Novitiorum exemptum fuisse; Cæterum nonnisi de istius licentia tributa sibi exemptione usum fuisse; et in omnibus Epistolis adhibuisse phrasim *Benedicite*, quæ superioritatem indicat in eo, cui reverentia debetur.

Tandem quoad tertium caput, in quo de prorogatione Novitiatus agitur, sustinet, hujusmodi prorogationem ad tempus indeterminatum fuisse protractam, quemadmodum ex libris Actorum Capitularium Congregationis Barnabitarum resultat, quorum è conspectu posthabendam dicit fidem Cancellarii Provinciæ Lombardiæ, utpotè consistentem in simplici enunciativa, seu adnotatione ab eo facta in libro penes ipsum existente. Nec obesse, quod prorogationes ad sex menses concedi consueverint; cum nulla habeatur in eadem Congregatione Constitutio, quæ prorogationis certum tempus præscribat, eamque proindè a Superiorum arbitrio pendere affirmat. Despiciendos verò Testes, qui hac in re ex oppositò afferuntur, tum quia prævalere debet probatio eruta ex libro Actorum Capitularium, cui tota fides est adhibenda, tum quia eorum alter solum dicit, protractum fuisse professionis tempus ad sex menses *circiter*, alter verò prorogationem concessam fuisse asserit *ad mensem Septembris*, alius denique indefinitè ait, professionem *multum* fuisse dilatam.

Cæterum quamvis professionis tempus ad sex menses fuisset prorogatum, putat nihilominus, irritam dici non posse professionem ante dictum tempus emissam, cum sufficiat, completum fuisse annum probationis præfinitum a Concilio Tridentino *Sess. 25. cap. 15. de Regular.*, quando in

Con

Constitutionibus Ordinis ab Apostolica sede confirmatis adiectum non legatur decretum irritans professionem emissam antequam prorogationis terminus compleatur *Fagnan. in Cap. qui Præsbyterum num.* 8., *& seqq. de Pœnit*, *& remiss.*, *Card. Petra ad Constit.* 2. *Anastasii IV. sect.* 2. *n.* 9., *& seqq.*, *& Constit.* 5. *Gregorii IX. num.* 22., *& seqq. tom.* 2.. Negat autem, ullam in Congregatione Barnabitarum adesse Constitutionem, quæ prorogationem temporis sub pœna nullitatis ad sex menses præscribat: Et quamvis tempus prorogatum eodem modo, & forma consideretur ac tempus præcedens, id tamen ita intelligi debere affirmat, ut Novitius etiam dum decurrit tempus prorogatum, tanquam talis habeatur, quemadmodum præcedenti tempore habitus fuerat.

Receptum pro regula est, ut quemadmodum Matrimonium carnale, ita etiam Religiosa professio, quæ Spirituale quoddam Matrimonium dicitur, libera, ac voluntaria esse debeat. Irrita proindè habetur professio emissa ex metu gravi cadente in virum constantem injuste incusso *Can. Præsens* 4. *caus.* 20. *quæst.* 3. *Cap. Perlatum* 1. *de his, quæ vi, metusve causa*, *Cap. nullus* 1., *& cap. sicut* 15. *de Regular.*, quibus adhæsit Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Regular.* Dubitatum olim fuit, an metus reverentialis sufficiens esset ad gravem metum incutiendum, cujus causa irrita dici posset Religiosa professio: Communis tamen invaluit opinio, solum metum reverentialem per se gravem non esse, nisi alia concurrant, scilicet imperii coactio, minæ, duræ tractationes, & hujus generis alia; Hinc in *Can. Puellæ* 8. *caus.* 20. *quæst.* 1. ad irritandam Puellarum professionem emissam ob metum reverentialem, qui ex imperio Parentum oriri solet, requiritur coactio ibi = *Coactæ Parentum imperio*.

Ut igitur de interiori P. Mauri dissensu dijudicari valeat, expendendum primo est, an justa adfuerit causa simulandi professionem; deindèque inquirendum, an ex actibus, qui professionem antecesserunt, comitati, & subsequuti sunt, deprehendi tuto possit ejus animus a Religione prorsus alienus, itaut voluntas emittendi professionem defuerit.

Quo verò ad propositam novitiatus interruptionem explorata res est, annum probationis continuum esse debere. Quid autem requiratur, ut tyrocinium interruptum dijudicetur, non una est Doctorum Sententia; Communior tamen, magisque recepta opinio est, quod annus probationis interruptus censeatur, quando Novitius cum habitu, aut sine habitu religioso è Novitiatu exierit deliberato animo deserendi Religionem, etsi postea pœnituerit, & statim revertatur. Hæc fuit Sententia Sac. Congregationis, a qua cum Procurator Generalis Ordinis Minimorum quæsiviisset = *An Novitius, qui a Monasterio, ut aliam Reli-*

gionem ingrederetur, abierat, ac duas tantùm horas in alio Conventu moram traxerat, ac statim deindè facti pœnitens reversus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis? Respondit = *Teneri ab eo die, quo rediit*, ut apud *Fagnan. in Cap. Insinuante, qui cler. vel vovent. n.36.*

Hic tamen Auctor *num.* 37. advertit, quod si Novitius non exiviſſet a Monaſterio, ſed animo fugiendi aliquantiſper intra clauſtra latitaſſet, non propterea annus probationis interruptus cenſeretur, quemadmodum ex facto reſpondit *Nivar. conſ. 33. Puer quidam de Regular.* Perpendendum igitur, an quæ tyrocinii tempore geſſit P. Mauri, tanti ſint, ut Novitiatus interruptionem inducere potuerint; licet habitum non dimiſerit, neque è Congregatione diſceſſerit.

Denique quoad prorogationem temporis ponderandum in primis, an ad certum ſex menſium ſpatium protracta fuerit; deindèque an Conſtitutiones Congregationis Barnabitarum huiuſmodi tempus præfiniant; poſtremo verò, an ſub pœna nullitatis illud compleri debuerit, licet Congregationis Conſtitutiones clauſulam irritantem non præſeferant.

Poſt hæc definient Emi PP.

An conſtet de nullitate profeſſionis in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 6. de Reform. Matrim.

NEAPOLITANA MATRIMONII. Poſtquam diu actum fuerat in Curia Archiepiſcopali Neapolis de validitate Matrimonii a Marchione Vincentio Confalone contracti cum Catharina Bajona, quæ ob aſſertam Viri impotentiam illius nullitatem propoſuerat, ſtatuit Marchio Vincentius Religionem ingredi, receſſitque a qualibet de validitate contentione, declarans Matrimonium ratum, non verò conſummatum. Id ergo definivit Curia Archiepiſcopalis, & Marchioni Vincentio facultatem tribuit ingrediendi Religionem; Sed ab hac Sententia die 28. Aprilis anni 1770. receſſit Sac. Congregatio, cui non ſatis perſpecta viſa ſunt jura conſummationem excludentia. Novis itaque paratis, cumulatiſque juribus, iiſque juſſu Sac. Congregationis coadiuvatis juxta formam a Benedictina Conſtitutione præfinitam, in novo Cauſæ examine habito die 28. præteriti menſis Julii ſequens prodiit reſolutio = *Prævio receſſu a deciſis licere Marchioni Vincentio ingredi Religio-*

ligionem approbatam, & in ea profiteri, & ad mentem. Mens fuit, *ut Marchioniſſa Catharina libera non remaneat, niſi poſt expletum a Marchione Vincentio integrum Tyrocinii annum, emiſſamque profeſſionem, idque eidem Marchioniſſæ Catharinæ notificetur.*

De hac reſolutione modò agendum eſt, ejuſque confirmationem Conjugum Poſtulator efflagitat ex iis, quæ in prioribus ſcriptis deduxit, & ne dubium oriri poſſit quoad primam Viri declarationem de ſequuta Matrimonii conſummatione in principio litis emiſſam, quam deindè retractavit, advertit, nunquam in prima declaratione admiſſam a Viro fuiſſe Matrimonii conſummationem, ſed ſolum dubium, incertumque ignorare dixiſſe, an intra, vel extra vas fæmineum ſeminaverit. Hinc meritò hujuſmodi declarationem rejectam fuiſſe a Curia Archipiſcopali, quæ terminum Marchioni Vincentio præfixit ad aliam magis certam, expreſſamque declarationem emittendam.

Cæterum etiamsì prior illius declaratio omninò poſteriori adverſaretur, hanc nihilominus attendendam ſuſtinet, ſive quia magis clara, perſpicua, ac ſincera detegitur; ſive quia abeſt periurii metus ob perfectiorem vitam, quam amplecti ſtatuit, ſive quia veritati conformis deprehenditur, utpote aliis adminiculata probationibus conſummationem excludentibus *Rot. in Romana Sponſalium* 24. *Januarii* 1738. §. *Fruſtra autem coram Nunez, & in Poſnanien. Matrimonii* 26. *Junii* 1747. §. 5. *cor. Card. Buſſio.*

Defenſor autem Matrimonii præter ea, quæ jam ex officio propoſuit, & ad quæ ſe refert, iterum ſuſtinet, Marchionem Vincentium de impotentia accuſatum anno 1759., Matrimonii conſummationem ſollemni juramento affirmaſſe, ac poſtea receſſiſſe, conſummationem negando. Graviſſimam hinc oriri dicit difficultatem, quam ſeriò ponderandam iterum proponit, cum prioribus magis, quam poſterioribus aſſertionibus deferendum eſſe contendat *Cap. Per tuas de probat. in fin., Leg. Generaliter* 13. *Cod. de non numer. pecun.*, & *leg.* 2. *ff. de Teſtib.*

Poſt hæc præcavendum iterum advertit, ne facultas Marchioniſſæ Catharinæ tribuatur ad aliud Matrimonium tranſeundi, niſi poſtquam Marchio Vincentius Tyrocinium expleverit, & profeſſionem emiſerit, quia nonniſi per profeſſionem Matrimonium diſſolvitur *de Juſt. de diſpenſat. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 85., & 86., *Clericat. de Sacram. Matrim. deciſ.* 13. *num.* 39., & *ſeq.*

Præter ea, quæ tam Conjugum Poſtulator, quam Matrimonii Defenſor deduxerant, in ſuis libellis jam præcedenter diſtributis, proſtant folia dierum 28. Aprilis, 1770., 28. Septembris 1771., & 27. Junii nuper elapſi, in quibus allata hinc inde jura recenſentur, & quidquid animad-

madvertendum in causa fuerat, exponitur. Nil igitur supereſt, nisi ut EE.PP. deliniant.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

Sess. 22. cap. 8. de Reformat.

FIRMANA CAPELLANIÆ. Capellaniam institutam anno 1716. a Sacerdote Vito Angelo Tomasini cum reservatione juris nominandi favore Joannis Philippi Vitali, ejusque descendentium, obtinuit anno 1752. Clericus *Philippus Angelus Vitali* ex nominatione Joannis Gualberti ejus Patris a dicto Philippo primo vocato descendentis, eamque retinuit, & adhuc possidet, tametsi Uxorem duxerit mense Septembris anni 1766. Deinde vita functo Joanne Gualberto Patre alter filius *Franciscus Vitali* Clericus cœlibs, obtenta etiam nominatione ab alio Fratre Paschale Vitali, ejusdem Capellaniæ petiit essequutionem. Quæstione delata ad Auditorem Eminentissimi Archiepiscopi in arbitrum electum, is judicium tulit, adjudicandam esse Clerico cælibi *Francisco*. Judicium hoc ut injustum nunc proclamat Philippus Angelus possessor, unde tum de Capellaniæ natura, & indole, tum de possessoris habilitate eam retinendi agendum est.

Præstat itaque Fundatoris dispositionem referre. Jussit ipse, ut certis designatis bonis, ac Capitalibus = *Si facci &c. una Capellania perpetua coll'obligo di celebrare due Messe la Settimana da celebrarsi il Sabbato all'Altare del Santissimo di S. Maria in Piazza, e l'altra nell'Altare del Suffragio in detto luogo in giorno di Martedì*, nec non adjuncto onere *si celebrino dal sudetto Capellano dodici Messe l'anno*. In primum Capellanum elegit Sacerdotem Joannem Baptistam Morelli, ac heredem instituit Joannem Philippum Vitali, & post obitum dicti Sacerdotis Morelli mandavit *il mio erede, e suoi figli legitimi, e naturali descendenti Maschi in infinitum abbia, ed abbino la facoltà d'eleggere il Capellano*, quibus omnibus deficientibus substituit Ven. Sodalitium Sanctissimi Suffragii.

Contendit *Philippus Angelus*, Capellaniam hanc tam ex fundationis littera, quam ex fundatoris voluntate mere Laicalem esse. Nullibi in fundatione mentionem fieri de Beneficio, sed tantum de Cappellania, quæ ex sui natura parum

rum differt a legato pio *Rot. decis.* 327. *num.* 8. *part.* 15. *rec.*, & *decis.* 1030. *num.* 6. *coram Lancett.* Nullibi item Ordinarii auctoritatem, vel approbationem pro ea implorari, nec ullum collativum titulum in Capellanis exposci, sed tantum nimplicem electionem Patronorum: hinc arguit, ab excluſa, vel saltem non requisita Ordinarii auctoritate tam in erectione, quam in collatione omnem excludi qualitatem Ecclesiasticam, quæ nonnisi Ordinarii auctoritate induci potest *Piton. de contr. Patr. allg.* 83 *num.* 4.

Nec obesse, quod Capellania certa dote ditata sit, certo in altari erecta, in perpetuum tempus instituta, & spirituale habeat onus Missarum. Inquit enim, hæc omnia communia esse tum Ecclesiasticis, tum Laicalibus Cappellaniis, unde ex iis non evinci magis unam, quam alterum qualitatem. Cæterum cum Fundator nec Ordinarii auctoritatem, nec titulum collativum desideraverit, id unum abunde sat esse, ut deficiente causa effectiva Ecclesiasticitatis, semper pro simplici legato pio habeatur, etiamsi qualitas aliqua concurrat Beneficiis conveniens *Amostaz. de Cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 1., & *Piton. de contr. patr. allg.* 33. *num.* 30.

Hinc ad II. arguit, Capellaniam a se retineri posse etiam in statu Conjugali, cum ea sit Laicalium Capellaniarum indoles, ut non tam a clericis conjugatis, quam a Laicis, feminis, ac infantibus retineri queant *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *num.* 26., & 27. Nec sibi adversari Fundatoris voluntatem, quum ipse nullibi onus Capellano dederit Sacra per se ipsum implendi, & ideo nullam habilitatem sive actu, sive habitu desideraverit. Et revera tempore nominationis non quidem nominatum fuisse qua Clericum, licet Clericus esset, cum hæc qualitas in nominatione fuerit omissa, imo etiam inito ex post conjugio, Capellaniam annuente Patre pacifice semper retinuisse in exclusionem *Clerici Francisci* Fratris. Ex his autem actibus a Fundatoris hærede gestis concludit, magis magisque excludi Cappellaniæ Ecclesiasticitatem, cum nemo de illius voluntate magis, quam heres, instructus censeatur. Spernendam demum esse electionem Sacerdotis Morelli in primum Capellanum a Fundatore factam, quia illum non uti Sacerdotem, sed tanquam sibi benemeritum unice elegit.

Contra vero *Clericus Franciscus* inquit, qualitatem Ecclesiasticæ Capellaniæ perspicuam ex ipsa fundatione scatere. Ipsum Fundatorem fuisse Sacerdotem: certam dotem assignasse: Capellaniam in certo altari perpetuo erexisse; bona non heredibus, sed Capellano reliquisse, & demum ipsum fundatorem elegisse in primum Capellanum non Laicum, sed Sacerdotem Morelli. Infert proinde, non tam omnia concurrere requisita ad Ecclesiasticam

Ca-

Capellaniam constituendam, sed apertam reddi voluntatem, ut pro Ecclesiastica habeatur, utque nonnisi Sacerdotes actu, vel habitu ad eam eligantur *Piton. de contr. patr. alleg.* 49. *num.*27.

Nec ad eamdem qualitatem Ecclesiasticam inducendam per necesse requiri Ordinarii consensum, & auctoritatem; Quum ea necessaria sit, dum res est de Capellania per actum inter vivos ordinata, secus vero quando instituitur per actum ultimæ voluntatis, in qua sat est, Ordinarium non excludi, aliaque requisita Ecclesiasticitatis concurrere, ut inde Ecclesiastica dicatur *Pamphil. decis.* 21. *num.*3. Et revera semel ac Fundator erat Sacerdos, ac Sacerdotem in primum Capellanum elegit, nihil magis ejusdem voluntati consonum esse, quam ut Ecclesiastica dicatur, ut tutius Fundatoris voluntas impleatur *Rot. coram Ratt. decis.* 150. *numero* 7. , *& in Senogallien. Capellaniæ* 25. *Febr.* 1763. *§.5. cor. Rmo Ratta*.

Arguit proinde *ad II.*, Capellaniam ut Ecclesiasticam retineri non posse a Philippo Angelo in statu conjugali *Nigr. de vacat. benef. cap.*3. *num.*2. . Cæterum addit, in Capellaniis etiam Laicalibus excludi Conjugatos, Laicos, & feminas, quoties ex fundationis lege Sacerdotes sive actu, sive habitu sunt eligendi *Rot. in Nuperr. decis.* 477. *num.*1. , *&* 2. *tom.* 5. Porro in hac fundatione non quidem Sacra injuncta fuisse heredibus, ut regulariter fieri solet, quando instituitur Legatum Pium Missarum, cuius capaces sunt Laici etiam, & fœminæ, sed injuncta fuisse Capellano ab ipsis hæredibus eligendo; ideoque apertum reddi, Sacerdotes actu, vel saltem habitu in Capellanos eligendos esse *Rot. dicta decis.* 477. *num* 3. *Tom.*5. Idque potissimum convenire tum qualitati Fundatoris, qui Sacerdos erat, tum electioni per ipsum factæ non Laicæ personæ, sed Sacerdotis Morelli.

Quæstio in præsens non est, an controversa Capellania in Ecclesiasticam erigenda sit; ita ut heredibus liceat nec ne Ordinarii auctoritatem implorare pro formali ejusdem erectione, in qua sane quæstione communis obtinet distinctio inter Capellaniam *per actum inter vivos*, & alteram *in ultima voluntate* institutam, ita ut *in prima* vetitum heredibus sit Ordinarii auctoritatem implorare, eamdemque Ecclesiasticam reddere, contra vero liceat eisdem *in altera* Ordinarii auctoritatem exposcere pro ea in Ecclesiasticam erigenda, dumodo non resistat Fundationis lex, nec Fundator expresse, vel tacite fuerit alienus ab Ecclesiastica qualitate Capellaniæ *Rota in Asconitana Beneficii* 21. *Martii* 1746. *per tot. cor. De Vais*, *in Tarraconen. Capellaniæ* 11. *Martii* 1748. *§. 9. cor. Cortada*, *& in Prænestina Legati Pii* 21. *Aprilis* 1749. *§.* 8. *cor. Lana*.

Sed quæstio tantum est, an dicta Capellania modo sit Ecclesiastica, aut Laicalis? Porro jus spirituale, quod Beneficiis inest,

ineſt, non aliunde oriri poteſt, quam ex legitima temporalium bonorum dedicatione facta Deo per ſacroſanctos Epiſcopos, quorum auctoritate unice a cæteris bonis prophanis ſeparantur, ac divini juris efficiuntur *cap. ad hæc de Relig. glom., & Rota dec.* 1030. *num.* 8 *cor. Lancett.* Hinc indubii juris eſt, quod niſi conſtet de erectione Capellaniæ auctoritate Ordinarii vel *vere*, vel ſaltem *præſumptive*, Capellania non Eccleſiaſtica, ſed Laicalis dicenda eſt, & quidem etiamſi concurrant cætera, quæ naturæ Eccleſiaſticæ Capellaniæ conveniunt *Rota in Pampilonen. Capellaniæ impreſſ. apud Piton. de contr. patr. alleg.* 33., *in Nullius, ſeu Orbellaten. Cappellaniæ* 3. *Februarii* 1741. *per tot. cor. Canilliac., & in Tarraconen Capellaniæ* 11. *Martii* 1748. §. 8. *cor. Cortada.*

Verum in Capellaniis mere Laicalibus nullam in ſe ſpiritualitatem continentibus, quæ ad inſtar ſunt Legati Pii Miſſarum, communis regula eſt, ut etiam a clericis conjugatis, mulieribus, ac Laicis acquiri, & retineri poſſint, niſi mens reſtat fundatoris ſive expreſſa ſive tacita, quæ precipue ſemper eſt religioſe ſervanda. Non enim repugnat, ut Capellania merè Laicalis ſit, ſed quoad perſonas nominandas Eccleſiaſtica, ita ut Laici, conjugati, & mulieres incapaces ſint. In una *Auximana Capellaniarum* 16. *Decemb.* 1702. propoſito *An dictæ Capellaniæ reputari debeant ad inſtar hereditatis meræ profanæ, ſintque ita Laicales, ut ad illas nominari etiam poſſint Laici, mulieres, & pueri*, reſponſum eſt *Affirmative quoad primam partem, negative quoad ſecundam lib.* 52. *decr. pag.* 449.

In una *Firmana Capellaniæ* 18. *Aprilis* 1711., qua res erat de Capellania mere Laicali, & nulla Ordinarii auctoritate erecta, propoſito *An Clericus Joannes Baptiſta Rettinus in ſtatu Clerici conjugati poſſit retinere Capellaniam, de qua agitur*, reſcriptum eſt *Negative lib.* 61. *Decr. pag* 175. Item in una *Romana Capellaniæ* 20. *Septembris* 1727., in qua agebatur de Capellania erecta cum declaratione *quod Capellanus debba ritu urſi, ed eſſere mera pura Laicale, e non benefizio Eccleſiaſtico* propoſito *An Capellania de qua agitur retineri poſſit in ſtatu conjugali per Capellanum a Teſtatore nominatum*, reſponſum eſt *Negative lib.* 77. *decr. pag.* 577., & in *Civitatis Caſtelli Capellaniæ* 24. *Aprilis* 1751.

Nullibi ſane in caſu Fundator expreſſam legem dixit, ut Capellanus eligendus deberet eſſe Sacerdos actu, vel habitu; Id ergo ſupereſt inquirendum, an ſi non expreſſe, ſaltem tacite eam legem dixerit. Porro Fundator non æque vocavit deſcendentes hæredis ad juſpatronatus paſſivum, ut eos vocavit ad Juſpatronatus activum, ſed hoc ab illo diſtinguens, activum contulit eiſdem deſcendentibus, de paſſivo autem nihil ſpecialiter diſponens, facultatem dumtaxat deſcendentibus dedit *d'eleggere il Cappellano*. Poſita autem hac diſtinctione, perpendendum eſt, an conveniat Fundato-

ris voluntati electio personæ omnino inhabilis tam actu, quam habitu, prout sunt Clerici conjugati, feminæ, & Laici. Viden. *Rot. in Hydruntina Capellaniæ 9. Maii 1698. per tot. cor. Pio, & in Eugubina Capellaniæ 6. Decemb. 1756. §. 4. cor. Emo Elephantutio.*

Dignentur itaque Emi PP. decernere.

I. *An Capellania instituta a Vito Angelo Tomasini sit Ecclesiastica, seu potius Laicalis, vel legatum pium Missarum in casu &c.*

II. *An retineri valeat a Philippo Angelo Vitali in statu conjugali in casu &c.*

Die Sabbathi 19. Septembris 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX folio præteritæ Congregationis habitæ die 29. elapſi menſis Auguſti quinque ſuperſunt Cauſæ, quibus aliæ quatuor in præſenti adjiciuntur, ut aſſueta maturitate ab EE. VV. perpendantur, & ſapienter definiantur.

FAVENTINA REDDITIONIS RATIONIS.

I. *An Vocales Congregationis Paulinæ Terræ Brixichellæ teneantur reddere rationem ſuæ adminiſtrationis Epiſcopo Faventino in caſu &c.* *Seſs. 21. cap. 8. & 9. de Reform.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An iidem Vocales teneantur deferre, ſeu mittere ad Epiſcopum in Civitate Faventiæ Libros, & Scripturas reſpicientes dictam adminiſtrationem in caſu &c.*

Et quatenus Negativè.

III. *An teneantur dictos Libros, & Scripturas ut ſupra deferre, ſeu mittere pro hac vice tantùm in caſu &c.*

IV. *An Congregatio Paulina, ſeu illius Vocales poſſint eligere, ſive deputare Ratiocinatorem, qui eorum nomine præſentiam, & aſſiſtentiam præſtet reddditioni rationis recipiendæ ſive ab Epiſcopo, ſive a Reviſore Synodali, aut ab alio per Epiſcopum deputando in caſu &c.*

V. *An redditio rationis ſive in Terra Brixichellæ, ſive in Civitate Faventiæ gratis recipienda ſit ab Epiſcopo, ſeu potius Vocales dictæ Congregationis teneantur ſoluere mercedem Reviſori Synodali, ſive alteri per Epiſcopum deputando, & in qua ſumma in caſu &c.*

VI. *An eadem Congregatio teneatur quotannis eleemoſinas Pauperibus diſtribuere, ſeu potius annis dumtaxat penurioſis in caſu &c.*

Et quatenus negative ad primam partem, & affirmativè ad ſecundam.

VII. *An indicare, ſeu determinare annum penurioſum ſpectet privativè ad Vocales dictæ Congregationis Paulinæ, in caſu &c.*

VIII. *An præſens lis agenda ſit ſumptibus dictæ Congregationis, ſeu potius ſumptibus illius Vocalium, in caſu &c.*

Et quatenus negativè ad primam partem, & affirmativè ad secundam

IX. *An reficiendæ sint eidem Congregationi a dictis Vocalibus etiam expensæ huc usque factæ, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius. Ad II. Negativè, & amplius. Ad III. Negativè. Ad IV. Affirmativè. Ad V. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad VI. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam. Ad VII. Affirmativè, & amplius. Ad VIII. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius. Ad IX. Negativè, & amplius.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

ALBEN. IRREGULARITATIS.

An sit locus dispensationi, in casu &c.

Negativè.

Sess. 25. cap. 15., & cap. 19. de Regular.

MEDIOLANEN. PROFESSIONIS.

An constet de nullitate Professionis, in casu &c.

Negativè.

Sess. 24. cap. 6. de reform. Matrim.

NEAPOLITANA MATRIMONII.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis, in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

Sess. 22. cap. 8. de Reform.

FIRMANA CAPELLANIÆ.

I. *An Capellania instituta a Vito Angelo Tomasini sit Ecclesiastica, seu potius Laicalis, vel legatum pium Missarum, in casu &c.*

II. *An retineri valeat a Philippo Angelo Vitali in statu conjugali, in casu &c.*

Ad I. Capellaniam esse laicalem. Ad II. Negativè, & amplius.

LU-

LUCANA JUBILATIONIS. Jubilationis Indultum postulavit Canonicus Joannes Matthæus Lombardi, postquam Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Majoris Civitatis Lucæ per annos quadraginta continuò, & laudabiliter inservierat: Quia verò emersit suspicio, num divino cultui, Ecclesiæque decori detrimentum inferretur, si Oratori Jubilatio concederetur, ob exiguum Canonicorum numerum; maxime quia alter ex Canonicis mala affectus valetudine Choro interesse non poterat, idcircò in Congregatione diei 8. Junii 1771. EE. PP. demandarunt, ut Archiepiscopus de qualitate servitii, de inservientium numero, de sacris peragendis functionibus inquireret, ac referret, an ex Oratoris deficientia decor Domus Dei imminueretur. *Sess. 24. cap. 12. de Reformat.*

Mandata Sacræ Congregationis exequutus Archiepiscopus retulit, divina officia, sacrasque functiones, debito cum decore, ac dignitate perfici, cum præter Canonicos adsit etiam Prior, qui Curam Animarum exercet, quique etsi nulla Chori obligatione teneatur, nihilominus in aliquibus sollemnitatibus Missam canere, & sacris functionibus solet interesse; Insuperque adesse novem Capellanos, qui in divinis officiis assistentiam præstant, & in Missis Canonicalibus Diaconi, & Subdiaconi munus exercent. Addit, Capitularibus inesse onus canendi Missam, & Vesperas singulis Dominicis, aliisque festis, nonnullisque infra annum diebus, nec non explendi Anniversaria quædam, & Exequias Defunctorum sub Parochia decedentium, quibus omnibus tum Canonici, tum Capellani conveniunt. Deficientiam verò Oratoris nullum Ecclesiæ detrimentum allaturam existimat; præsertim quia alter ex Canonicis, qui ob adversam valetudinem interesse non potest, Apostolica auctoritate sibi Coadjutorem adscivit.

Fatetur quidem, nulla in eadem Ecclesia S. Petri Majoris Jubilationum exempla reperiri, id tamen evenisse putat, vel quia nemo ex Canonicis quadragenarium servitium expleverit, vel quia nemo Indultum obtinere curaverit. Advertit enim, in alia Collegiata S. Alexandri ejusdem Civitatis, quæ idem habet servitium, quæque sex tantùm Canonicis, totidemque Capellanis constituitur, plura Jubilationum exempla numerari. Hinc concludit his verbis = *Censerem Oratorem voti sui compotem fieri perbenignè valere a singulari EE. PP. humanitate, amplissimaque potestate* = Plura hac de re perpensa sunt in folio diei 8. Junii anni elapsi, quod opportunè resumi poterit. Præstat autem hic addere exemplum in *Feretrana Jubilationis* 11. *Januarii* 1721., in qua concessa fuit Jubilatio Canonico Aloysio Zeno, licet a Capitulo opponeretur, nullum ex longæva, atque immemorabili consuetudine Jubilationis exemplum reperiri: Et in *Pisaurien. Jubilationis* 28. *Julii* 1770., in qua Sa-

Sacerdos Chriſtophorus Moſca Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli Oppidi Gineſtreto indultum obtinuit, non obſtante diſſenſu Capitularium, qui petitioni contradixerant, ne novum exemplum cum detrimento ſervitii Eccleſiæ induceretur. Alia non deſunt exempla in aliis ſimilium Cauſarum foliis, cum ſuis circumſtantiis relata, quæ inutile eſſet hic denuo recenſere. Reſtat itaque, ut EE.PP. dijudicent

An ſit concedendum Indultum Jubilationis, in caſu &c.

Affirmativè cum facultate tamen revocandi ad ſervitium, quatenus Divinus Cultus detrimentum patiatur arbitrio Archiepiſcopi.

Seſs.5. cap.1. de Reform.

URBANIEN. EXEMPTIONIS. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Urbaniæ quatuor conſtat Dignitatibus, & novem Canonicis, quorum poſtremus recentioris inſtitutionis in ſollemnioribus tantùm anni feſtivitatibus Choro inſervire tenetur, reliqui verò conſueta intereſſentiæ lege ſunt obſtricti. Habet præterea ſex Manſionarios, quorum unus feſtis ſolum diebus, alter quotidiano ſervitio adigitur, alii autem exercitio Curæ Animarum detinentur. Patet autem ex Epiſcopi relatione, quinque ex Canonicis Jubilationis Indultum obtinuiſſe, alterum ex incurabili apopleſiæ morbo in lecto decumbere, alium verò quadragenarium ſervitium brevi eſſe emenſurum, ac denique Archipresbyterum, qui tertia Dignitas eſt, facultatem abeſſendi ſtudiorum cauſa a Sac. Congregatione reportaſſe.

Primiceriatum, quartam ejuſdem Capituli Dignitatem, de Jurepatronatus Familiæ *Zucchi* aſſequutus eſt anno 1764. Clericus ex ea Familia Franciſcus Zucchi in Ordine Subdiaconatus modo conſtitutus. Is eo tempore quum annum ætatis ſuæ decimum quintum vix compleviſſet, indultum exemptionis a Choro, ut ſtudiis incumberet, obtinuit ad triennium, quod poſtea ad biennium, deinde ad annum, ac demum ad alium annum fuit prorogatum. Quintam Indulti prorogationem nunc efflagitat; Epiſcopus tamen, licet Indulti conceſſioni, nec non primis prorogationibus conſenſerit, diſſentiit a poſtrema ulteriori, quæ petitur, prorogatione, eique Socium in hac contradictione ſe addidit Capitulum.

Ut hanc quintam aſſequatur prorogationem, aſſerit Primicerius Zucchi, ætatem nondum compleviſſe annorum 25., ac neceſſitate compelli incæpta Theologiæ ſtudia proſequi, atque explere. Exhibet teſtimonium Epiſcopi Feretrani, in

in cujus Seminario moratur, qui de optimis ejus moribus, de exemplari conversatione, ac de progressu in studiis deponit, ad eaque complenda affirmat, aliquot annos adhuc esse necessarios, *ut in sacra facultate perfectus evadat, prout ex ejus ingenio, & optima voluntate pollicetur ad Dei gloriam, & Cathedralis Ecclesiæ Urbaniæ ornamentum, & decus, quod difficilius assequi potest, si in ejus ætate adhuc tenera è Parentum ejus oculis, ac solerti vigilantia ab hac Civitate alio nunc obligetur commigrare*. Consona in hac parte est depositio Lectoris, qui Oratorem affirmat optimis imbutum moribus, felicique ingenio præditum, assiduam dare operam Theologiæ morali, quam nondum absolvit, & aliquid etiam de Theologia dogmatica delibasse.

Capitulum verò convocatis comitiis assensum Primicerio Oratori denegandum decrevit, ne ex diuturniori illius absentia divino cultui detrimentum inferatur, cum plerique ex Canonicis, & Dignitatibus, vel legitimo impedimento detenti, vel Jubilationis privilegio donati, Choro minimè interfint, itaut perpauci, comprehenso etiam Primicerio superfint, qui Ecclesiæ præstent servitium. Eoque magis in hanc sententiam venit, quia animadvertit, Oratorem commodius posse, & minori cum Ecclesiæ præjudicio incæpta studia Urbaniæ prosequi, ubi nec desunt Præceptores, nec deest occasio studendi. Hoc est votum Capituli, quod tamen non una vice interpellatum ad jura sua deducenda, nondum coram Sac. Congregatione comparuit.

Episcopus quoque ait, Oratorem studiorum prætextu plures indulti prorogationes obtinuisse, ac ne sollemnioribus quidem diebus Cathedrali Ecclesiæ servitium præstitisse, licet Pinnensis Civitas, ubi degit, viginti tantùm milliariis ab Urbania distet; immò cum præterito Pentecostes festo, vigore Litterarum Apostolicarum ad Ordines promoveri deberet, nec comparuisse, nec ullum animi sui indicium præbuisse. Ex illius autem absentia contingere posse dicit, ut perpauci inservientes vel consuetis vacationibus distracti, vel aliqua corporis infirmitate detenti, Choro non interfint, & Ecclesia debito servitio fraudetur. Admittit, sibi jus esse jubilatos ad servitium revocandi, sed non semper, nec facile rem è sententia succedere affirmat. Denique observat, allatam absentiæ causam Oratori non suffragari, *namque modo Urbaniæ non unus, vel alter, sed plures quidem sunt, qui eum melius, quam in sua patria tum in litteris, tum in scientiis instruere valeant*.

Præstat ad rem animadvertere, obtinentes Dignitates, Canonicatus, aliaque beneficia residentiam requirentia, posse per quinquennium abesse vel ut alios doceant, vel ut ipsi scientiis instruantur, quemadmodum apertè statuit Honorius III. *in cap. ultim. de Magistris*, ut copia possit haberi

Do-

Doctorum, qui valeant plurimos erudire. *Docentes verò in Theologica facultate, dum in Scholis docuerint, & Studentes in ipsa integrè per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus Præbendarum, & Beneficiorum suorum non obstante aliqua alia consuetudine, vel Statuto* = sunt verba ejusdem textus, cujus glossa verbo *integrè* sic notat = *Non tamen percipiant quot diurnas distributiones, quæ tantum residentibus dari consueverunt.*

Cohæret etiam Concilium Tridentinum *sess. 5. cap. 1. de Reformat.* ibi = *Scholares, qui in ipsis Scholis studeut, privilegiis omnibus de perceptione fructuum Præbendarum, & Beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.* Dubitatum olim fuit, an exemptione a Chori servitio gaudere posset, qui non in publica Universitate, sed in aliis Scholis acquirendis scientiis vacaret. Præbuit occasionem dubitandi Præpositus Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis, qui cum obtinuisset ad quinquennium indultum abessendi causa studii in aliqua Universitate, postquam lauream Doctoralem adeptus fuerat, Scholas PP. Jesuitarum adire cæpit, & hac de causa retulit Capitulum integras distributiones eidem tradere. Itaque propositum fuit dubium = *An ipsi debeantur duæ ex tribus partibus distributionum, quamvis non inservierit, sub prætextu, quod studiis Sac. Theologiæ vacaverit in Scholis PP. Societatis Jesu Mediolani* = & S. Congregatio respondit = *affirmative* = ut in *Mediolanen. 19. Novembris 1673. ad V. dub. lib. 28. decret. pag. 188.*

Quod autem respicit Ecclesiæ servitium ejusque præjudicium ex imminuto inservientium numero, indubia res est, posse Episcopum, si opus fuerit, Jubilatos ad servitium revocare. Patet id ex responso Gregorii IX. dato Patriarchæ Antiocheno in *Cap. Cum ad hoc de Cleric. non residenti us* his verbis = *Sanè Nobis innotuit, quod in Ecclesia Antiochena multis ex Servitoribus ejus absentibus est ferè destituta Ministris, unde mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis Indulgentiis, & Prædecessorum tuorum licentia abjentes Canonicos, & Absentes revoces ad residendum in Ecclesia suprædicta* = Hinc in dubiis Jubilationis propositis *die 17. Decembris 1718.*, quæsitum inter cætera fuit = *An non obstante indulto Jubilationis Jubilatus cogi possit ad inserviendum, si Divinus cultus detrimentum patiatur* = & fuit responsum = *Affirmativè* = Idque pro regula statuit san. mem. Benedictus XIV. *de Synod. Diœcesan. lib. 13. cap. 9. num. 15. in fin.* dum ait = *Hoc tamen Jubilationum exempla tantisper imminuit, quod licet Jubilatus hujusmodi neque Choro interesse, neque in loco residere teneatur, potest nihilominus ad Ecclesiæ servitium rursus ab Episcopo revocari, si propter illius absentiam Divini cultus ratio detrimentum aliquod subire videatur.*

Dijn

Dijudicandum igitur, quid expediat in præsenti casu, quo Orator abest studiorum causa, & plures in Capitulo sunt Canonici, qui Jubilationis indulto fruuntur. Sanè Oratori diuturniorem prorogationem postulanti, ut studiis incumbat, contradicit tum Episcopus, tum Capitulum; Viderint Eminentissimi Patres, an eorum contradictio sit, nec ne rationabilis. Notandum, quod a Capitulo ex eadem studiorum causa abest etiam Archipresbyter Antonius Papi, qui Indultum exemptionis, ejusque prorogationem die 25. Januarii proximè præteriti obtinuit, absque ulla Episcopi, aut Capituli contradictione. Decernendum proindè erit

An sit concedendum Indultum abessendi causa studiorum, in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

TERRACINEN., SEU PRIVERNEN. MISSÆ CONVENTUALIS. In Parochiali Ecclesia Oppidi Magentiæ Diœcesis Privernen., Beatæ Mariæ Virgini in Cœlum Assumptæ dicata, adest Capitulum compositum ex Archipresbytero Animarum Curam exercente, & septem Canonicis, qui singulis diebus Divinas laudes persolvunt, plura adimplent Missarum legata, aliasque sacras peragunt de more functiones. Occasione Pastoralis Visitationis mense Junii anni præteriti ibi peractæ, rescivit Episcopus, a Capitulo minimè applicari Missam Conventualem; Quapropter præcepit, ut ea quotidie pro Benefactoribus in genere applicaretur. Grave nimis sibi onus imponi existimarunt Capitulares; Exemptos idcirco sese declarari efflagitant, vel quia non constat de legitima erectione Parochialis Ecclesiæ in Collegiatam, vel quia ex consuetudine quatuor ferè sæculorum Missam Conventualem non applicarunt, vel demum quia carent reditibus oneri paribus. *Sess. 22. decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.*

Proponunt in primis, nullam de erectione Collegiatæ adesse hominum memoriam, nullumque de ea inveniri potuisse monumentum, quamvis omni cura, ac diligentia Ecclesiæ Codices fuerint perlustrati. Id unum ex pervetustis libris emergere affirmant, Ecclesiam ab anno 1400. a pluribus Benefactoribus, & præcipuè a Principibus Aldobrandinis tunc Magentiæ Dominis, bonis immobilibus dotatam fuisse, cum onere celebrandi conspicuam Missarum quantitatem, aliasque functiones peragendi. Ab eo tempore dicunt, Archipræsbyterum alios adscivisse Sacerdotes, ut facilius unitim pia legata implerentur, & unicuique assignatam fuisse Præbendam scutorum quinque,

præter distributiones ex prædiorum frugibus percipiendas; atque hinc factum fuisse, ut circa annum 1615. Præsbyteri Collegiatæ titulum suæ Ecclesiæ tribuerint, sibique Canonicorum nomen usurpaverint.

Addunt, a sæculo usque XIV., & per longam sequentium annorum seriem, Canonicatus hujusmodi a Principibus Aldobrandinis, & a Dominis Terræ Magentiæ fuisse collatos, quod quidem Episcopi non permisissent, si Ecclesia in Collegiatam erecta extitisset. Arguunt idcirco, in eadem Ecclesia haberi tantummodò Sacerdotum aggregationem, qui legata adimplent, horas canonicas canunt, Sacrasque functiones peragunt, dictosque Sacerdotes nullo modo gravari posse onere applicationis Missæ Conventualis, quod Ecclesiis verè, legitimèque in Collegiatas erectis indictum est.

Provocant deinde ad consuetudinem, de qua animadvertunt, plurium Sæculorum decursu Missam Conventualem non fuisse celebratam, idque perspectum Episcopis fuisse, qui in tot Visitationibus nunquam Capitulares ad celebrationem, & applicationem adigere cogitarunt. Inductam proinde dicunt oneris præscriptionem, pro cujus exclusione quadragenariam sufficere sustinent *Pignattel. consult. Eccles. tom. 4. consult. 9. num.* 20. Neque adversus hanc præscriptionem adduci posse nonnullas Sac. hujus Congregationis resolutiones, cum eæ locum habeant quando constat de legitima erectione Collegiatæ, ac de præexistenti onere applicandi Missam Conventualem, & de sufficienti pro hujusmodi onere emolumento, neque ulla in appositum allegari valeat præscriptio.

Denique quoad emolumenta observant, nonnisi quam annua scuta 50. ab unoquoque percipi, scuta nimirum quinque ex Præbenda, & scuta 45. ex frugum partitione provenientia. In correspectivitatem autem hujusce emolumenti præter quotidianam tum mane, tum vespere Chori assistentiam, atque exequias cum Missa, & Officio, quas gratis pro pauperibus, pro divitibus autem tenui admodum compendio peragunt, teneri ad applicandas singulis annis 617. Missas lectas, & 290. cum cantu, quæ in totum Missas 907. constituunt. Deficientibus itaque pro applicatione Missæ Conventualis reditibns, concludunt, hujusmodi onere minimè posse gravari.

Quatenus verò EE. PP. ad illius applicationem Capitulares teneri quoquo modo existimarent, rogant pro reductione oneris ad dies tantum festos de præcepto ob jam probatam redituum tenuitatem, cujus causa reductionem Sac. Congregatio concessit in *Narnien. Missæ* 12. *Junii* 1712., *in Veliterna Missæ Conventualis* 14. *Martii* 1722., *in Spoletana applicationis Missæ Conventualis* 5. *Decembris* 1722., *& 23. Julii* 1729., *& in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746.

Onus

Onus celebrandi Missam Conventualem, eamque quotidie applicandi pro Benefactoribus in genere, de jure ineſt Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis *cap. Cum Creatura de celebr. Miſſ.*, & tradit ſa. mem. Benedictus XIV. in *Conſtit. Cum ſemper* §. 11. & *ſeq.* Ab hujuſmodi autem onere eximuntur Eccleſiæ, de quorum erectione in Collegiatam non conſtat, neque ea concurrunt, quæ Collegiatam conſtituunt, licet divina Officia quotidiè celebrentur, & Miſſa canatur, ut docet laudatus Pontifex *Inſtit.* 107. §. 2. *n.* 15. & *lib.* 3. *cap.* 8. *de Sacrif. Miſſæ* §. 3. Hinc Præsbyteri addicti ſervitio Parochialis Eccleſiæ Terræ Marthæ, Diœceſis Montis Faliſci, qui Canonici appellabantur, judicio Sac. Congregationis die 12. *Februarii* 1718. declarati fuerunt immunes ab onere Miſſæ Conventualis, quia compertum fuit, eamdem Eccleſiam non eſſe Collegiatam, *Theſaur. reſol. tom.* 1. *pag.* 9., idque etiam declaratum fuit in *Nullius Trium Fontium Miſſæ Conventualis* 4. *Aprilis nuper elapſi*, in cujus Cauſæ folio, quod eſt ad diem 14. *Martii*, paulo accuratius hac de re agitur.

Perpendendum itaque, an Eccleſia Parochialis B. Mariæ Virginis Terræ Magentiæ ſit nec ne, ac dici revera poſſit Collegiata. Nullum profectò habetur de erectione monumentum, ſolumque ex pervetuſtis quibuſdam manuſcriptis in illius Eccleſiæ Tabulario aſſervatis, & charactere quaſi Gothico ſcriptis reſultat, eam *Collegiatæ* titulo appellari; & conſtat etiam Præsbyteros dictæ Eccleſiæ inſervientes ab anno 1480. *Canonicos* fuiſſe nuncupatos. Inquirendum, an quæ deficit ex erectione Collegialitatis probatio, ex aliis ſaltem ſignis, atque argumentis erui poſſit.

Cæterùm quatenus Capitulares ad applicationem Miſſæ Conventualis compelli deberent, prodeſſe ipſis non poſſet contraria quelibet conſuetudo. Advertit enim ſa. mem. Benedictus XIV in *citat. Conſtit. Cum ſemper* §. 16., jam pluries fuiſſe reſponſum, *hujuſmodi conſuetudinem licet immemorabilem, quæ potius abuſus, & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari*.

Redituum verò tenuitas non eximit omninò Capitulares ab onere Miſſæ Conventualis, ſed efficit, ut ad dies feſtos coerceatur, prout monet laudatus Pontifex in *Oper. de Sacrif. Miſſæ loc. ſup. cit.*, & in dicta *Conſtit. Cum ſemper* §. 19. Si ergo EE. PP. adigendos exiſtimaverint Præsbyteros Terræ Magentiæ ad Miſſæ Conventualis applicationem, habenda præ oculis erit redituum quantitas, aliaque onera, quibus prægravantur.

Epiſcopus de more auditus affirmat, nullum erui poſſe documentum de erectione Eccleſiæ in Collegiatam, atque idcircò antiquitus nullimodè Præsbyteros ad reſidentiam fuiſſe obſtrictos. Teſtatur de numero Miſſarum, deque reditui quantitate; Suam tamen ſententiam non pan-

dit, eamque expectat ab EE. VV., qui rogantur declarare.

An, & quibus diebus Capitulum, & Canonici Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Terræ Magentiæ teneantur celebrare, & respectivè applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, in casu &c.

Sess. 22. cap. 8. de Reform.

CAMERINEN. CAPELLANIÆ. In ultimo suæ voluntatis elogio Magdalena Venanzetti heredem ex asse instituit anno 1700. Antonium Lucatelli Virum cum onere emendi LL. 10. Montium, *e con questo Capitale a beneplacito di esso Antonio si erigga una Cappellania Laicale perpetua nell' Altare privilegiato di detta Chiesa Collegiata di S. Maria di Matelica, ed il Cappellano pro tempore sia tenuto celebrare, ed in caso d'impedimento per infermità, o assenza far celebrare messe tre la settimana secondo la sua intenzione, cioè il Lunedì Mercoldì, e Sabbato.* Jus nominandi Capellanum reliquit sorori suæ Thomasiæ, & post ejus obitum filiis ejus Masculis, & deinde feminis in perpetuum, eligendo in primum Capellanum *uno de medesimi figli maschi di essa Tomasa* = Defectis vero omnibus vocatis subsituit Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, cui etiam licitum foret *sodisfare la celebrazione di dette Messe, come alli medesimi parerà.*

Legem autem adjecit, *che sintanto che detto Signor Antonio Maria farà l'erezione di detta Capellania, e che uno di detti Signori Figli maschi di detta Tomasa sarà in stato, ed in età di poter sodisfare alla celebrazione di dette Messe, sia tenuto il detto Signor Antonio Maria far celebrare dette Messe da que' Sacerdoti, che a lui parerà, e piacerà, acciò la mente di essa Testatrice sia adempita seguita la di lei morte, e che tanto gli figli di detta Tomasa, quanto altri descendenti da essa con il detto Capitale possino ordinarsi al Sacerdozio.*

Nupsit Thomasia Testatricis Soror Petro Belardi, unde anno 1768. Joannes, Petrus, & Paulus ab ea descendentes nominarunt ad dictum Capellaniam *Nicolaum Vincentium Belardi* Petri filium, qui postea Anno 1770. Clericalem Tonsuram obtinuit. Cum autem Joannes, Joseph, & Antonius Fratres de Campanellis descendentes ab Antonio Fundatricis Viro a Prò-Vicario Generali obtinuerint, ut Capellania in Ecclesiasticam erigeretur, atque nullam prædicarent, & irritam nominationem dicti Nicolai Vincentii, quæstio omnis ad hanc Sacram Congregationem fuit ablegata, unde modo inquirendum est, an dicta erectio, & no-

& nominatio ſuſtineatur, & eidem *Clerico Nicolao* Capellania ſit adjudicanda.

Inquiunt Thomaſiæ Deſcendentes, Teſtatricem alienam prorſus fuiſſe a voluntate fundandi Capellaniam Eccleſiaſticam, atque expreſsè demandaſſe erectionem *d'una Capellania Laicale perpetua*: in nulla ſui teſtamenti parte Epiſcopi auctoritatem imploraſſe, nec de eo, alioque Superiore mentionem habuiſſe, nullibi uſurpaſſe verba *præſentationis*, *collationis*, & *inſtitutionis*, ſed tantum *nominationis*: Antonio Viro facultatem dediſſe per beneviſos Sacerdotes implendi Sacra quo uſque aliquis ex Filiis Thomaſiæ adeſſet idoneus: conceſſiſſe vocatis poteſtatem ſuſcipiendi Sac. Ordines titulo Dotis dictæ Capellaniæ: demum defecta linea vocata, libertatem Canonicis ſubſtitutis dediſſe, ut diviſo inter ſe Miſſarum onere, dotem Capellaniæ ejuſque fructus inter ſe dividerent. Arguunt id circo, Teſtatricem unice demandaſſe ſimplex legatum pium, apertæque ejuſdem voluntati repugnare illius erectionem in Capellaniam Eccleſiaſticam, ac proinde obſiſtente Fundatricis voluntate penitus nullam, & irritam eſſe obtentam erectionem.

Nec momenti eſſe volitam Capellaniæ perpetuitatem, deſignationem certæ Dotis, certi Altaris, & certorum onerum, cum hæc omnia, aliaque hujuſmodi Eccleſiaſticis æque, ac Laicalibus Capellaniis conveniant, & communia ſint, proindeque ex iis qualitatem Laicalem non excludi, quam Teſtatrix adeo claris, apertiſque verbis expreſſit, ac unice exoptavit. Nullitatis demum accuſant eamdem erectionem, tum quia nullum Pro-Vicario jus eſſet erigendi beneficia, ac Capellanias Eccleſiaſtica, abſque expreſſa, & ſpeciali facultate *Monacel. in form. part.* 1. *tit.* 2. *form.* 1. *num.* 1. *Piton de contr. Patr. alleg.* 100. *num.* 10. *in ſupplem.*, & *Rot. in Tarraconen. Capellaniæ* 11. *Martii* 1748. §. 7. *coram Cortada*, tum quia facta fuerit pendente lite cum Patronis, & hiſce, licet comparentibus, non citatis, neque vocatis.

Ad II. advertunt nullam in deſcendentibus ex Thomaſia Teſtatricis Sorore qualitatem Sacerdotalem præſcriptam eſſe: nullibi in tota fundatione mentionem *Sacerdotis*, vel *Præsbiteri* haberi: nullibi onus Capellano injunctum celebrandi per ſe ipſum, imo Antonio Viro facultatem fuiſſe tributam implendi per alium Sacra uſque dum aliquis ex deſcendentibus idoneus fieret, & ulterius ipſis deſcendentibus factam fuiſſe poteſtatem, ut titulo ejuſdem Capellaniæ ad Sacros Ordines promoveri poſſint. Concludunt idcirco, nullam qualitatem Sacerdotalem requiſitam fuiſſe, ſed ſimplicem Clericalem abunde ſufficere, præſertim in Capellania Laicali, ſeu mero Legato Pio, ad quod etiam feminæ, Laici, & pueri de jure admittuntur, ac proinde con-

contendunt, nominationem dicti Clerici Nicolai Vincentii per legitimos Patronos factam undique validam, legitimamque esse.

Ajunt demum Ad III., dictum Clericum Nicolaum Vincentium descendentem esse a Sorore Testatricis, & ex propria persona vocatum, ac proinde sepositа etiam nominatione per Patronos facta, eidem semper Capellaniam ut prelative vocato adjudicandam fore.

Fratres de Campanellis licet interpellati nondum jura sua deduxerunt. In *folio* tamen, quod Episcopo exhibuerunt contendunt, validam esse erectionem, ac penitus irritam nominationem dicti Nicolai Vincentii. Ajunt, ope Ecclesiasticæ Capellaniæ pinguius Fundatricis voluntatem impleri, & in quolibet dubio pro Ecclesiastica judicandam esse. Concurrere omnia requisita ad Capellaniæ Ecclesiasticæ erectionem. Volitam a Testatrice fuisse perpetuitatem: designatam certam Ecclesiam, certumque Altare: datam peculiarem dotem: optatam demum qualitatem Sacerdotalem, vel saltem Clericalem. Hæc autem omnia tanquam Capellaniæ Ecclesiasticæ requisita aperte demonstrare, Testatricem non quidem alienam a Capellania Ecclesiastica fuisse, sed imo hanc optasse, & in animo habuisse, ac per consequens, peractam erectionem undique validam, legitimamque esse.

Nec abesse, quod Testatrix Ordinarii auctoritatem non imploraverit, & expresse eam denominaverit *Cappellania Laicale*. Nam quum res sit de Capellania ordinata non in actu inter vivos, sed in ultima voluntate, in casu, ubi Ordinarius expresse non fuerit exclusus, liceat concurrentibus aliis requisitis, Capellaniam in Ecclesiasticam erigere, *Piton. de contr. patr. alleg.* 49. *num.* 4., & *Panimol. decis.* 21. *num.* 13. *& seqq.*. Simplicem vero mentionem Capellaniæ *Laicalis* semper spernendam esse, quando ex tota fundatione constat de voluntate, ut erigeretur Capellania Ecclesiastica, cum voluntas verbis sit semper anteponenda, maximè quia agitur de dispositione Mulieris, quæ penitus inscia præsumitur quid nomine Capellaniæ *Laicalis*, vel *Ecclesiasticæ* veniret.

Additur in eodem folio, qualitatem Sacerdotalem actu necessariam esse ad Capellaniæ assequutionem, cum Fundatrix vocaverit quidem unum ex descendentibus a Sorore, sed legem dixerit, ut hæc vocatio effectum non assequeretur donec *non farà in stato, ed età di poter fodisfare alla celebrazione di dette Messe*. Præsertim quia Capellanis onus dedit implendi Sacra, eisque non permisit, ut illa ab alio implerentur, nisi in præciso casu *d'impedimento per infermità, o assenza*. Hinc idcirco inferri ex clara voluntate Testatoris, Sacerdotes actu esse eligendos, ac proinde nominationem Nicolai Vincentii, qui tempore nominationis erat

erat Laicus,& nunc ſimplex eſt Clericus,undique rejiciendam eſſe.

Ambigi ſane nequit,CapellaniamLaicalem in Eccleſiaſticam converti,ſi vel expreſſa, vel tacita accedat Ordinarii auctoritas *cap. ad hæcde Relig. dom.* Non indiſtincte tamen Ordinario licet ad illius erectionem devenire, etiamsi eam poſtulet hæres; Nam ſi res eſt de Capellania per actum inter vivos fundata, & tunc ſicuti Fundator nullam Ordinarii imploravit auctoritatem, ita ab Eccleſiaſtica erectione cenſetur alienus,proindequeOrdinarius minime poteſt,etiam petente herede,eam ex intervallo inEccleſiaſticam erigere *Pax.Jord. lucubr. tom.*1. *lib.*3. *tit.*6.*num.*91., *& Fagn. in cap. Conquerente num.*24.*de Cler. non reſid.*

At ubi agitur de Capellania ordinata per actum ultimæ voluntatis, communis regula eſt, eam inſtante herede, vel executore Teſtamentario in Eccleſiaſticam erigi poſſe *Garzias de Benef. part.*1. *cap.*2. *numer.*198., *Leuren. for. benef. part.*1. *cap.*3. *§.*1. *quæſt.* 89. niſi tamen voluntas Fundatoris vel expreſſe, vel etiam tacite reſiſtat, ita ut conſtet, illius animum a Capellaniæ erectione fuiſſe alienum *Rot. in Civitatis Caſtelli Capellaniæ* 15. *Januarii* 1744. *§.* 11.*coram Lana, & in Anagnina Capellania* 30. *Januar.* 1750. §.6. *coram Matthejo*.

Reſiſtente ſiquidem voluntate Fundatoris, ſicuti hujus commutatio vetita Epiſcopo eſt, ita nec ipſe propria auctoritate poteſt ad erectionem devenire, a qua fundator alienus fuit.Hinc cæteris omiſſis in *Viterbien.Capellaniæ* 23. *Novemb.* 1765. cum Epiſcopus reſiſtente voluntate Fundatoris Laicalem Capellaniam in Eccleſiaſticam erexiſſet, propoſito Dubio *An Cappellania S. Michaelis Archangeli ſit Eccleſioſtica, ita ut ſubſtineatur erectio facta ab Ordinario, & inſtitutio*, reſponſum fuit *Negativè in omnibus, & amplius*.

Unica itaque ſupereſt inſpectio, an in caſu Fundatrixa qualitate Eccleſiaſtica vel expreſſe, vel tacite fuerit averſa. Id enim tam ex verbis fundationis, quam ex veroſimili mente, aliiſque conjecturis dijudicandum eſt. Viden. *Rot. in Anconitana Beneficii* 21. *Martii* 1746. *per tot. coram de Vais, & in Tarraconen. Cappellaniæ* 11. *Martii* 1748. *§.* 9. *coram Cortada*,

Ad qualitatem Sacerdotalem quod attinet, Teſtatrix ita ſe expreſſit, *ed il Capellano pro tempore ſia tenuto celebrare, ed in caſo d'impedimento per infermità, o aſſenza far celebrare Meſſe tre la Settimana*. Porro Sacra Congregatio in una *Imolen. Beneficii* 23.*Maii* 1722. in qua *Martinus de Benedictis demandavit erectionem juriſpatronatus mere Laicalis in Eccleſia S. Caroli, impoſita Capellano pro tempore obligatione unius Miſſæ quotidianæ, & decem Miſſarum in perpetuum quolibet anno in Feſto S. Martini, & caſu quo Capellanus eſſet infirmus, aut legitime impeditus voluit, quod celebrare faceret Miſſas ab alio*

Sa-

Sacerdote propoſito *An Beneficium S. Joſephi ſit Sacerdotale*, & reſponſum fuit *Affirmative*.

Ponderandum tamen, an hæc Fundatricis voluntas coercenda ſit ad Capellanos, qui jam actu Sacerdotes ſunt, vel extendenda ſit etiam ad excluſionem ſimplicium Clericorum a deſcendentia prædilecta, ſemel ac quoad hos deſcendentes expreſſe indulſit Antonio Viro, ut per alios Sacerdotes Sacra impleret, uſque dum aliquis ex dictis deſcendentibus *ſarà in ſtato, ed in età di poter ſodisfare alla celebrazione di dette Meſſe*, & præterea eiſdem deſcendentibus facultatem conceſſit, ut *con detto Capitale poſſino ordinarſi al Sacerdozio*.

Emi PP. omnibus æqua lance, ut aſſolent, libratis, dignentur judicium ferre.

I. *An ſuſtineatur erectio Capellaniæ, de qua agitur, in titulum Beneficii Eccleſiaſtici in caſu &c.*

II. *An ſuſtineatur electio ad eamdem Capellaniam facta in perſonam Clerici Nicolai Vincentii Belardi in caſu &c.*

Et quatenus Negative.

III. *An dicta Capellania ſit adjudicanda eidem Clerico Nicolao Vincentio in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 21 Novembris 1772. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quæ in præcedenti folio diei 12. Septembris decidendæ ſuperfuerunt Cauſæ, in præſenti denuò referuntur, dadditis ſex aliis, de quibus ſapiens EE. VV. definitio exquiritur.

URBANIEN. EXEMPTIONIS.

An ſit concedendum Indultum abeſſendi cauſa ſtudiorum, in caſu &c. — *Seſſ. 5. cap. 1. de Reformat.*

Negativè.

TERRACINEN., SEU PRIVERNEN. MISSÆ CONVENTUALIS. — *Seſs. 22. decret. de obſer. & evit. in celebr. Miſs.*

An, & quibus diebus Capitulum, & Canonici Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ Terræ Magentiæ teneantur celebrare, & reſpectivè applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, in caſu &c.

Affirmativè pro diebus feſtis, & de præcepto tantum.

CAMERINEN. CAPELLANIÆ.

I. *An ſuſtineatur erectio Capellaniæ, de qua agitur, in titulum Beneficii Eccleſiaſtici in casu &c.* — *Seſſ. 22. cap. 8 de Reform.*

II. *An ſuſtineatur electio ad eamdem Capellaniam facta in perſonam Clerici Nicolai Vincentii Belardi in caſu &c.*

Et quatenus Negative.

III. *An dicta Capellania ſit adjudicanda eidem Clerico Nicolao Vincentio in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè, & amplius. Ad III. Proviſum in ſecundo.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Loca 58. Montis Sancti Petri, nèc non propriam Domum in Urbe positam reliquit Bartholomæus Lupardi Ven. Archiconfraternitati SS. Stigmatum, ut ex fructibus plura dotalia subsidia scutorum 50. pro quolibet distribuerentur pauperibus Puellis Religioni nomen daturis; Permisitque, ut ex hisce dotalibus subsidiis, usque ad tria dari possent eidem Puellæ *in supplementum* Monasticæ dotis. Plures autem qualitates requisivit in Puellis ad hujusmodi subsidia admittendis, quod scilicet in aliquo Monasterio extra Urbem, intra tamen districtum sexaginta milliarium profiterentur; quodque insuper ætatem annorum 25. haud excederent; ac demùm, quod non aliæ admitterentur, quam quæ dotem ab Archiconfraternitate Ssmæ Annunciationis fuissent assequutæ.

Jus nominandi tribuit Confratribus Congregationis Secretæ ejusdem Ven. Archiconfraternitatis, atque expressè prohibuit quamlibet suæ dispositionis commutationem, etiamsi in usus æquipollentes, & etiam magis pios variatio rediret. Verùm prælationem ad Subsidia dotalia concessit Justinæ ex Olympia Filia Nepti, etiamsi monasticam vitam in Urbe ipsa eligeret, ac demum hæc addidit = *Prego ancora li Signori Confratelli pro tempore della Congregazione Segreta di detta Ven. Archiconfraternità, che nella nomina, ed elezzione delle Zitelle vogliano compiacersi d'aver sempre riguardo, e preferire le altre Figliuole, e discendenti da detta Signora Olimpia mia figlia, purchè nel resto si osservino le altre condizioni da me prescritte nelle Zitelle estranee.*

Sæpius ex Summorum Pontificum beneficentia Puellis de Familia Testatoris, quæ vel in sæculo, vel in Domino nupserunt addicta fuerunt ea subsidia dotalia, ac præsertim san. mem. Clemens XIII. dotem scutorum 750. ex pio relicto assignavit Mariæ Liviæ Matthæi. Ejus exemplo permota altera Soror Lucretia Matthæi preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, quibus consimilem dotem sibi assignari postulavit, ut in Monasterio Spiritus Sancti de Urbe, ubi moratur, posset profiteri. Precibus verò Sacræ huic Congregationi ablegatis, cum ex relatione Eminentissimi Protectoris comperta fuerit Archiconfraternitatis contradictio, oportuit idcircò dubium in calce transcriptum sapienti EE. VV. judicio subjicere.

Præmittit Oratrix, consonum esse præsumptæ Testatoris voluntati, atque affectioni, ut in suos magis, quam in cæteros charitatis subsidium conferatur, juxta *Textus in Leg. Cum Avus ff. de condit., & demonstr., & Leg. Cum Acutissimi Cod. de fideicom.*, quibus decenitur, ut demandatæ in casu obitus fideicommissi restitutioni non sit locus, si gravatus cum liberis, aut Nepotibus decesserit; & pluries a

Sa-

Saera Congregatione injunctum fuiſſe Subſidiorum dotalium cumulum, ut congrua dos conſtitueretur Puellis Teſtatori ſanguine conjunctis in *Perufina Legati Dotis* 14. *Martii* 1758., *in Ferrarien. ſubſidiorum dotalium* 22. *Novembris* 1760., *& in Romana, ſeù Sabinen. ſubſidiorum dotalium* 25. *Aprilis* 1761.

Idque in præſenti caſu eo magis decerni debere ſuſtinet animadvertendo, quod ſi Teſtator prævidiſſet fœminas ab Olympia deſcendentes ad ægeſtatem redactas, congrua dote deſtitui, eas vel ad integram hæreditatem, vel ad Subſidiorum dotalium aſſequutionem nimis probabiliter admiſiſſet *Rot. coram Duran. deciſ.* 171. *ſub num.* 14., cum id exigat ordinata charitas *Leg. Præſes Provinciæ la 6. Cod de ſervit.*, *& aqu.*, & Chriſtiana dilectio, quæ prohibet, ne Exteri Conſanguineis præferantur *Can. Non ſatis*, *& Can. Eſt probanda diſtinct.* 86., *Mantic. de Conject. lib.* 8. *tit.* 5. *ſub num* 17.

Accedere exempla aliarum Puellarum, quarum favore dotium cumulus fuit demandatus, & præcipuè favore Angelæ Ballanti, quæ etſi Teſtatori quinto tantùm gradu ex linea tranſverſali eſſet conjuncta, nihilominus ſcuta 700. fuit aſſequuta. Incongruum verò eſſe, ut Oratrici deſcendenti, & magis proximæ Archiconfraternitas reſiſtat, quoties remotioribus propenſior extitit, earumque petitioni non contradixit. Fatetur quidem dotes aliis Puellis Summorum Pontificom auctoritate fuiſſe traditas; ſed inquit, in id maxime profuiſſe conſenſum Archiconfraternitatis, cui proinde hodie non liceat ab eo, quod ſemel placuit in unius Oratricis præjudicium reſilire, *Leg. Quod contra*, *& Leg. Quæ propter ff. de reg. jur. in* 6., *Leg. Si Domus* §. *Cum alicui ff. de Legat.* 1.

Neque objici poſſe Archiconfraternitatis damnum, ex quo privata remaneret jure nominandi Puellas ſibi a Teſtatore relicto, tum quia deſpecta inani gloria nominationis eadem Archiconfraternitas ſervare magis debet charitatem erga pauperes, & curare implementum voluntatis Teſtatoris, quæ uberius adimplebitur, ſi pauperibus Puellis de ipſius Familia dotalia Subſidia conferantur, *Cephal. conj.* 701. *num.* 9. *& ſeq.*, *Rot. deciſ.* 171. *num.* 14. *& 15. coram Duran.*, tum etiam quia hujuſmodi damnum temporaneum erit, cum non ſemper aderunt Puellæ a Teſtatore deſcendentes, & præterea non meretur attendi, cum potior ſit cauſa pietatis, & dilectionis erga Conſanguineos, vel Affines, quam jucundum nominationis arbitrium, *Rot. dec.* 227. *num.* 6., *& ſeq. coram Rezzonico*.

Dotis vero quantitatem poſtulat Oratrix in ſcutis 750.; Aſſerit enim, quod ſi aliis Puellis conſanguineis in minori ſumma pro temporalibus nuptiis fuit conſtituta, major ſibi aſſignari debeat dum religioſum inſtitutum juxtà Teſtatoris

mentem amplecti desiderat. Nec obesse, quod Dos a Testatore præscripta debeat esse subsidiaria; nam si aliis Puellis integra Dos Summorum Pontificum auctoritate fuit assignata, æquissimum esse putat, & voluntati Testatoris consentaneum, ut congrua Dos, quæ ad intentum professionis conducat, Oratrici constituatur; Præsertim quia exorbitans dici non potest constitutio Dotis in ea summa, quæ ejus Sorori fuit assignata.

Contrà verò Archiconfraternitas animadvertit, Oratricem omnibus qualitatibus a Testatore requisitis esse destitutam, eum nec monasticam vitam amplecti velit in Monasterio extra Urbem, nec dotem adhuc obtinuerit ab Archiconfraternitate Sanctissimæ Annunciationis; atque insuper non alia habuerit dotalia Subsidia, itaut dos, quam postulat, inserviat pro supplemento, & quia demum ætatem excesserit annorum 25., ac propterea a petitæ dotis assequutione debeat omnino repelli *Constantin. vot. decis.* 298. *num.*2. *tom.*2., *Rot. coram Buratto decis.*129., *& 500., & coram Cerro decis.*677.. Et quamvis Testator Puellas Consanguineas Archiconfraternitati commendaverit, voluisse nihilominus, ut ex præscriptis qualitatibus pollerent, dum conditionem adjecit *purchè nel resto s'osservino l'altre condizioni da me prescritte nelle Zitelle estranee*, quæ quidem conditio restrictionem importat *Surd. cons.* 365 *num.* 28. *& 29.*, *Rot. coram Seraphin. decis.*447. *num.*3., *& in Romana, seu Terracinen. Jurispatronatus* 21. *Januarii* 1754. §.13. *coram Stadion*.

Idque eo magis deprehendi, ex quo Testator Filiam tantùm Olympiæ exceperit, quam ad Subsidia dotalia admitti posse mandavit, etiamsi in aliquo Urbis Monasterio profiteri vellet, sed quoad reliquas omnes Puellas servari præcepit qualitates ab eo præscriptas, easque adamussim servandas esse dicit etiam respectu Oratricis, ne utut incapax, & inhabilis ex judicio Testatoris, Puellas alias æquè passivè vocatas habiles, & idoneas excludat, neve istis tollatur jus ex passiva earum vocatione quæsitum *Rot. coram Crispo decis.* 8. *num.*23., *coram Molin. decis.* 1124. *num.*24. *tom.*4., *& in Colonien. Abbatissatus* 25. *Aprilis* 1757. §.14. *coram Frangipane*: Passivam verò vocationem habere sustinet Puellas Romanas, quarum favore Subsidia dotalia fuerunt relicta Garz. *de Benef. par.*5. *cap.*7. *num.*23., *Loter. de re benef. lib.*2. *quæst.*8. *num.*109., *Piton. de controv. Patron. allegat.*30. *num.*5.

Ex his infert nullam Olympiæ descendentibus, quæ qualitatibus destitutæ sint, prælationem competere, earumque incapacitatem æquiparari casui illarum non existentiæ *Rot. coram Buratt. decis.* 21. *num.* 18., *& in Comen. Beneficii* 9. *Maii* 1738. §.7. *coram Peralta*. Nec quidquam prodesse, quod petitio dotis promota ab Oratrice fuerit re adhuc in-

integra, nondum ſcilicet ab Archiconfraternitate facta nominatione; quia quoties hujuſmodi petitio præjudicialis deprehenditur aliis paſſivam vocationem habentibus, debet omninò, & in quocumque caſu rejici *Rot. in Comen. Juriſpatronatus* 22. *Junii* 1744. §. 8. *coram de Vais*.

Exorbitantem præterea dicit dotis petitionem in ſumma ſcutorum 750., cum Teſtator tria tantùm Subſidia dotalia ab unaquaque Puella aſſequi poſſe permiſerit; neque ab hac lege exceperit Olympiæ deſcendentes, quas Archiconfraternitati commendavit, dummodo tamen conditiones ab eo præſcriptæ adimplerentur. Obſervat inſuper, Olympiæ filiæ ab eo prædilectæ ſex tantùm dotalia Subſidia indulſiſſe; atque idcircò incongruum fore concludit, ut Oratrix magis remota, minuſque dilecta longè majorem ſummam aſſequatur.

Denique advertit, hujuſmodi dotes ex Pontificio reſcripto fuiſſe jam aſſignatas Filiabus Sebaſtiani Buzzolaſchi, quibus ſequentibus quatuor annis tradi debent. Hinc cum Oratrix agat annum 27., & plures decurrere debeant anni antequam dotium aſſequutionem obtineat, inanis profecto evaderet gratia, cujus implementum ad ſenectam uſque protraheretur.

Jam pluries actum fuit in Sacra Congregatione de Subſidiorum dotalium collatione, deque illorum cumulo favore Conſanguinearum, pro ndeque inutile eſſet hic denuò ea omnia repetere. Præſtat videre folia in *Peruſina Subſidiorum dotalium* 4. *Martii* 1758., *in Romana Subſidiorum dotalium* 12. *Decembris* 1761., *in alia Romana* 29. *Auguſti* 1766., *& in Lucana Subſidiorum dotalium* 17. *Junii* 1769.. Certum eſt in præſenti caſu Bartholomæum Lupardi Teſtatorem nonnullas qualitates requiſiviſſe in Puellis ad Subſidia dotalia a ſe relicta admittendis, ut patet ex ejus Teſtamento, & Codicillo, quod EE VV. circumfertur. Videndum tamen, an hujuſmodi qualitates requiſierit etiam in omnibus Puellis deſcendentibus ab Olympia filia, quas ad eadem dotalia Subſidia præferri rogavit, *purchè nel reſto ſi oſſervino le altre condizioni da me preſcritte nelle Zitelle eſtranee*. Hoc itaque perpenſo, a quo totius cauſæ momentum pendet, dijudicandum erit

An, & in qua ſumma ex pio relicto bo.me. Bartholomæi Lupardi ſit aſſignanda dos Lucretiæ Matthæi, in caſu &c.

Negativè, & amplius, & ad Dominum Secretarium cum Sanctiſſimo juxta mentem.

LEODIEN. Inhærentes diſpoſitioni Petri de Lybois, qui certam pecuniæ ſummam in pias cauſas erogari mandaverat, Carolus, & Franciſcus illius Fratres Collegiatæ Ec- *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Ecclesia S. Petri Leodiensis Civitatis Canonici, nonnullas in eadem Collegiata fundationes peragere statuerunt. Eorum itaque Capitulo pandiderunt voluntatem fundandi *due Messe basse quotidiane con l'elemosina di dodici soldi per ciascuna, una delle quali dovrà celebrarsi all'Altar Maggiore nel tempo, che si dirà prima, e l'altra alla Cappella Steel, ovvero in caso d'impedimento alla Cappella di Nostra Signora.* Praeterea declararunt *fondare delle presenze per li Signori Canonici . . . . da distribuirsi alle Messe del Venerabile il Giovedì a tre fiorini, e quindici soldi per ciascuna Messa. Item la Messa quotidiana di Matutino, ed a quella sopra riferita di prima. Item alle Processioni domenicali, ed alli saluti delle Domeniche doppo Vespero, per ogni Messa, Processione, e saluto dodici soldi, e mezzo, i di cui capitali saranno parimenti alla ragione del trenta.*

Ratum id habuit Capitulum, recepitque summam florenorum 37. mil. a Fratribus de Lybois pro fundationum implemento traditam. Obiit deinde alter ex his Fratribus Franciscus instituto Hærede Capituli Decano Mosayken *con l'obbligo di dovere adempire tutti i pesi, perchè possa goderne insieme con li Signori del Capitolo di S. Pietro, e regolare anche il fruttato da essere applicato in ciascuna parte della fondazione.* Dum verò Capitulum in singula designata pia opera reditus dispertiret, agnovit, Canonicos ejus repartitionis causa gravari quotidiano servitio absque ulla vacatione, & præsentiarum emolumenta effici pinguiora ipsis Canonicalibus Præbendis; atque hinc eventurum esse, ut prædictis fundationum officiis omnes interessent, reliquis autem non sine scandalo, & cum Divini cultus detrimento, emendicatis prætextibus omninò deficerent.

Huic malo ut occurreret Capitulum preces obtulit famem: Clementi XIII., quibus facultatem imploravit detrahendi ex Massa pro memoratis fundationibus destinata, quartam redituum partem tribus anni mensibus respondentem, eamque applicandi aliis infra annum officiis, festis præsertim sollemnioribus peragendis, quæ ut plurimùm negligebantur, absque eo quod ulla in posterum admittatur absentiæ causa, quæ certa, ac legitimè probata non fuerit. Petitionem hujusmodi probavit Vicarius Generalis, qui ad tollendos abusus suum Votum his verbis aperuit = *Eliminatio autem tam turpis abusus ita quidem animum meum pulsat, ut vel ob solam hanc rationem liberariori gratiæ locum esse autbumarem.* Verùm proposito die 26. Martii 1768. dubio = *An, & quomodo Votum Vicarii Generalis Leodiensis super distributione redituum hæreditariorum de Lybois sit executendum in casu &c.* = responsum fuit = *Negativè* = Causa tamen instante Capitulo denuò proponitur, addito altero dubio in calce transcripto, ut saltem ex gratia, quod postulat, assequatur.

In-

Inquit ad I., preces eo unicè directas esse, ut eliminentur abusus, & innovationes piæ Fundatorum voluntati adversantes, quæ Divino cultui noxiæ comperiuntur. Hac proindè de causa Episcopis tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis indultam fuisse dicit a Concilio Tridentino *sess.22. cap.6. de Reform.*, facultatem Fundationum leges immutandi, *Monet. de commutat. ultim.volunt. cap.7.quæst.3.n.365. & seq.*, *Lotter. de re benefic. lib.2. quæst.47. num. 70. in fin.*, *Rot. decis.1121. num.primo part.3. lib.3. divers.*: In præsenti autem casu commutationem necessariam esse, atque utilem; necessariam quidem, quia fundationes adimpleri non possunt, ne trium mensium vacatione Canonici priventur; utilem verò, quia distributio quartæ partis redituum in alias infra annum Ecclesiasticas functiones, sicuti allicit omnes ad interessendum, ita decorem Ecclesiæ, & Populi auget devotionem *Lavor. var. lucubrat. titul. 2. cap.15. num.128. & seq.. Rot. in Recent. decis.59. num. 32. & seq. part.7.*

Addit propositam redituum partitionem consonam etiam esse voluntati Fundatorum, qui interessentiam Sacris Functionibus, Divinisque officiis adeo exoptarunt, ut omni secluso privilegio, eos tantùm distributionum participes fieri voluerint, qui designatis ab ipsis officiis interfuissent. Hanc autem interessentiam perquam facile habendam fore, si per novem menses hujusmodi officia ita dispertita peragantur, ut aliorum trium mensium vacatione non priventur Canonici, quibus intolerabile esset quotidiano servitio absque ulla quiete teneri: Nec convenire, ut ab aliarum omnium Ecclesiarum consuetudine recedatur, per impositionem oneris, cujus rigorem respuit Ecclesia *Cap.2. de Summ.Trinit.*, *& Fid. Cathol. in fin.gloss.in cap.1.verf.nota primo de immunit.Eccles.in 6.*, *Rota dec.25. num.27. coram Ansald.*

Sustinent præterea licitum esse Capitulo distributionum divisionem explere, factamque exequi oportere, dummodo Sacris Canonibus non adversetur *Gloss.in cap.2. verf.Statuto de verbor. significat. in 6.*, *Fagnan. in cap. Cum omnes sub num.37. de verbor. significat.*. Maximè quando distributiones a Fundatoribus relictæ noscuntur, ut Capituli reditus augeantur. Patere autem eam fuisse Fundatorum mentem, ut adauctis officiis majori emolumento Capitulares fruerentur; sed si Canonici quotidiano servitio absque ulla vacatione gravarentur, inanis, atque impossibilis redderetur collati Beneficii assequutio, immo Benefactorum affectio ad utilitatem, & commodum ordinata, in gravamen detorqueretur, *Leg. Non omnis ff. si cert. petat.*, *Rota coram Buratt. decis.54.num.12.*, *& coram Merlin. decis.88. num.9.*

Neque objici posse præscriptum in fundatione fuisse modum, quo

quo ea adimpleri deberet. Respondet enim nullam adjectam reperiri clausulam irritantem in casu, quo aliter exequeretur, proindeque modum in illa expressum, minimè pro forma inductum censeri *Leg.* 1. *ff. de lib.*, *& posth.*, *Dian. part.* 10. *tract.* 12, *Gratian. disceptat. forens. cap.* 607. *num.* 3.. Deinde observat, nil aliud optasse Fundatores, atque in animo habuisse, nisi, ut pia aliqua fundatio in Collegiata S. Petri erigeretur; hinc nihil curandum de modo, quoties fundatio adamussim, ac securius per æquipollens adimpleatur. Præsertim quia dum pro Fundationis exequutione tradita Capitulo fuit summa florenorum 37 mil. nulla habita ratione de modo, expressum tantummodo deprehenditur *per dovere detta rendita &c. ritornare alla fondazione . . . . secondo il progetto, che n'è fatto proposto, ed altrimenti come fara convenato rispetto alla sudetta fondazione*; ex quo Capitulum arguit modum non fuisse *determinatè*, ac *taxativè* præfinitum, sed quid aliud fuisse præ oculis habitum, quoties adhibita legitur dictio *altrimenti*, quæ diversum aliquid a præcedenti designat *Rebuff. ad Leg.* 46. *versic. Aliter ff. de verbor. significat.*

Idque ipsum desumit etiam ex Testamento Francisci, qui instituto hærede Decano Mosaiken, voluit hunc fieri participem redituum fundationis *eretta, o fatta, o di altra fondazione, che io mi riservo di fare, se la troverò a proposito*; quare contendit, determinatam dici non posse voluntatem, quæ ambiguum importat exequutionis modum, & perfectionem futuram expectat *Geddeus ad leg.* 5 *§. primo num.* 8. *& seq. ff. de verbor. significat.*, *Reyger. Thesaur. jur. tom.* 1. *verb. Actus addit.* 1. *num.* 18.. Et quamvis Franciscus decesserit absque ulla nova fundatione, aut fundationis jam factæ variatione, non ideo tamen sequi, ut modus exequutionis in præcedenti fundatione expressus aliqualiter immutari non possit, cum semper constet de incertitudine voluntatis, quæ præcisæ, ac taxativæ formæ repugnat, prout declaravit etiam Decanus Mosaiken, Fundatoribus sanguine conjunctus, & Fundationis Exequutor, cujus declaratio plurimùm debeat attendi *Rot. in Venefrana Beneficii super pertinentia Patronali* 11. *Januarii* 1743. *§. fin. coram Eminentissimo Molino, & in Monasterien. Vicariæ* 10. *Decembris* 1749. *§* 7. *coram Cortada*.

Ad II. dubium Capitulum animadvertit, hic non agi de commutanda piorum Fundatorum dispositione, dum non dicitur commutatio, quando servatur causa finalis dispositionis *Pignatelli. consult. Can.* 80. *sub n.* 2. *tom.* 9.. Causam verò finalem fuisse affectionem erga Ecclesiam, & Capitulum, nec non Divini cultus augumentum, quorum utrumque proposita reddituum partitione, atque applicatione adimpletur, nam Capitulares majoribus Officiis interessentes fundationum emolumenta percipient, & majori inservientium fre-

frequentia Ecclesiæ decus augebitur. Sed quatenus etiam optata redditiuum partitio, atque applicatio veram commutationem importaret, sustinet nihilominus eam fore omninò permittendam, cum impossibilis dignoscatur exequutio fundationis juxta formam in ea præfinitam, nec ad commutationem requiri impossibilitatem physicam, sed sufficere etiam moralem, quæ imaginem difficultatis præseferat *Abb. in Cap. Nos quidem in 2. addit. litt. B de testam.*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcop. alleg. 83. sub num. 3.*, *Rot. in Recent. decis. 267. num. 5. part. 19.*

Accedente præsertim Divini cultus augumento, cujus impedimentum sufficientem commutationis causam præbere contendit. Hinc eo magis necessariam esse commutationem, quæ fit in melius, & cui assistit voluntas Fundatorum, utpotè quia vergit in majus bonum *Imol. in Clement. Quia contingit num. 9. de Relig. Domib.*, *Card. de Luc. de testam. disc. 72. num. 16.*, *Piton. disceptat. Eccles. 69. num. 4. & seq.*, *Rot. coram Emerix Jun. decis. 806. num. 6.*

Hæc sunt, quæ Capitulum denuò proponit. Notandum, quod optata redituum partitio, atque applicatio a septennio circiter jam fuit exequutioni mandata, & maximo quidem, prout asseritur commodo, atque utilitate. Ponderandum, quanti hæc circumstantia habenda sit, ac prætereà perpenso altero istius Causæ folio, quod est ad diem 27. *Februarii* 1768. definiendum erit.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.*
Et quatenùs in decisis
II. *An sit consulendum Sanctissimo pro exequutione Resolutionis Capitularis diei 13. Aprilis 1765., in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius, Ad II. Negativè.

PADERBONEN. APPLICATIONIS. Franciscus Georgeus Harsevvinkel hæredem ex asse scripsit Henricum Christianum Fratrem, cui omnes per lineam masculinam descendentes substituit. His autem defectis jussit, ut tria, vel quatuor beneficia simplicia in Cathedrali Paderbonen. erigerentur, quorum Jurispatronatum fœminæ primogenitæ reliquit. Nuper ergò defecta masculina descendentia, Episcopus Paderbonen preces Sanctissimo dedit, ut bona in erectionem dictorum beneficiorum eroganda applicari mandaret Seminario jamjam erigendo in Alumnorum substentationem, reservata Patronis Beneficiorum facultate nominandi tres, vel quatuor Alumnos. Obstitit Maria Anna Harsevvinkel, in quam Beneficiorum Patronatus devenit; Quumque eadem Mulier donationis titulo Patronatum cesserit Francisco Ludovico Meyer, aliæque preces Sanctissimo datæ fuerint pro dictæ donationis approbatione, ablegatis hinc precibus utrisque ad Sacram Con-

Sess. 22. cap. 6. & sess. 23 cap. 18. de Reform.

gregationem, nunc tam de petita *unione*, quam de *donationis* approbatione inquirendum est.

Ad I. inquit Promothor Fiscalis, in commutandis ultimis voluntatibus duo spectanda esse, utilitatem nempe, & necessitatem *sess. 22. cap. 6. de Reformat.*. Utrumque autem in casu concurrere, quum nihil Reipublicæ Christianæ utilius, ac magis necessarium sit erectione Seminarii. In eo enim Adolescentes a sæculi illecebris primo ætatis flore sejuncti, pietate, doctrina, optimisque moribus instruuntur, ad Clericalem statum, disciplinam morigeram, & ad omnia virtutum genera ducuntur; hinc a vetustis Canonibus, Synodalibus Conciliis, nec non Oecumenico Tridentino tam utilem, necessariamque Seminarii erectionem summopere injungi. Hanc verò erectionem maxime optandam esse in Paderbonensi Civitate, in qua admixtis Hæreticis cum Catholicis necessitas urget, ut sapientiores, magisque docti Ecclesiæ Ministri habeantur, qui non tam Catholicos verbo, & exemplo foveant, & a nefaria contagione removeant, quam Hæreticos in salutis, & veritatis semitam reducant. At quantum utilis, & necessaria est in Paderbonensi Diœcesi Seminarii erectio, tantundem inanis, ac supervacanea foret nova Beneficiorum erectio, cum Cathedralis jam iis abundet usque ad numerum quadraginta, & nihil Christianæ Reipublicæ prosint, sed utpotè nullo fere onere gravata nonnisi ad locupletandos tres, vel quatuor Clericos inservire valeant.

Urgente idcircò utilitate, ac Seminarii erigendi necessitate, commutationem voluntatis optandam, & indulgendam esse. Eamque ipsam consonam esse inquit verosimili Fundatoris voluntati, quum ipse pius, & in Deum religiosus Vir post defectam lineam masculinam non fœminas vocaverit, sed bona omnia Deo addixerit in pietatis, religionisque Christianæ augumentum ope erectionis Beneficiorum; illamque ordinasse probabile est, quia hæc una species pii operis religiosæ Testatoris menti obversata fuerit, hancque utiliorem, saluberrimam, & magis necessariam ad Religionis Christianæ augumentum cogitaverit. Dum itaque Seminarii erectio longe utilior, ac magis necessaria est, piæ Testatoris menti maximè convenire videtur, ut hoc magis pium, utiliusque opus exequatur, quo pinguius illius voluntas impletur, Christiana Religio augetur, atque Ecclesia Dei piis, doctis, & prudentibus Ministris imbuitur, ac ornatur.

Nec ad Seminarii erectionem adhiberi posse media a Concilio Tridentino præscripta. Reditus enim Episcopales, ut prosequitur, adeo tenues sunt, & ultimi belli temporibus imminuti, ut vix vivendi media pro Dignitatis statu Episcopo supersint. Clerum item Sæcularem, & Regularem iisdem temporibus adeo ære alieno se obruisse, ut

ut ad contribuendum pro Seminario undique impar evaserit; Opus ideo esse extraordinario remedio, ut tantæ necessitati consuli queat. Hinc si Tridentina Synodus Ordinariis indulget, ut commutata Fundatorum voluntate Beneficia licet jam erecta, reservata, & affecta etiam ante vacationem unire valeant, potiore jure indulgendam esse unionem bonorum, quæ Beneficii naturam nondum induerunt. Nec obesse dissensum Patronæ, quum ille irrationabilis sit, statim ac loco nominationis Rectorum ei præservatur nominatio totidem Alumnorum; ac proinde spernendus sit, eique anteferenda Diœcesis utilitas, atque necessitas, *Piton. de controv. Patron. allegat. 55. num. 2.*

Ad II. advertit, nullibi ad Juspatronatus vocatos esse hæredes, & successores, sed tantum lineam femininam jure primogenituræ descendentem, idemque juspatronatus delatum esse ad Primogenitam uti simpliciter pollentem jure Sanguinis, non qua hæredem quia post defectos Agnatos Opus pium fuit substitutum. Hinc arguit juspatronatus non quidem hæreditarium esse, sed quodammodo gentilitium, ac familiare in familia fœminæ primogenitæ, ac proinde cedi non potuisse Francisco Ludovico Mayer, qui persona exeranea est a familia vocatorum. Nec obesse putat, quod Maria Anna sit ultima de familia, unde in ipsa Juspatronatus evaserit hæreditarium. Advertit enim Testatorem taxative, & limitative vocasse ad juspatronatus fœminas primogenitas, earumque descendentes, ideoque hisce defectis omne juris patronatus vinculum censeri penitus dissolutum, ac peremptum, & beneficia ad liberam Ecclesiæ collationem redacta *Tondut. quæst. benef. part. 1. cap. 32. num. 35. in fin.*

Contra Franciscus Ludovicus Mayer ad I. inquit, Fundatorem unice erectionem Beneficiorum demandasse *invariabili dispositione*, & injuncta *ad litteram* executione, itaut omnia *firmiter*, & *inviolabiliter* servanda, & implenda essent. Nulli itaque interpretationi voluntatis adeo claræ, & enixæ locum esse, nec aliter Seminario applicari posse Bona relicta, quam ope eversionis, abolitionis, & odiosæ comutationis voluntatis. At vero hanc non aliter indulgendam etiam a Summo Pontifice, nisi ex urgentissima, & necessaria causa *Rot. dec.* 1041. *num.* 11. *Tom.* 4. *coram Molines*. Verum licet utilis, ac necessaria sit Seminarii erectio, non inde tamen oritur justa, & necessaria causa applicandi bona pro erigendis beneficiis destinata.

Concilium siquidem Tridentinum tria pro Seminarii erectione præscripsit. I. ut uniantur ea, quæ ad instituendos, alendosque pueros destinata sunt II. ut aliqua fructuum portio a Massa Episcopali, Capitulari, aliisque omnibus Beneficiis detrahatur III. in subsidium ut Beneficia uniantur

tur *sess.23.cap.18. de Ref.*. At veroadvertit,usqueadhuc nulla loca pia pro alendis, instruendisque pueris destinata unita fuisse, etsi plura adsint tam in Civitate,quam in Diœcesis Paderbonen.: nullam taxam impositam fuisse diviti Mensæ Episcopali, Capitulari, Parochiis, Comendis, aliisque beneficiis numero pluribus, quorum omnium reditus ad conspicuam summam scut. 264. m. ascendunt. Hisce autem omissis injuria oculos statim converti ad unionem Beneficiorum, vel bonorum pro Beneficiis destinatorum, quæ nonnisi in subsidium iis deficientibus uniri, & applicari possunt *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib. 9. cap.7. num.3.*, & *Garzias de Benef. dec.8o. n.6.*

Hanc siquidem commutationem non quidem redolere publicam utilitatem, vel necessitatem, sed tantum privatum commodum mensæ Episcopalis, aliorumque Dioecesis beneficiorum, qui ab onere taxæ sublevarentur. Hinc absonum esse inquit evertere enixam, expressamque Fundatoris voluntatem, nec non derogare juribus Patronorum, qui amplius non possent Beneficiatos eligere, & suos, vel exteros gratificari, ut eorumdem titulo ad Sacros ordines promoveri possint. Cæterum addit Beneficia uniri non posse nisi post erectum Seminarium, introductosque alumnos *Barb. de potest. Episc. part. 3. alleg. 71. num. 23.*, *Lotter. de re benef. lib.1. quæst.30. num.47.*, *Pignatel. consult. can.81. num.99.* Tom.9., & ea tantum uniri posse, quæ sunt liberæ collationis Ordinarii, non vero quæ sunt jurispatronatus, vel ad Inferiorum collationem spectant *Pax. Jord. lib. 7. tit.4. de Semin. num.65.*, *Fermos. tom.11. ad text.in cap. quia 4. de Magistr. quæst. 2. num. 22. Pignatel. cons. 81. num. 30. tom.9.* verum usque adhuc Seminarium non esse erectum, & Beneficia erigenda subiici juripatronatus, & spectare ad collationem Inferiorum.

Ad II. ait, recte Patronos posse Patronatum donationis titulo in alium transferre *Rot. coram Duran. decis.407. num.6.* initam proinde donationem uti juri consonam confirmationem mereri. Nec obesse defectum consensus Episcopi. Hic enim non requiritur dum confirmatio a S.Sede petitur & ulterius contradictio undique irrationabilis sit dum nullæ legitimæ causæ innititur, sed tantum injustæ prætensioni bona Seminario uniendi, unde tam iniustum dissensum non tam spernendum, quam moderandum, & supplendum esse a Superiore *Rot. cor. Seraph. dec. 833. per tot.*, & *dec. 20. num. 13. de jurep. cor. Falcon.*

Nuntius Apostolicus censet,indulgendam esse petitum bonorum unionem favore Seminarii, nec non confirmandam esse Patronatus Donationem, ut ex ejusdem Relationibus, quæ inter monumenta causæ habentur.

Synodus Tridentina post probatam Seminariorum utilitatem, ac necessitatem, *ultra ea quæ ad instituendos, vel alendos pueros sunt in aliquibus Ecclesiis, & locis Piis restituta,quæ*

eo ipso huic Seminario applicata censeantur jubet, *ut Episcopi cum consilio duorum &c. ex fructibus integris Mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum &c. partem aliquam, seu portionem detrahent, & eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis, & dignitatis, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem sine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, huic Collegio applicabunt, & incorporabunt sess. 23. cap. 18. de Ref.*

Remedium tamen hoc unionis subsidiarum est, ita quidem ut non aliter beneficia uniri queant, nisi præcesserit dismembratio partis fructum Mensæ Episcopalis, Capitularis, & Beneficiorum, quam fructuum dismembrationem passim Doctores *Taxam* appellant, eaque non expleta unio beneficiorum nullomodo subsistit *Lotter. lib. 1. quæst. 29. num. 61. Barbos. alleg. 77. num. 2.* Requiritur item pro validitate unionis, ut Seminarium vere sit erectum, nempe præparata Domus, formaliter institutum Collegium puerorum, ipsique cum Magistris actu introducti, & electi Canonici pro illius directione, ut edixit Sac. Congregatio in *Nullius 8. Junii 1595.* per hæc verba = *Item censuit unionem Beneficiorum ad Episcopo factam Seminario re ipsa nondum erecto nullam, & irritam esse.* & in altera *Nullius 3. Martii 1597.* = *Sacra Congregatio censuit non posse uniri beneficia Seminario si juxta formam ipsius Concilii unionis tempore minime erectum fuerit, utpote nec Magistris, nec Scolaribus actu existentibus*, & in *Licien Unionis 16. Maii 1711.*

Non item quælibet Beneficia cujusvis speciei uniri possunt, sed tantum ea, quæ liberæ sunt Collationis Ordinarii, vel Sanctæ Sedis, adeo ut nec Beneficia juripatronatus præsertim Laicalis, nec quorum collatio ad Inferiores spectat, uniri, & applicari Seminario queant *Pax. Jordan. lib. 7. tit. 4. de Semin. num. 65. Amostaz. de cauf. piis lib. 4. cap. 12. num. 39., Pignatel. conf. 81. num. 30. tom. 9.*

Hæc tamen recte procedunt quando Episcopus in vim facultatis sibi a Concilio concessæ ad beneficiorum unionem procedit. At vero in præsenti casu Episcopus Paderbonen non sua utitur jurisdictione, sed facultatem a S. Sede implorat controversa bona pro erigendis beneficiis destinata Seminario uniendi, & applicandi. Id ergo inquirendum an desint alia media conciliaria, quæ præire debent unionem; hisque deficientibus an justa, & necessaria causa concurrat non tam commutandi Testatoris voluntatem, quam asperandi Patronæ dissensum, & derogandi collationi quatuor Præsbyterorum executorum, quibus a Testatore relicta fuit.

Ad II. vocata est ad juspatronatus linea fœminina cum suis descendentibus. *Maria Anna* unica, & ultima superstes est, unde juspatronatus sive ex sui indole familiare, sive hæreditarium sit semper in dicta *Maria Anna* evasit hæ-

re-

reditarium juxta notiſſimam Theoricam *Ancarani in conſ.* 81. Hæc tamen limitationem patitur quando vel expreſſe, vel tacite Fundator taxative coercuit juſpat ronatus ad perſonas, & gentem nominatas: in hoc ſiquidem caſu perſonis extinctis, perimitur etiam juſpatronatus, & Eccleſia omnimodam Beneficiorum libertatem adipiſcitur, *Tondut. quæſt. Benef. part.* 1. *Cap.* 32. *num.* 35.

Spectatis itaque rerum circumſtantiis, nec non littera Fundationis dignentur Emi PP. judicium ferre.

I. *An ſit locus unioni, & applicationi hæreditatis quondam Franciſci Georgei favore Seminarii Epiſcopalis Paderbonenſis in caſu &c. & quatenus negative.*

II. *An ſit confirmanda donatio Juriſpatronatus facta per Annam favore Henrici in caſu &c.*

Non propoſita cum reliquis.

Seſſ. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

TUDERTINA RESTAURATIONIS DOMUS PAROCHIALIS. Per obitum Sacerdotis Franciſci Trombetti ſequutum anno 1762. Archipresbyteralem Eccleſiam Oppidi Montis Caſtrilli obtinuit Sacerdos Romualdus Angelucci. Is cum Parochiales ædes ruinam minantes reperiiſſet, in propriam domum ſeſe recepit, & contra Prædeceſſoris hæreditatem pro emendatione damnorum judicialiter inſtetit. Verùm inani cognita actione contra obæratam defuncti Archipresbyteri hæreditatem in pia legata inſuper conſumptam, inſtetit contra Communitatem, & ſingulos Parœciæ homines, ut ad reſtaurationem Domus Archipræsbyteralis compellerentur. Sed licet nonnulli eorum quotam in reædificationem ſeſe collaturos profeſſi ſint, alii tamen, atque ipſa etiam Communitas petitioni reſtiterunt; hinc, dubium in calce tranſcriptum definiendum proponitur.

Suſtinet Archipræsbyter peculiarem uniuſcujuſque Loci conſuetudinem hac in re ſpectandam eſſe, & ad reſtaurationem Domus Archipræsbyteralis eos adigi debere, qui alias hujuſmodi onus ſubire conſueverunt *Abbas in Cap. Quicumque* 1. *de Eccleſ. Ædific. num.* 1., *Lanfred. reſponſ. Eccleſ.* 32. *num.* 13. Ex nonnullis verò Teſtium depoſitionibus reſultare affirmat, Parochialem Eccleſiam Montis Caſtrilli a Communitate ſemper fuiſſe reſtauratam; Si ergo ad Communitatem ſpectat onus reſtaurationis Eccleſiæ, ad eam quoque ſpectare debere contendit reſtaurationem domus Archipræsbyteralis, quum ea pars ſit, & Eccleſiæ membrum, ita ut ii teneantur domum reſtaurare, quibus onus reparandi Eccleſiam incumbit *Barboſ. de Paroch. Cap.* 13. *num* 12.

Addit Beneficium Archipræsbyterale, ne congruam quidem pro Archipræsbytero præbere, nam deductis expenſis, illius

lius reditus vix ad scuta 30. pertingunt. Hinc locum in præsenti casu habere non posse dicit decretum Concilii Tridentini *Sess.* 21. *Cap.* 7. *de Reform.*, quod Ecclesiarum collabentium restaurationes ex Parochiæ reditibus primario fieri præcipit, immò ex ipsa Concilii dispositione onus hujusmodi in Communitatem, & Populum refundere conatur, quibus, deficientibus Parochiæ reditibus, iniunctum legitur, *Abbas cons.* 70. *part.* 1. *num.* 2., *Lambertin. de jurepatr. art.* 2. *quæst.* 7., *Barbos. de Paroch. cap.* 13. *n.* 6.

Communitas, & a Contributione dissentientes licet pluries moniti jura sua hactenus deducere neglexerunt. Episcopus, qui exposita confirmat, his verbis concludit = *Id unum reliquum esse judico, quoniam EE. VV. jubent me animi mei Sententiam proferre, ut suprema, qua ipsæ pollent auctoritate, aut Communue, aut singulos Castri, & Pareciæ Montis Castrilli adigendos, compellendosque decernant, & jubeant ad Parochialem, de qua sermo est, domum reficiendam, reparandamque.*

Sedulo curandum est, ut Parochiales Ecclesiæ vel temporum injuria, vel vetustate collabentes summa cura, ac diligentia reficiantur. Alexander III. in *Cap.* 4. *de Eccles. ædif. vel repar.* sic respondit Episcopo Lexovien. = *De iis, qui Parochiales Ecclesias habent duximus respondendum, quod ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis superfunt conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.* Cohæret Concilium Tridentinum *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reformat.*, ubi ulterius etiam progreditur ad eos omnes indigitandos, qui in defectum Parochialium redituum restaurationis onus subire debeant, dum statuit *Parachiales Ecclesias etiamsi Jurispatronatus sint, ita collapsas refici, & restaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota.*

Ex hac Concilii Tridentini dispositione nonnullos veluti gradus Doctores constitnunt, quos latè enumerat S. M. Benedictus XIV. *Inst.* 100. *per tot.* Præcipuè verò animadvertit *num.* 11., quod si *vetus, ac certa consuetudo afferatur, ob quam privati aliqui Cives expensas facere cogantur, tunc ea consuetudo vim legis habere, ac retinere debet.* Hinc in præsenti casu ponderandum, an probetur consuetudo, ex qua resultare asseritur Communitatem, & Homines Oppidi Montis Castrilli expensis pro Ecclesiæ restauratione succubuisse.

Quæ autem de Ecclesiarum reparationibus statuta sunt, militant etiam quoad Domos Parochiales, quæ earumdem Ecclesiarum tanquam pars, ac membrum habentur. *Piringh.*

ringh. lib.3. jur. Can. tit.48. num.16., Barbos. de Parochis cap 13. num.12., qui ita decisum fuisse asserit ab hac S. Congregatione. Videndum tamen, an reditus Archipræsbyterales suppetant, ut ad juris tramites definiri valeat.

An, & ad quem spectet reparatio Domus Archipresbyteralis in casu &c.

Sess.25. cap.4. de Reform.

AQUEN. REDUCTIONIS. In Ecclesia Beatæ Virginis Dolorum, quam in Burgo Majori Civitatis Aquensis ære proprio ædificaverat bo. mem. Carolus Antonius Gozanus ejusdem Civitatis olim Episcopus, Beneficium instituit anno 1720., cum onere Missæ quotidianæ a Beneficiato per se ipsum celebrandæ, addita insuper eidem obligatione Sacramentales Fidelium Confessiones designatis diebus excipiendi. Dotem Beneficii constituit in censu duplarum hispanicarum 250:, ex quibus annua scuta quindecim retrahebantur: Deindeque alium censum assignavit duplarum 50., annuique reditus duplarum trium, quas erogari voluit in emundationem linteaminum, Sacrarumque suppellectilium sarcitionem, nec non in expensas hostiæ, & vini., quæ omnia Sacerdotibus etiam in eadem Ecclesia celebrantibus subministranda mandavit.

Hodiernus Beneficii Possessor Guidus Gaiti onerum reductione ob redituum decrementum implorata, petiit, ut firmis remanentibus aliis oneribus, Missarum numerus imminueretur. Verum proposito in Congregatione diei 27. Junii præteriti dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.* = Eminentissimi PP. rescripserunt = *Deleto onere audiendi Confessiones non esse locum reductioni Missæ quotidianæ* = Non aptè sibi hoc modo consultum putat Beneficiatus; Quare iterum petit Missarum reductionem, earumque numerum juxta rationem taxæ perpetuæ implorat præfiniendum.

Quoties enim pium aliquod legatum fuit *taxativè* relictum, sustinet, locum esse onerum reductioni, si reditus deficiant. Claram verò esse dicit dispositionem Episcopi Gozzani, nam duplas 250. pro Beneficii dote assignavit, ex quibus annuæ duplæ 15. retrahebantur: Patere autem ex ipsius met Episcopi testimonio easdem nunc reddere duplas decem dumtaxat, proindeque denegandam non esse reductionem, cui eadem de causa annuit S. Congregatio, *in Ravennaten. Applicationis Missarum 27. Julii 1737.*, *& in Firmana Officiaturæ 29. Augusti 1761.*, eamque ita elargiendam, ut emolumento taxæ perpetuæ in futurum respondeat, habita etiam ratione oneris residendi in loco, Missamque in certa Ecclesia, & in designato Altari celebrandi, quorum causa pinguius emolumentum solet assignari *Pasqualig. de Sacrif. Missæ tom.2. quæst.3. num.2.*, *& seq.* Maxime quia alias

alias imminet periculum diuturnæ beneficii vacationis, quo casu Missarum eleemosinam ad ratam taxæ perpetuæ S. Congregatio præfinivit in *Mediolanen. Reductionis Missarum 9. Aprilis* 1718., *& in Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1719

Non diffitetur Orator in reducendis oneribus, alia potius onera, quam Missarum numerum imminui debere; verum animadvertit, in præsenti casu onus excipiendi designatis diebus Fidelium confessiones bonum publicum, & publicam utilitatem respicere, atque idcircò sustinet, omnium onerum reductionem proportionabiliter fieri oportere *Passerin. de stat. homin. tom* 2. *quæst.* 183. *num.* 1101. Præsertim quia ablatio oneris audiendi confessiones, non satis consulit Beneficiato, cum beneficii reditus vix attingant scuta 33. 25., quæ adimplemento oneris Missæ quotidianæ, non sufficiunt, etiamsi emolumentum juxta eleæmosinam manualem calculetur.

Demum observat habendam quoque esse rationem de expensis pro vino, hostia, sacrisque suppellectilibus, quæ omnia Sacerdotibus in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum celebraturis Fundator subministrari voluit, pro quibus annua scuta 080 requiruntur. Affirmat autem ex capitali ad id assignato scuta tantum 6. 65. singulis annis retrahi.

Duo censuum Capitalia reliquit Episcopus Gozzanus: Alterum scilicet duplarum 250., quarum reditus assignavit Sacerdoti, qui Missam quotidie celebraret, & Sacramentales Fidelium Confessiones designatis diebus exciperet: Alterum duplarum 50., earumque fructus inservire jussit pro emundatione linteaminum, sacrarumque suppellectilium, nec non pro expensis vini, & hostiæ, quæ unicuique Sacerdoti subministrari præcepit. Quum ex primo Capitali scuta tantum 33. 25. modo retrahantur; ejus summæ tenuitas effecit, ut decerneretur deletio oneris audiendi confessiones. Videndum tamen an sit locus reductioni oneris Missæ quotidianæ, & an eleemosina ad rationem manualis præfiniri debeat, seu juxta taxam perpetuam a Beneficiato exoptatam, quam Episcopus testatur in obulis duodecim cum dimidio pro Aquensi Diœcesi esse constitutam.

Alterum verò Capitale duplarum 50. fructum reddit scutorum 6. 75.: Hinc quatenus hæc summa par non sit expensis emundationis linteaminum, sacrarumque suppellectilium manutentioni, ac parandis præterea vino, cera, & hostia, hoc in casu decernere oportebit, an quidquam detrahendum sit ex fructibus alterius Capitalis pro Missarum celebratione destinatis. In folio diei 30. elapsi Mensis Maii plura hac de re adnotata sunt, quæ animadversione digna videntur: Quare non dedignentur Eminentissimi PP. illud resumere, ut definiant.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CIVITATIS CASTELLANÆ. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Antonius Forlani*, & *Anna Maria* conjuges, una cum *Canonico Felice*, & *Maria Bernardina Forlani* jam usque ab anno 1746. conjunctim testamenti tabulas obsignarunt clausas, & sigillatas, ac nonnisi post omnium obitum aperiendas. In his demandata in primis unius Canonicatus erectione in Cathedrali Ecclesia Civitatis Castellanæ ex certis designatis bonis, cum onere unius Missæ quotidianæ in Altari S. Josephi celebrandæ, heredem ex esse instituerunt Mariam Franciscam Forlani filiam, & respective neptem jam Monialem professam in Cœnobio Sanctæ Mariæ Gratiarum Civitatis Castellanæ, ubi institutum S. Claræ profitetur, adhoc ut hujus institutionis medio commodius in Monasterio vita comunis induci posset, addita lege, ut haud introducta intra decennium vita comuni, hereditas devolveretur ad Sacrum Montem Pietatis ejusdem Civitatis.

Sub hac dispositione decesserunt *Canonicus Felix*, & *Maria Bernardina*, sed superstites conjuges *Antonius*, & *Anna Maria* anno 1752. novas tabulas exararunt, in quibus loco Canonicatus erigendi demandarunt erectionem Cappellaniæ, seu pii legati cum onere Missę quotidianæ in eodem Altari S. Josephi celebrandæ, & heredem instituerunt *un nuovo Monasterio da erigersi per dodici Monache Coriste con due Converse sotto la stessa regola di S. Chiara &c. acciò in questo nuovo Monastero possino passare la sudetta nostra Carissima Figlia, Suor Maria Minima Anastasi con la Conversa Suor Maria Pacifica secondo il loro desiderio, ed altre buone Zitelle, che ne faranno istanza.*

Defuncto vero *Antonio Viro* superstes Conjux *Anna Maria* prævidens relicta bona imparia esse ad Canonicatus, & novi Monasterii erectionem, condidit clausos Codicillos anno 1754. in quibus confirmando heredem Sanctimonialem filiam, hanc oneravit annua præstatione scut. 30. favore Josephi Menicocci, hujusque filiorum, nec non jure legati reliquit unam domunculam Margaritæ Speranza famulæ, ac tandem jussit ut ex propriis pecuniis scuta 30. consignarentur Canonico, Antonio Lepore, & totidem aliq Sacerdoti Marco Cæsari Valentini pro Missis in dicto Altari S. Josephi celebrandis, & residuæ pecuniæ in elemosinas beneficio pauperum Civitatis distribuerentur.

Apertæ sunt hæ omnes dispositionesdie 11. Febr. anni 1768. At cum interim anno 1759. introducta Episcopi auctoritate vita communi in dicto Cœnobio impares essent hujus reditus ad Monialium alimoniam, res eo deducta est, ut non tam Monasticæ Dotes consumptæ fuerint, sed etiam Cœnobium gravi ere alieno gravatum remanserit. Unicum tot erumnis remedium petebatur ab aquisitione dictarum hereditatum, at apertis dictis clausis dispositionibus inter se etiam contrariis, hereditates maxime gravatas agnoverunt tum Canonicatus erectione, tum novi Mo-

Monaſterii fundatione, tum aliis legatis ab *Anna Maria* relictis, ita ut hiſce omnibus demptis deſit neceſſarium ſubſidium ad communem Monaſticam vitam ducendam.

Qua de re Sanctiſſimo preces dederunt pro commutatione voluntatum, tam quoad Canonicatus erectionem, quam quoad novi Monaſterii fundationem. Sed cum interim auctorante Epiſcopo de conſenſu Capituli, aliorumque intereſſe habentium conventio inita ſit erigendi Canonicatum ex certis bonis annui reditus ſcut. 60. circiter, nunc ideo Moniales preces renovant pro commutatione quoad novi Monaſterii fundationem, & pro approbatione folii conventionis circa Canonicatus erectionem initæ, adjecta tamen conditione, ut Canonicus pro tempore teneatur unam ſaltem in hebdomada Miſſam in Eccleſia Monaſterii celebrare.

Inquiunt, eam omnium diſpoſitionum fuiſſe cauſam finalem, ut communis vita a Monialibus ſervari poſſet. Ita expreſſum fuiſſe in tabulis anni 1746. & 1752. ſemel ac proinde in hodierno Monaſterio S. Mariæ Gratiarum jam uſque ab anno 1759. communis vita introducta fuit, atque hæc adhuc in præſens ſervatur, jam ſatis impletam eſſe finalem diſpoſitionum cauſam, Teſtatorumque voluntatem. Impleta proinde cauſa, habitoque effectu a Teſtatoribus volito non amplius curandum eſſe de modo ab ipſis præſcripto, ſed integram hereditatem, deptis bonis Canonicatui aſſignatis, impletiſque legatis, Monaſterio eſſe addicenda *leg. 35. ff. de leg. 3.*, & *Rot. d cif. 107. num. 7. Tom. 1, Nuperr.*

Fortius quia novi Monaſterii erectio exequi nullomodo poteſt. Reditus ſiquidem hereditatum, demptis creditis difficilis exactionis, bonis Canonicatui aſſignatis, impletiſque legatis, adeo tenues, exiguoſque eſſe ajunt, ut longe deſint ad novi Monaſterii conſtructionem, Monialiumque ſuſtentationem. Neceſſitatem ergo urgere, ut potius hodierno Monaſterio addicantur, ſemel ac cauſa finalis, volituſque effectus impletur, ne alias undique inanes tot reddantur diſpoſitiones, & effectu vacuæ. Potiſſimum quia cum Monaſterium jam ingenti ære alieno gravatum ſit, nihil juſtitiæ, aquitati, ac piæ Teſtatorum voluntati magis conſonum eſt, quam ut hoc ſaltem medio volita vita communis impleatur, & executioni demandetur, ne alias hoc etiam Monaſterium ex cauſa redituum tenuitatis claudi & ipſum, vel ſuſpendi debeat.

Poſtulant item, ut ad conciliandas varias Teſtatorum diſpoſitiones approbetur inita conventio circa Canonicatus erectionem. Advertunt eam editam fuiſſe conſentientibus omnibus intereſſe habentibus, & auctorante Epiſcopo, ut meliori, quo poſſit, modo Teſtatorum voluntas exequeretur. Optant tamen ut Canonico pro tempore onus injungatur unam ſaltem Miſſam ſingulis hebdomadis

celebrandi in Ecclesia Monasterii ad excitandam in Monialibus Benefactorum memoriam.

Episcopus omnibus perpensis in hæc verba concludit = *cum in dicto Monasterio jam ante obitum Annæ Mariæ perfectissima vita communis ab omnibus nominatis Testatoribus præcipuè contemplata, ardentique animo concupita reperiatur inducta, ad hoc ut eadem vita commodius, & firmius futuris etiam temporibus in eodem Monasterio asservari valeat, videtur mihi Moniales Oratrices à Sanctissimo D. N. exaudiri posse cum petita applicatione talium bonorum ad Cap. Antonium spectantium favore Monasterii, ut in precibus supplicatur.*

Certa forma, ac modo ab aliquo præscriptis, ut sua voluntas executionem habeat, dum quæritur, an descriptus modus, vel forma per aliud simile impleri valeat, distingunt communiter Doctores inter formam, quam *substantialem* dicunt, & *effectualem*. Si *substantialis* sit nequit aliter quam scriptum est adimpleri *Altogr conf. 46. nu. 21. Rot. in Romana Immissionis 20 Februarii 1736. §. itaque coram clar. mem. Card. Calcagnino*. Si verò effectualis, potest, dummodo idem sequatur effectus *Palm. Nep. alleg. 342. num. 12., Card. de Luc. de Fideic. disc. 45. num. 4., & Rot. in Romana, seù Forolivien. Fideicommissi 20. Maii 1720. §. Cum autem coram Foscaro*.

Explicant autem eam esse *substantialem*, quando Testator speciali ex causa illam elegit *Balduc. ad Ramon. conf. 28. n. 9., De Comit. de Fideicom. decis. 16. n. 31., & 32.* vel precisè, ac circumscriptis verbis illam servari jussit *Rot. decis. 67. n. 4. par. 19. Recen. & in Verulana Successionis 12. Febr. 1748. §. Hic autem coram de Vais*. Appellant verò *effectualem*, quæ ideo a Testatore apposita est, ut quomodocumque sequatur effectus, quem voluit, non alienus videatur, si ad eumdem effectum assequendum quid simile subjiciatur *leg. Mulier. 22. ff. ad Senat. Consult. Trebell., leg. Si ita esset 15. ff. quand. dies legat., & leg. cum controversia §. ult. ff. mandat.*

In Testamento anni 1752. demandata fuit novi Monasterii constructio ad obtemperandum voluntati piæ filiæ *di servire a Dio con maggior perfezzione con perfetta vita commune*. Hæc autem vita communis jam usque ab anno 1759. servatur in Monasterio, in quo Moniales actu degunt. Ait Jurisconsultus *in leg. pecuniam ff. de oper. publ.*, ibi = *Pecuniam, quæ in opera nova legata est, potius in tutelam eorum operum, quæ sunt, convertendam, quam ad incohandum opus erogandam D. Pius rescripsit*. Hinc recepti juris est, legatum factum pro construendo Monasterio, & recipiendis in eo Monialibus, consequi posse a Monasterio jam alterius expensis extructo, & idoneo ad recipiendum Moniales, prout a Testatore dispositum fuit *Maref. consult. 522. per tot., de Comit. de Fideic. decis. 15. num. 44.*

Decernant itaque Emi Patres

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c. Die

Die Sabbathi 19. Decembris 1772. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUinque in præsenti folio adnotatæ sunt Causæ, quæ EE. VV. sapienti judicio definiendæ proponuntur. Reliquæ, quæ in præcedenti Congregatione indecisæ superfuerunt, habentur ex folio diei 21. elapsi Novembris, pro cujus reassumptione exorantur.

PADERBONEN. APPLICATSIONIS.

I. *An sit locus unioni, & applicationi hæreditatis quondam Francisci Georgei favore Seminarii Episcopalis Paderbonensis, in casu &c.* Et quatenus Negative *Sess. 22. cap. 6., & sess. 23. cap. 18 de Reformat.*

II. *An sit confirmanda donatio Juris patronatus facta per Annam favore Henrici, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè, & amplius.

TUDERTINA RESTAURATIONIS DOMUS PAROCHIALIS. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & ad quem spectet reparatio Domus Archipresbyteralis, in casu &c.

Spectare ad Communitatem, & Homines.

AQUEN. REDUCTIONIS.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Prævio recessu a decisis, esse locum reductioni Missarum ad rationem perpetuæ, firmo remanente onere audiendi Confessiones, & erogandi fructus census duplarum 50. in causam a Fundatore expressam. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

CI-

Sess.22.cap.6. de Reform.

CIVITATIS CASELLANÆ COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis, in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis, juxtà votum Episcopi, & folium conventionis sub conditione perseverandi in vita communi.

Sess.25. cap.9. de Reform.

CASALEN. CONCORDIÆ. Sacerdos Marcus Antonius Morelli in postremo, quod condidit anno 1630. suæ voluntatis elogio, erigendam mandavit Capellam sub invocatione S.Josephi in ejus propria Domo sita in Oppido Occimiani Casalen. Diœcesis, eamque congruè dotavit. Legem dedit, ut in ea Sacrum hebdomadarium perpetuo impleretur a duobus Capellanis ex sua Domo, & Familia de Morellis. Edixit quoque, ut Capella esset = *in perpetuo Juspatronato della mia Casa Morelli* =. Deficiente vero persona Ecclesiastica ex dicta familia Morelli, in nominatione præferrentur descendentes a Jacobo Francisco, & Antonio Fratribus Caretto, hisque etiam deficientibus nominandum jussit pauperiorem Sacerdotem dicti Oppidi Occimiani. Demum defecta familia Morelli Juspatronatus activum transtulit in PP.Oratorii S.Philippi Neri Casalen. Ad hujus dispositionis tramites anno 1631. Episcopus Casalen. injunctas Capellanias erexit sub titulo S. Josephi. Postea defecerunt masculi ex masculis familiæ de Morellis, duabus superstitibus fœminis agnatis, Testatoris proneptibus, *Helena* nimirum nupta Gabrieli Mutio, ex qua descendunt per medium aliarum fœminarum illi de Pavarantia, & illi deBoltris, nec non *Francisca* nupta PetroFranciſco Ferraris. Post defectam lineam masculinam de Morellis quot fuerunt Capellaniarum vacationes ab anno 1654. usque ad præsens, totidem graves lites exarserunt inter illos de Muziis, & de Pavarantia per medium fœminarum a familia Morelli provenientes, & inter descendentes a familia Caretto passivè vocatos, & PP. Oratorii Casalen., quibus defecta familia Morelli patronatus activus fuerat relictus. In his multiplicibus litibus non eadem semper data in Judicio fuit interpretatio Testamentariæ dispositioni; modò enim unius, modò alterius vicit nominatio, & modò unius, modò alterius prævaluit jus passivum. Idque unum in facto constat, quod ab anno 1632. familia de Pavarantia descendens a dicta Helena de Morellis jus passivum, & activum semper exercuit, & ut plurimum in judicio palmam tulit.

Per obitum Cæsaris Pavarantia vacata anno 1765. altera ex dictis Capellaniis, illi de Pavarantia præsentarunt Carolum Franciscum Boltri ex fœminis de Morellis descendentem,

tem, contra verò Patres Oratorii Caſalen. nominarunt Anſelmum Caretti de familia Jacobi Franciſci Caretti a Teſtatore contemplati. Lite autem inter præſentatos conteſtata in Curia Caſalen., vicit Carolus Franciſcus Boltrius, ſed devoluta in gradu appellationis Cauſa ad Curiam Metropolitanam Mediolanen, quum interea idem Boltrius obierit, & in ejus juribus a Sancta Sede ſubrogari obtinuerit Petrus Antonius Quarterius de cognatione de Morellis, poſt aliquam judicialem diſputationem inter iſtum, & Carettum lis omnis tranſactione finem habuit, qua Quarterius liti renunciavit reſervata ſibi penſione ſcut. 11. ſub Beneplacito Apoſtolico, quod obtinuit, & Capellaniæ poſſeſſionem aſſequutus fuit Carettus.

Perſpicientes hinc illi de Pavarantia, aliique Deſcendentes a fœminis de Morellis, nec non alii deſcendentes a familia Caretti, & itidem Patres Oratorii S. Philippi Civitatis Caſalen., in qualibet futura Cappellaniarum vacatione novas lites fore excitandas inter præſentatos in Capellanorum præjudicium, & Divini cultus detrimentum, conſultius duxerunt certam methodum futuris vacationibus ſolemni tranſactione conſtituere, qua convenerunt, *ut altera* ex Capellaniis integra eſſe deberet de jurepatronatu tam activo, quam paſſivo Joſephi Octavii de Pavarantia, ejuſque deſcendentium maſculorum, & fœminarum, cum lege tamen, ut deficientibus patronis idoneis ex ſua familia, nominare teneantur alios deſcendentes a fœminis Morelli, & in eorum quoque defectum nominarentur deſcendentes a Jacobo Caretti: Patronatus verò activus alterius Capellaniæ perpetuo ſpectaret ad Patres Oratorii cum onere nominandi unum de familia Caretti, & in hujus defectum aliquem ex familiis Pavarantia, Boltri, & Quarterii, Ac demum, ut deficiente idonea perſona in deſcendentibus fœminarum Morelli, & familiæ Caretti, eligi deberet tam ab illis de Pavarantia, quam a Patribus Oratorii pauperior Sacerdos Oppidi Occimiani. Conventumque rurſus fuit, ut ad Capellaniam primò vacaturam nominari deberet Canonicus Petrus Quarterius, & hic vice verſa liberare teneatur Sacerdotem Anſelmum Caretti ab onere annuæ penſionis ſcut. 11., quam vigore Literarum Apoſtolicarum actu perſolvit.

Hæc eſt Tranſactionis ſubſtantia ſub conditione obtinendi ſupremam S. Sedis approbationem celebratæ. Monitis verò ope affixionis Edictorum omnibus intereſſe habentibus, nemo unus ſe oppoſuit: Quare modò Tranſigentes unanimi voto ad ulteriores lites præcidendas, & ad certam methodum futuris vacationibus ſtatuendam, illius approbationem, & confirmationem implorant.

Inquiunt, arduam valde, & difficilem eſſe quæſtionem, an defecta linea maſculina familiæ Morelli, deſcendentes ab ipſius

ipsius fœminis ad Juspatronatus activum, & passivum vocati sint. Hanc autem quæstionem jam spatio fere unius sæculi actam, variisque sententiis illos modò admissos, modò rejectos fuisse. In hac itaque ambiguitate nihil consultius esse, quam controversias omnes compescere per transactionem, per quam præscripta certa methodo futuris vacationibus, aditus ulterioribus litibus præcludatur, quæ in grave Patronorum, & Præsentatorum præjudicium, nec non Divini cultus detrimentum usque adhuc exarserunt. Hinc cum in vim initæ transactionis quæstiones omnes absolvantur, certa methodo futuris vacationibus consulatur, diutinæ Capellaniarum vacationi occurratur, & singulorum vocatorum jura juxta Testatoris voluntatem præserventur, ambigendum non esse, quin inita transactio sit confirmationis robore munienda.

Reque vera omnes tam activè, quam passivè vocatos in eam convenire, & cuicumque liti tam pendenti, quam futuræ renunciare: servari prælationem descendentium ex familia Morelli, nec non aliorum de Caretto, & pauperioris Sacerdotis ex Oppido Occimiani: intacta tueri Sacra a Fundatore præscripta, nihilque ab ejusdem voluntate recedi: Nec obesse, quod unius Capellaniæ juspatronatus ab alterius jurepatronatus dividatur. Id enim maximè dubium esse, an ii de Pavarantia uti descendentes ab Helena Morelli comprehensi sint inter vocatos prælative ad Patres Oratorii. Nihil ideo consultius esse, quam ut ad dubietatem quæstionis compensandam, Patronatus unius ex duabus Capellaniis addicatur illis de Pavarantia, alterius vero Patribus Oratorii, ut sic juxta Transactionis indolem aliquid hinc inde detur, ac remittatur.

Nec metuendum esse, ut inposterum aliqui prodire possint, qui tamquam ex propria persona vocati contra transactionem insurgere queant. Quum res enim sit de transactione summa bona fide, justaque de causa, adhibitoque Jurisperitorum consilio inita, ex sui natura etiam successores proprio jure venientes afficit *leg. Preces* 12. *Cod. de Transact.*, & accedente Beneplacito Apostolico non est, qui eam in discrimen amplius revocare possit *Cap. Veniens de Transact.*, *Rot. decis.* 189. *part.* 4. *tom.* 1. *num.* 6., *& dec.* 582. *n.* 1. *par.* 18. *Rec.*

Episcopus Casalen. maximè dubitat, an Transactio finem litibus sit imposiura. Ait = *Siquidem exurgent fortasse posteri a Transigentibus causam non habentes, ac jure proprio ad hujusmodi Patronatum venientes, contendentque, non potuisse ab anterioribus in sui præjudicium transigi. Etenim non id solum actum est, quod pro faciliori Jurispatronatus exercitio per turnum, seu alternatim modo isti, modo illi, semper tamen de familia vocata præsentent, sed admissi quoque sunt ii, ad quos nonnisi ipsis deficientibus juspatronatus erat transiturum.*

Transactiones, quæ lites extirpant, favorem omnium legum

me-

merentur *leg. post rem ff. de re judic.*, *leg. non minorem*, & *leg. Causas Cod. de Transact.*, & præsertim Sedis Apostolicæ, cujus maximè interest, ut lites in dispendium Ecclesiarum, cultusque Divini provide exterminentur *Corrad. in Prax. dispens. lib. 9. cap. 5 num. 40.*. Id tamen præcipue desideratur, ut eadem Transactio justitiæ, & æquitati consona sit, nullique læsionem afferat, ac præjudicium, ne sub prætextu Transactionis uni, vel alteri grave damnum inferatur.

Tranfactionis substantia hæc est, ut unius Capellaniæ Juspatronatus spectet ad illos de Pavarantia, alterius verò ad Patres Oratorii. At verò non tam illi de Pavarantia, quam illi de Boltris, & Quarteriis descendunt a fœminis familiæ Morelli, omnesque eodem jure potiuntur: Et nihilominus illi de Boltris, & Quarteriis nonnisi passiva vocatione in defectum personarum ex familia Caretti donantur. Ponderandum tamen quanti momenti sit, quod illi de Pavarantia fere a sæculo jura sua semper in omnibus vacationibus deduxerint, & non semel, sed pluries favorabiles sententias obinuerint.

Dignentur EE. PP. responsum dare

An sit approbanda Transactio, in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxtà mentem.

AUGUSTANA IRREGULARITATIS. Josephus Frank Presbyter Augustanæ Diœcesis. & Parochus Villæ Rohr supplicem Sanctissimo D. N. obtulit Libellum, in quo narravit, ex Chirurgi incuria, atque imperitia, ob subortam in sinistra manu inflammationem, illius digitos amisisse, atque idcircò tanquam irregularem a Missæ celebratione debuisse abstinere. Supplicavit idcircò pro dispensatione, & facultate celebrandi ope digitorum argenteorum, quibus affabrè elaboratis, atque ab Episcopo consecratis, possit omnes Missæ ritus, & cœremonias, ipsam quoque Hostiæ elevationem, & fractionem, absque ullo incomodo, periculo, aut dedecore peragere. Ut autem facilius dispensationem assequeretur, exposuit, Parochiam esse valde tenuem, teneri matrem senem, & pauperrimam ex naturæ debito sustentare, neque hac miserrima tempestate subrogare posse Capellanum, qui ejus loco Missam celebret.

Sess. 24. cap. 6. de Reformat., & *Sess. 22. decret. de obser.*, & *vit. in celebr. Miss.*

Remissæ fuerunt preces Sacræ huic Congregationi, quæ Officiali Augustano commisit, ut facto coram Cœremoniarum Magistro experimento, referret, an in Oratore appareat deformitas, quæ scandalum generet in Populo, aut Divinis præstet impedimentum, præsertim quoad Augustissimæ Hostiæ fractionem. Advocatis itaque Pro-Vicario, & Vi-

cesgerente Curiæ Episcopalis, nec non Cœremoniarum Magistro, aliisque Consiliariis, & Vicariatus Assessoribus, Officialis Augustanus sinistram Oratoris manum diligenter inspexit, deprehenditque non tantum digitos (ut per errorem fuit in supplici Libello expressum) sed integram volam Chirurgi incuria, atque imperitia fuisse deperditam, & a brachio totaliter abscissam.

Cæterum retulit, sine ulla prorsus deformitate, aut scandalo Missæ Sacrificium ita ab Oratore posse celebrari, ut digitorum, & manus defectus non advertatur ab adstantibus, nisi ab iis, quibus illorum deficientia aliundè cognita fuerit. Id autem ex eo contingere dixit, quia celeberrimus quidam Augustanæ Civitatis Artifex manum ex cupro, & argento vivæ manui simillimam elaboravit, & brachio mediis fascibus sub vestis manica conditis adeò accuratè aptavit, ut non artefacta, sed quasi viva, & vera manus appareat.

Addidit, pollicem, & primum digitum, seu indicem ex argento confectos, & in partibus interioribus, quibus Sacrosancta Hostia tangitur, auro purissimo esse obductas, atque in ipsius manus artefactæ cavitate latere spiras calybeas, quæ partim motione brachii, partim verò pressione minimi digiti, quem dicunt auricularem, modò pollicem, modò indicem, modò utrumque juxta Officii exigentiam movent; itaut spirarum intus latentium auxilio pollex, & index vel ab invicem recedant, vel mutuò se tangant, pro varietate Rituum, qui in Missa peragi debent. Hinc fieri, ut Orator non solum possit ad initium Missæ utraque manu Missale aperire, sed etiam ante Offertorium utraque manu Calicem coopertum detegere, Patenam in altum elevare, cum ea Crucem super Altare efformare, Hostiam Sacram in illa ponere, Calicem tum ante infusionem Vini, tum post purificationem abstergere, & manu artefacta tenere, omniaque adamussim, quæ necessaria fuerint, adimplere.

Quo verò ad Augustissimæ Hostiæ elevationem, & fractionem, asseruit Officialis, utrumque una, atque altera manu sine ullo prorsus periculo, scandalo, aut deformitate ab Oratore perfici; ipsumque ope manus artefactæ Hostiam frangere, & Calicem elevare. Eadem quoque testatus est de aliis ritibus, & cœremoniis ad Missæ Sacrificium pertinentibus; Quare ita concluſit = *Cæterum facilè per se dijudicabunt EE. VV., non sine magno sumptuum impendio dictum Josephum Oratorem sub spe dispensationis Apostolicæ hanc sibi manum confici curasse. Et novum hoc artis mechanicæ prodigium, omnium, quotquot illud videre contigit, singulari admiratione exceptum, perenne, & convincens testimonium est ardentissimi illius zeli, & vehementissimi desiderii, quo Orator sæpedictus gratiam Apostolicam exoptat, & suspirat, qua & il-*

& illum eo digniorem esse censeo, quo certius mihi constat, verissimum esse, eumdem Oratorem esse Virum omnibus acceptum, qui sine omni minima sua culpa, & casu tam fortuito, quam infelici manum suam perdidit, et toto, quo illam perdidit, tempore a celebranda Missa abstinere debuit, & semper abstinuit, a tribus supra viginti annis zelosissimum in Vinea Domini Operarium, & Parochum in explendo suo munere semper indefessum extitisse, & etiam nunc suam Matrem Viduam pauperrimam, ex suis, quamvis exiguis Parochiæ redditibus sustentare, alium autem Presbyterum, qui oneri Missarum Parochialium satisfaciat, ob ipsam proventuum prò Oratoris, & Matris pauperrimæ subsistentationem vix, ac ne vix quidem sufficientium tenuitatem alere, & pro iisdem Missis eleemosinam persolvere non posse; ut ita & Oratoris personalia merita, & extrema quasi necessitas pro concessione dispensationis Apostolicæ in casu hoc prorsus particulari perorent.

Compertum est, irregularitatem ob defectum corporis ex veteri testamento desumi; habetur enim ex *Levit.* 21. *vers.* 18., & 19., quod Dominus sic ad Moysen loquutus est = *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, si hernioſus &c.* = Hanc autem legem, una cum aliis veteris Testamenti, quæ Cœremoniales dicebantur, desiisse constat, pluresque Authores ad antiquos Canones provocantes, ex iis patere arbitrantur, persuasum fuisse Patribus, parum in electione Sacerdotum curandum de defectibus corporis, dummodo de bonis eligentium moribus, ac necessariis qualitatibus ad Sacerdotii functiones ritè obeundas constaret.

Qualiscumque tamen fuerit Ecclesiasticæ disciplinæ initium de irregularitate ob defectum corporis, satis liquet ex Summorum Pontificum responsis, hujusmodi defectum non absolutè, & simpliciter constituere aliquem irregularem, sed solum quando defectus accidit ex culpa, vel quando talis sit, ut vel absolutè defectuosum reddat inhabilem ad obeundas ministerii functiones, vel ratione defectus adsit periculum irreverentiæ, aut scandali. Et re quidem vera *in Cap. De Presbytero* 1. *de corpore vitiatis*, requisitus Alexander III., an Presbyter, qui in duello partem digiti amiserat, possit in suo Ordine ministrare, respondit = *Quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin sine scandalo possit solemniter celebrare, satis potes post peractam pœnitentiam cum eo misericorditer agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodum extitisset.* Notanda sunt verba illa = *quin sine scandalo possit solemniter celebrare.*

Honorius item III. in *Cap. Thomas eod. tit.* sic respondit de

quodam Monacho, cui barra quædam ferrea, quæ super dexteram ceciderat, pollicis ungulam ab eo avulserat = *Mandamus, quatenus si a frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens, & aliud Canonicum non obstitat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis*. Et tandem Eugenius Papa *Can. Presbyterum de Clerico ægrotante*, arcendum ab Altari censuit Presbyterum quemdam, cui duo digiti cum medietate palmæ fuerant a prædone abscissi, ea tamen addita ratione, *quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus*.

Ex his, aliisque Summorum Pontificum responsis inferunt Canonistæ; juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, vitium, sive defectum corporis, qui sine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem, nisi talis fuerit defectus, ut vel simpliciter impediat Ordinum exercitium, vel deformitatem adnexam habeat, quæ functiones omnes securè, ac sine periculo, aut Populi offensione peragere non permittat. His innixus pro certo habet *Sylvius tom. 5 oper. verb. Irregularitas*, posse Episcopum ad Ordines admittere Clericum, multoque magis Religiosum, cui omninò erutus fuerit oculus sinister, ejusque loco appositus extiterit oculus aureus artificiosus, absque ullo Patientis incommodo, & tam aptè, ut nisi præcisè attendatur, vix de artificio suspicari valeat, nec ulla adsit notanda deformitas, aut incommodum, & sic unico oculo possit legere, quasi utroque frueretur.

Hæc itaque præ oculis habenda sunt in præsenti casu. Nulla fuit culpa Josephus Frank digitos, & volam sinistræ manus amisit, prout patet ex relatione Officialis Augustani, ex qua etiam constat, ope manus artefactæ ita suppleri defectum, ut sine ulla deformitate, aut periculo, aut scandalo Ritus omnes a Rubrica præscriptos observare, & exequi valeat. Patet etiam ex eadem relatione, quæ urgeat causa, quæ utilitas dispensationis. His ergo omnibus perpensis, Emi PP. decernent

An sit locus dispensationi, in casu &c.

Negativè.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

PISAUREN. REINTEGRATIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Optavit Vincentius Lucatelli, ut Sodalitium pii Suffragii erectum in Ecclesia Sancti Spiritus Civitatis Pisauri propriam sibi Ecclesiam construeret. In hanc rem relicto usufructu Aureliæ Sorori, dictum Sodalitium proprietarium hæredem scripsit in suis testamentariis tabulis anno 1674. exaratis, injunctaque Bonorum omnium venditione, mandavit, ut = *il tutto si riduca a Capitale, e per quella quantità, che occorrerà, des-*

detta Compagnia sia tenuta a edificare una Chiesa annessa incorporata con quella di S. Spirito, con comprare le Case, che sono annesse alla fonte, e spendere quanto occorrerà per tale edificio, e quando non si potesse fare per qualche grave impedimento, voglio, che faccino una Chiesa di nuovo, dove gli parerà sia luogo a proposito, e che quella sia la vera Chiesa del Suffragio delle Anime del Purgatorio, ed in quella trasportare l'Altare, che di presente si ritrova in S. Spirito.

Onus Sodalitio adjecit celebrationis unius Missæ quotidianæ, nec non unius Anniversarii cum duodecim aliis Missis singulis annis peragendi, mandavitque eligi Capellanum cum congruo stipendio, qui Sacra adimpleret, Ecclesiæ inserviret, & Fidelium Confessiones exciperet. Posteriorибus verò Codicillis idem Testator stipendium Capellani in annuis scutis 50. præfinivit, ejusque nominationem tribuit Bernardino Muccioli, ejusque Hæredibus, & Successoribus.

Nova constructa fuit Ecclesia cum impensa scutorum 6297., & ex superextanti capitali fructus habebantur pares solvendo stipendio Capellani. Postea tamen accidit, ut bonis cesserit Pompejus Mazza debitor sortis census scut. 700., quæ Sodalitium amisit unacum fructibus, & expensis litis. Præterea ex quadam fidejussione per Testatorem interposita, Sodalitium adactum fuit ad solvenda scuta 425. 50. Luciæ Bertoni. Hinc autem factum est, ut distractis, defectisque in majori parte Capitalibus, Testatoris hæreditas redacta fuerit ad unicum prædium annui reditus scutorum 20. . Quamvis autem hæc summa impar esset pro Capellani stipendio, explendisque Anniversariis, nihilominus Sodalitium de proprio supplevit quidquid implemento defecit.

Nuper verò Confratres ad occurrendum Sodalitii augustiis preces Sanctissimo Domino Nostro exhibuerunt, petentes sibi fieri potestatem repetendæ summæ in onerum implementum usque nunc ære proprio persolutæ, & hanc repetitionem assequendi super fructibus extantis prædii, vel saltem, ut decernatur onerum reductio ad ratam redituum. Ablegatis precibus ad Sacram Congregationem, demandata fuit firmatio status hæreditatis, quo tandem expleto, instant Confratres pro *repetitione*, aut saltem *pro reductione*.

Inquiunt ad I. Sodalitium Capitale census, una cum fructibus ob decoctionem debitoris amisisse; insuperque coactum fuisse Testatoris debitum, quod ignotum erat, persolvere; ac præterea ab anno 1700. ob deficientiam redituum hæreditatis de proprio erogasse sc. 2160. pro adimplendis oneribus a Testatore præscriptis. Jure proindè eidem Sodalitio reintegrationem competere. Nec obesse qualitatem hæreditariam, quia hereditatem adivit cum beneficio Inventarii, ejusque proindè jura cum juribus hæreditariis nunquam confusa re-

remanſiſſe. Multoque minus ipſius culpæ tribui poſſe vel immodicam expenſam in Eccleſiæ conſtructionem, vel Capitalium deperditionem; cum Eccleſia de novo extructa fuerit juxta Teſtatoris voluntatem, neque exceſſivam dici poſſe ſummam ſcut. 6297. in eam cauſam erogatam; nam in ea conſtruenda tanta fuit Sodalium circumſpectio in diſpoſitione pecuniæ hæreditatis, ut memorata ſumma ſatis non fuiſſet ad perficiendam fabricam, niſi Sodales ipſi pecunias ſuas, ſuaſque operas contuliſſent. Capitalia vero abſque ulla Sodalium culpa fuiſſe deperdita vel ob debitorum caſualem inopiam, vel ob diſſolvendum æs alienum a Teſtatore contractum.

Incongruum autem non eſſe, ut reintegratio efflagitetur a Sodalitio, quod novæ Eccleſiæ conſtructionem a benefico Teſtatore obtinuit, atque etiam onera uſque nunc adimplevit. Advertunt ſiquidem, Eccleſiam fuiſſe conſtructam, ut Teſtatoris voluntati obtemperarent, qui deſignata Capitalia in præciſam fabricæ cauſam eroganda reliquit. Quantum proindè æquum fuit, ut eadem Capitalia in fabricam erogarentur, tantundem iniquum eſſe, ſi deficientibus aliis bonis Teſtatoris, ad implementum onerum ære proprio adigeretur Sodalitium, eique denegaretur repetitio pecuniarum, quæ in commodum, & utilitatem ipſius Teſtatoris hucuſque impendit.

Ajunt ad II. Teſtatoris hæreditatem redactam modo eſſe ad unicum prædium annui reditus ſcut. 20. Sodalitium verò non eſſe hæredem ſimplicem, ſed cum beneficio Inventarii, adeout nihil de proprio ſupplere teneatur. Obſervant præterea, dictum Sodalitium nulla bona poſſidere, & Confratrum oblationes, ac contributiones ita eſſe tenues, ut reſpectivis oneribus minimè ſufficiant. Hinc non tam juſtam, quam neceſſariam cauſam urgere, ut onera a Teſtatore præſcripta reducantur ad ratam fructuum prædii, habita etiam ratione ad onerum perpetuitatem.

Epiſcopus rejiciendam reintegrationem cenſet, dum inquit = *Si enim in Eccleſiæ ædificatione ſumptibus, & expenſis Confraternitas ipſa exceſſit, hoc ſibi debet imputare: In reliquis autem, ſi præſtationes menſuales in adimplemento Miſſarum, Legato a Teſtatore Lucatelli &c. relicto, impenſæ ſunt, quid indè præjudicii Confraternitas ſenſit? Eæ quoque præſtationes tamen in Miſſarum celebratione erant vertendæ* = Concedendam verò putat reductionem juxta annuum reditum ſcut. 20., quæ ex ſuperextanti hæreditatis prædio retrahuntur. Quare his verbis ſuam aperit Sententiam = *Ad tramites igitur iſtius ſummæ, ejuſque annui reditus præfati Miſſarum oneris reductionem conſtituendam cenſerem, habito tamen reſpectu ad perpetuitatem dicti oneris, & expenſarum pro dicti Capitalis manutentione in dictarum Miſſarum numero præfiniendo, quas inter primum ſanè locum obtinere deberet annuum præſcriptum a Teſtatore Anniverſarium, cum unius Miſſæ cantatæ de requiem, & duodecim lectarum celebratione* =

In

In *Romana Missarum* 31. *Julii* 1717., defectis in parte Capitalibus pro celebratione Missarum relictis, Religiosi Ordinis S. Augustini, ultra quantitatem fructuum Missas celebraverant, duo S. Congregationi proposita fuerunt dubia = I. *An, & ad quem numerum sint reducendæ Missæ pro Victoria Blanconе ab Oratoribus celebrandæ in casu &c.* II. *An, & quomodo sit locus suspensioni celebrationis Missarum, donec compensetur numerus Missarum excessivè celebratarum in casu &c.* =, & rescriptum fuit = Ad I. *Affirmativè ad annuas Missas* 165. *augendas, vel minuendas inposterum juxta augumentum, vel diminutionem fructuum.* Ad II. *Affirmativè.*

Quæritur

I. *An, & in qua summa constet de credito Archiconfraternitatis Pii Suffragii Pisauri, ita ut sit locus reintegrationi super bonis hæreditariis quondam Vincentii Lucatelli in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Dilata, & firmetur status citato Promotore Fiscali.

SARSINATEN. ERECTIONIS ORATORIJ. Constituerat Josephus Testa publicum construere Oratorium Divo Josepho a Cupertino dicatum in Villa Schiazzani duobus ferè milliariis dissita a Parochiali Ecclesia Castri Ceulæ, ad quam ob viarum asperitatem hyberno præsertim tempore pueri, ac senes accedere non valent, proindèque Missæ Sacrificio diebus festis ut plurimum carent. Convenerat de erectione cum Episcopo, & Parocho, nonnullis sub conditionibus, ac I. quidem, quod die Festo Divi Josephi a Cupertino duæ, vel tres Missæ in Oratorio celebrarentur. II. quod sollemnioribus quibusdam anni festivitatibus celebratio esset interdicta. III. quod aliis festis diebus nonnisi post Missam Parochialem, aliasque Sacras Functiones celebratio permitteretur. IV. quod Sacerdotes iisdem festis celebrantes Christianam doctrinam edocere, & actus Theologicarùm virtutum alta voce recitare tenerentur. V. quod nullæ fierent in eodem Oratorio functiones, nisi Parochi consensus accederet. VI. quod Parochus cogi non posset Sacramentales confessiones in eo excipere, aut Missam celebrare, nisi necessitas id suaderet: Nec similiter posset aut quæstuari; aut Sepulchrum construi, sine Episcopi licentia. VII. tandem, quod præter Sacra indumenta, & suppellectilia, detineretur ibidem vestis talaris, juxta præscriptum Synodalium Constitutionum, ad quas in reliquis relatio haberetur. *Sess. 22. decret. de observan., & evitan. in celebr. Miss.*

Omnia jam parata erant pro novi Oratorii constructione; Sed nomine Zelatorum Castri Ceulæ supplex S. Congregationi oblatus fuit libellus, atque expositum, ejusdem Oratorii ædificationem eo unicè directam esse, ut ex ea Josephus Te-

Testa aucto Populi concursu lucrum faciat ope facilioris victualium venditionis : Contra vero id mali imminere, ut Incolæ Castri Ceulæ propriam Parochialem Ecclesiam sint deserturi, eamque privaturi consuetis eleemosinis,& oblationibus,idque ipsum sit eventurum conterminis Parochiis Linarii, & Campiani : Illud insuper fieri posse, ut augeatur ludentium, & bibentium numerus, atque etiam eædem Communitates Linarii, & Campiani proventus vel non vendere,vel nonnisi,quam vili pretio vendere poterunt. Hinc supplices Zelatores rogarunt, ut publici Oratorii fabrica interdiceretur, cum posset Capitaneus Testa in propria Domo privatum Oratorium construere.

Post hæc acquieverunt Zelatores, & licet moniti, atque interpellati, nil unquam coram S. Congregatione deducere cogitarunt; Quare Capitaneus Testa instat, ut novi publici Oratorii constructio permittatur, asserens, ex SS. Canonum dispositione, & hujusce S. Congregationis Sententia, id unum in hisce casibus observandum, ne alteri Ecclesiæ, præsertim Parochiali præjudicium inferatur, cum non semper pro constructione Oratorii requiratur necessitas, sed sola utilitas sufficiat *Cap. Quicumque* 44. *caus.*16. *quæst.*1. Quin immò nec Parocho licere Oratorii constructioni resistere, nec ejus consensum requiri, dummodo illius jura illæsa remaneant *Petr. adConstit. II. Paschalis II. a num.*17.*tom.*1., Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium *in Januen.* 15.*Septembris* 1692., *in Nucerina* 12. *Martii* 1693., & Sac. hæc Congregatio *in Maceraten.* 10. *Maii* 1687. *in Theatina* 29. *Julii* 1690., & *in Forolivien.* 16. *Januarii* 1691.

Advertit,in præsenti casu Parochialia quæque jura intacta servari, & ideo consentire Parochum, cujus præjudicium, conditionibus ab Episcopo præscriptis opportunè arcetur : Intercedere etiam Episcopi consensum,atque urgere necessitatem, ut novum Oratorium construatur, cum Oratoris Domus duobus ferè milliariis distet a Castro Ceulæ,ejusque proindè Familiares diebus festis Missæ Sacrificio perfæpé destituantur :Nec deesse utilitatem, cum per Oratorii constructionem Fidelium pietas, divinusque cultus augeatur, & facilius reddatur circumadiacentibus Populis præcepti Ecclesiastici implementum. Hac de causa consensum quoque præstitisse plures incolas Communitatum Linarii, Ceulæ, & Campiani, æditis testificationibus, in quibus sese affirmantes publici Reppresentantes, novum Oratorii opus commendarunt, atque probarunt; insuperque nil unquam opposuisse declararunt.

Episcopus testatur Oratorem ex honesta Familia natum, Domum inhabitare, quæ duobus milliariis via admodum incommoda distat a Parochiali, atque idcircò evenisse, ut ii præsertim deFamilia ab audiendo sacro diebus festis arcerentur.Addit,præscriptis ab eo conditionibus cuique præjudicio fore consultum;et si qui abusus inposterum unquam oriantur,

opportuna non deerunt remedia, quibus cuique malo occurratur; Maximè quia Communitas Ceulæ Mensæ Episcopalis dominio subest. Quare his verbis concludit = *Etsi Oratorium nondum constructum fuerit, sed omnia sint parata, gratia tamen si ultrandum D. Josephum Testi meo sensu exponere EE. VV. non auderem.*

Pium, ac religiosum est publica Orotoria construere. Horum constructioni obsistere de juris rigore non potest Parochus quando ejus jura intacta permanent, quodsi contradicat, consensus suppleri debet *Rot. in Romana Oratorii 13. Ianuarii 1698. §. Reliqui cor. Priolo*. Præcavenda tamen mala, & abusus, qui oriri possent, & seriò curandum, ne Populus cathechismo, & verbi Dei prædicatione careat, neve in Oratorio frequenter Sacramenta administrentur, & Fideles a Parochiali abstrahantur, atque oblationes, piæque consuetudines paulatim minuantur: Illudque etiam advertendum, ùt jejunia, Festivitates, Superiorum præcepta, & dicta, proclamata, ac denunciationes publicentur.

Pluries tam in ista S. Congregatione, quam in altera Episcoporum, & Regularium actum est de constructione publici Oratorii. Non obstante Parochi oppositione eadem S. Congregatio Episcoporum, & Regularium facultatem concessit ædificandi novum Oratorium in *Januen. 5. Septembris 1692.* salvis tamen juribus Parochialibus. Similiter in *Nucerina* obstiterat Parochus non solum ob timorem deficientiæ eleemosinarum, sed etiam ne Populi frequentia imminueretur, ac interponeretur difficultas explicationi Cathechesis, Sacrisque supplicationibus. Quum tamen Episcopus in actu Visitationis facultatem impertitus fuisset construendi Oratorium, nonnullis adiectis conditionibus, & *sine præjudicio jurium Parochialium*, re delata ad eamdem S. Congregationem, die 12. *Martii 1693.* rescriptum prodiit = *Serventur disposita per Episcopum* = Edemque fuit pro constructione Oratorii Sententia *in Placentina Oratorii 20. Maii 1697.*, licet Parochus, & Episcopùs dissentirent.

Sacra autem hæc Congregatio nulla de Parochi dissensu habita ratione, licentiam ædificandi Oratorium concessit in *Maceraten. 10. Maii 1687. cum obligatione congruæ Dotis, & salvis juribus Parochialibus*. Item *in Theatina 29. Julii 1690.* quamvis Archiepiscopus dissentiret, ne Villici propriam Parochiam desererent. Ac demum in *Forolivien. 16. Januarii 1694.*, in qua Parochus ob proximitatem Ecclesiæ Parochialis contradixerat. Ex his arguit *Monacell. form. leg. pract. tit. 6. form. 10. n. 15.*, despiciendum esse præjudicium Parochiis obventurum ex imminutione concursus, & eleemosinarum, cum ex præscripto Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 4. de Reform.* hortandi quidem, non tamen cogendi sint Fideles ad Parochialem Ecclesiam diebus festis adeundam.

Ponderandum idcircò, an adjectis in præsenti casu, acceptisque conditionibus cuique præjudicio satis consultum

fuerit; & quanti facienda sit nonnullorum contradictio, cum Episcopi, & Parochi consensus accedat. Perpendenda etiam, quæ tradit *Pax Jordan. elucubr. lib.7. tit.8. nu.7.*, quod scilicet permitti non debeat publici Oratorii constructio sine dote pro illius manutentione, & ornatu; immò si absque dote constructum fuerit, cogendum Patronum, vel hæredes ad dotandum, & in subsidium Episcopum, qui facultatem erigendi Oratorium concessit.

Dijudicent ergo Emi PP.

An, & quomodo sit locus constructioni publici Oratorii in Loco di Schiazzano in casu &c.

Non proposita cum altera.

Sess.21. cap.3 de Reform.

MONTIS FALISCI DISTRIBUTIONUM. Provisus a Sede Apostolica de Canonicatu in Cathedrali Ecclesia Montis Falisci Sacerdos Dominicus Jacopini, indultum die 25. Januarii labentis anni ab hac Sacra Congregatione obtinuit abessendi a residentia per duos menses, amissis tamen per id tempus distributionibus quotidianis. Cum tamen in eo Capitulo præter exigua quædam Anniversaria, nullæ sint quotidianæ distributiones, sed singulorum Canonicatuum reditus partim in Præbendarum fructibus consistant, partim verò in iis, qui *de Massa grossa* appellantur, quique habentur ad instar quotidianarum distributionum, & ab interessentibus dumtaxat acquiruntur, quæstio hinc inter ipsum, & reliquos de Capitulo orta est, num S. Congregationis rescriptum de emolumentis tantùm Anniversariorum, an etiam de aliis, qui de Massa grossa dicuntur, intelligi debeat. Id ergo ab EE. VV. modo quæritur.

Sustinet Sacerdos Jacopini, ex lege S. Congregationis ipsum amisisse tantummodò emolumenta, quæ ob Anniversaria inter præsentes dividuntur, non autem illa de Massa grossa, quorum in pœnam non interessentiæ participes non fiunt absentes; idque probare nititur tum exemplo Ecclesiarum Urbis, ubi absentes vigore Indulti punctaturarum solutioni non subjciuntur; tum etiam quia supervacanea fuisset obtenta facultas, si adigeretur ad solutionem punctaturarum, nam eadem pœna plecteretur ac alii, qui voluntarié a Choro, Ecclesiæque servitio recedunt. Contendit præterea, juxta dispositionem Concilii Tridentini trium Mensium spatio a Choro abesse potuisse sine ulla emolumentorum jactura.

Contra verò Capitulares advertunt, in Cathedrali Montis Falisci, si exigua quædam Anniversariorum emolumenta excipiantur, nullas adesse distributiones, quarum loco suffectos asserunt reditus Massæ grossæ, illosque ex inveterata consuetudine favore interessentium dimittere consue-

fuevisse quicumque vigore Indulti, sive ut studiis incumberet, sive ex alia qualibet honesta causa a Choro abfuerit. Perperamque objici dispositionem Concilii Tridentini, cum quoad Ecclesiam Montis Falisci Synodali lege cautum sit, ut servitium alternis hebdomadis dividatur.

Minimè verò prodesse aliarum Ecclesiarum exempla, quia unaquæque Ecclesia propriis regitur peculiaribus Statutis, quæ universalem legem non constituunt. Ac demum perperam opponi, quod inanis redderetur obtenta facultas, si Canonicus Jacopini punctaturis subijceretur: Respondent enim, per indultum provisum fuisse, ut idem Canonicus tuta conscientia ab Ecclesiæ servitio vacare posset.

Hæc sunt, quæ tum in supplici libello a Canonico Jacopini oblato, tum in foliis pro parte Capituli ab Episcopo transmissis, recensentur. Episcopus verò de statu quæstionis, ac de sua Sententia requisitus, refert, Punctaturas *haberi loco distributionum quotidianarum, quæ nullæ quidem in eadem Ecclesia sunt, cum omnis reditus partim in singularum Præbendarum fructibus consistat, & partim in iis, qui de Massa grossa solent appellari. Hanc ob rem qui præteritis temporibus Chori interessentiæ obstricti ab ista S. Congregatione licentiam absentiæ ad tempus petierunt, eamque sub consueta conditione* amissis distributionibus quotidianis *impetrarunt, non alio modo obtenta facultate usi sunt, quam sese Punctaturis subijciendo, quas ita persolverunt, ut nulla ratio, nec condonatio eis suffragari potuerit.* Ex his infert, *quod cum a Canonico Jacopini sit obtenta licentia, de qua agitur, sub conditione* amissis distributionibus quotidianis, *non debeat a punctaturis eximi, tanquam illis, quæ distributionum loco pro vetusto hujus Ecclesiæ Cathedralis usu, & praxi successerunt.*

In aliis verò posterioribus litteris, quibus S. Congregationem certiorem reddit de præfinitione termini ad jura deducendum facta Canonico Jacopini, enixe deprecatur, *ut hujusmodi controversia, quæ sæpius præteritis temporibus excitata fuit, decidatur, prout Sapientissimis Patribus æquum videbitur, ne novis inposterum detur occasio litibus.*

Ut Ecclesiarum Ministri diligentius Chori servitio incumberent, Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 3. de Reformat.* hæc statuit = *In Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, Portionum, & Officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteris divinis intereſſentes, proportionabiliter ... dividantur.* Hujusmodi autem decreto Sancta Synodus non immutavit illarum Ecclesiarum consuetudinem, *in quibus non residentes, seu non inservientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt.*

Hinc in more positum est, ut quoties indultum abessendi ali-

cui conceditur, vel causa studiorum, vel ad propria agenda negotia, adjicitur conditio amissionis quotidianarum distributionum, & absentes vigore istius Indulti, distributiones minimè lucrantur *Fagnan. in Cap. Olim de verbor. signif. a num.* 38. *ad* 40., *Barbos. ad cap.* 3. *sess.* 21. *Concil. Trident. num.* 8. Cum Franciscus Ciura Cathedralis Ecclesiæ Tarentinæ Canonicus, & Mensæ Episcopalis œconomus, ut nonnullis Archiepiscopi litibus in Civitate Neapolis incumberet, indultum abesendi obtinuisset, cum clausula = *amissis distributionibus quotidianis* = quæsitum fuit = *An Canonicus Franciscus Ciura pro tempore, quo degit in Civitate Neapolis lucratus fuerit distributiones, & Massam grossam?* Sacra Congregatio *die* 25. *Januarii* 1755. respondit = *Affirmativè ad formam Indulti.*

In præsenti casu Canonicus Jacopini abesendi facultatem petiit, *per trattenersi in Roma per alcuni suoi affari*, eamque cum memorata clausula amissionis distributionum obtinuit. Ponderanda seriò sunt, quæ retulit Episcopus de natura quotidianarum distributionum, ac emolumentorum Massæ grossæ, & de consuetudine in Cathedrali Montis Falisci vigente. Atque hæc quoad causam sufficerent.

Quoniam verò Canonicus Jacopini allegat dispositionem Concilii Tridentini, cujus vigore trium mensium vacationem sibi competere potuisse supponit, non videtur prætereundum, quid Concilium hac de re disposuerit *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* En verba Concilii = *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, & Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Hinc Concilium permittit quidem trium mensium vacationem, quæ ab Ecclesiæ statuto, aut consuetudine introducta fuerit, non tamen disponit, ut ad id tempus protrahatur, nec permittit, ut alia norma quis vacationis indulgentia frui possit, quam quæ fuerit lege Synodali præscripta. Super hoc Concilii Tridentini decreto, observat *Fagnan. in cap. Licet de Præbendis num.* 48., quod Statutum, vel consuetudinem vacandi ad tres menses *a contrario sensu præservat Concilium Tridentinum &c. non autem indulget Canonicis omnium Ecclesiarum, ut tres menses abesse possint, ut quidam incaute putarunt. Non enim procedit concedendo, sed prohibendo &c. Et Canonicis, ut supra adstrictis, postulantibus ex gratia vacationem trium mensium S. Congregatio meo tempore semper abnuit.*

Itaque sapienti EE. VV. judicio definiendum proponitur.

An, & quæ distributiones quotidianæ debeantur Canonico *Dominico Jacopini in casu &c.*

F I N I S.

IN-

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1772.

A

Abductio violenta Meretricis ex jure civili non reputatur raptus *pag.* 55. §. *Admittit*.

Reputatur tamen ex jure Canonico *Ibid.*

Abſentia per quinquennium conceditur Canonicis, ut alios doceant, vel ut ipſi ſcientiis inſtruantur *pag.* 191. §. *Præſtat*.

Et hoc Indulto cenſuit S. Congregatio gaudere Canonicum, qui in Scholis PP. Societatis Jeſu Mediolani Theologiæ vacaverat *pag.* 192. §. *Cohæret*.

Abſentes Canonici cauſa ſtudiorum revocandi ſunt ad reſidentiam, quoties Eccleſiæ ſervitium detrimentum patiatur *pl.ad.*§. *Quod autem*.

Abſolutio a ſuſpenſione non conceditur, niſi emendatis cauſis *pag.* 4. §. *Infert*.

A juramento quando efflagitari poſſit, vel non *pag.* 37. §. *Suſtinet*.

Adminiſtratores Locorum piorum quoad redditionem rationis *Vid. Epiſcopus*.

Ad eam cogi poſſunt ab Epiſcopo ſi aperte negligentes fuerint, etiamſi Epiſcopus in fundatione fuerit expreſſe excluſus *pag.* 164. §. *Cæterum*.

An teneantur deferre libros adminiſtrationis ad ædes Epiſcopi Vid. *Epiſcopus, Libri*.

Aeris intemperies juxta Sententiam antiquorum Auctorum juſta cenſebatur cauſa non reſidendi *pag.* 47. §. *Ante Concilium*.

Qui tamen Auctores intelligendi ſunt de aeris corruptione *Ibid.*

Verum poſt Concilium Tridentinum ob aeris aſperitatem, atque inclementiam conceditur quidem diſpenſatio a reſidentia, ſed nequeunt Canonici pro libito diſcedere *Ibid.*

Et hanc diſpenſationem ad alium menſem ultra tempus vacationis a Summo Pontifice obtinuerunt Canonici Caurien. *Ibid.*

Eadem de cauſa tollerari poteſt, ut Matutinum non ab ortu ſolis, ſed per horam integram poſt ſolis ortum incipiatur *pag.* 48. §. *Hoc autem*.

Aggreſſor injuſtus an poſſit occidi ad defenſionem Parentum, vel Amicorum *pag.* 66. §. *Obſervat*.

Alienantes bona Beneficii pœnam ſuſpenſionis incurrunt *pag.* 4. §. *Ad tertium*.

Alimenta a Teſtatore relicta augeri debent ſi hæreditatis reditus augeantur *p.* 100. §. *Ad I.*

Altaris, ſeu Capellæ manutentio incumbit Eccleſiæ, etiamſi de jurepatronatus fuerit, quando adſit legitima conſuetudo *pag.* 121. §. *Altera*.

Annus probationis. Vid. *Novitiatus*.

Appellatio. Ad appellandum adverſus beneficii collationem poteſt Epiſcopus terminum præfigere, quo elapſo collatio præcedenter facta ſuſtinetur *pag.* 5. §. *Accedere*

Arbitrium nominationis alicui relictum minus exiſtimari debet, quam præſumpta Teſtatoris dilectio erga Conſanguineas, & Affines *pag.* 203. §. *Neque obyci*.

Archivum ad ſervandas Scripturas adeſſe debet in qualibet Eccleſia *pag.* 144. §. *Ad VII. denique*.

Avi obligatio admitti nequit loco Patrimonii *pag.* 4. §. *Inane*.

B

Benefactorum affectio ad commodum, & & utilitatem ordinata non eſt detorquenda in gravamen *pag.* 207. §. *Suſtinent*.

Beneficia an, & quando extincto Patronatu liberæ collationis evadant *pag.* 213. §. *Ad II.*

Eorum unio favore ſeminarii Vid. *Seminarium*. *Unio*.

Eorum bona alienantes incurrunt ſuſpenſionem *pag.* 4. §. *Ad III.*

Hinc pecunia percepta ex retroventitione cenſuum ad Beneficium pertinentium, ſtatim debet inveſtiri *Ibid.*

Alias Beneficiatus in ſuſpenſionem incidit *Ibid.*

Beneficiatus, ſeu Capellanus æquiparatur uſufructuario *pag.* 121. §. *Altera*.

Qui proinde tenetur ad conſervationem bonorum, & ad manutentionem Altaris *Ibid.*

Eique ſubveniendum eſt ope reductionis onerum, quando reditus ſunt immi-nuti *pag.* 126. §. *Beneficii*.

Beneplacitum Apoſtolicum non requiritur in Tranſactione, quæ non mutat ſubſtantiam diſ-

dispositionis, sed tantum præscribit modum magis tutum, ac facilem exequutionis *pag.* 123. §. *Nec obesse*.

C

CAnonicorum qualitates quæ sint *pag.* 5. §. *Ad III.*

Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum an, & quæ præeminentia competat supra Parochos aliarum Ecclesiarum *pagin.* 7. §. *Excluso*, *pag.* 10. §. *Quo vero*, & *pag.* 12. §. *Super VI.*

Canonici in Sacris constituti vocem activam, & passivam habent in actibus Capitularibus *pag.* 106. §. *Ad III.*

Posterioris erectionis excludi debent a participatione emolumentorum provenientium ex bonis acquisitis ante constitutionem eorum Massæ *pag.* 108. §. *Hinc ad II.*

Unusquisque tantum participare debet de una Massa distributionum, quantum de sua Præbenda in eam contulerit *pag.* 109. §. *Dubium*.

Idque conforme est dispositioni Concilii Tridentini *pag. ead.* §. *Prætermissa*.

Abesse possunt per quinquennium, ut alios doceant, vel ut ipsi scientiis instruantur *pag.* 191. §. *Præstat*.

Et hisce de causis absentes distributiones lucrantur *pag.* 192. §. *Coheret*.

Jubilati possunt ab Episcopo, si opus fuerit, ad servitium revocari *pagin. ead.* §. *Quod autem*.

Et revocari etiam possunt absentes cum debita licentia, si Ecclesiæ servitium detrimentum patiatur *Ibid.*

Quoad vacationem trium mensium. Vid. *Vacatio*.

Capellania ex sui natura parum differt a legato pio *pag.* 182. §. *Contendit*.

Ut qualitatem induat Ecclesiasticam requiritur Ordinarii auctoritas in erectione *Ibid.*, & *seq.*

Si hæc desit, habetur pro simplici legato pio *pag. ead* §. *Nec obesse*.

Etiamsi concurrat aliqua qualitas Beneficiis conveniens *Ibid.*

Institutæ per actum inter vivos dici non potest Ecclesiastica, nisi Ordinarii consensus, & auctoritas accedat *pag.* 184. §. *Nec ad eandem*.

Si vero instituta sit per actum ultimæ voluntatis, sufficit Ordinarium non excludi, aliasque concurrere qualitates Ecclesiasticitatis, ut Ecclesiastica censeatur. *Ibid.*

Probabilius pro Ecclesiastica habenda est, si Fundator fuerit Sacerdos, & si in primum Capellanum Sacerdotem elegerit *Ibid.*

Et si Ecclesiastica fuerit, retineri nequit in statu conjugali *pag. ead.* §. *Arguit*.

Laicalis retineri nequit a Conjugatis, vel Fœminis, quoties ex fundatione eligi debent Sacerdotes sive actu, sive habitu *Ibid.*

Quia tunc onera Missarum non consentur injuncta hæredibus, sed Capellano ab istis eligando *Ibid.*

Si instituta fuerit per actum inter vivos, non licet hæredibus implorare Ordinarii Auctoritatem, ut Ecclesiastica reddatur *pag. ead.* §. *Quæstio*.

Sequus vero si instituta fuerit per actum ultimæ voluntatis, dummodo non resistat lex Fundationis *Ibid.*, & *pag.* 198. §. *Nec obesse*, & *pag.* 199. §. *At ubi*.

Laicalis dici debet nisi constet de ejus erectione peracta auctoritate Ordinarii aut *verè*, aut saltem *præsumptivè pag.* 184. §. *Sed quæstio*.

Licet sit laicalis, nihilominus esse potest Ecclesiastica quoad personas nominandas, itaut Laici incapaces sint illam retinendi *pag.* 185. §. *Verum*.

Idque declaravit Sacra Congregatio *ibid.*, & *seq.*

In Ecclesiasticam convertitur Capellaniæ laicalis si accedat expressa, vel tacita Ordinarii auctoritas *pag.* 199. §. *Ambigi*.

Id tamen intelligi debet de Capellania Laicali per actum ultimæ voluntatis, non vero si instituta fuerit per actum inter vivos *Ibid.*

Et dummodo Fundatoris voluntas non resistat *pag. ead.* §. *Resistente*.

Capellani æquiparantur usufructuariis *pag.* 121. §. *Altera*.

Et ideo tenentur ad manutentionem Altaris, & bonorum Capellaniæ *Ibid.*

Militum ex Constitutione San. Mem. Benedicti XIV. non cumulativam cum Parochis Locorum, sed privativam habent jurisdictionem *pag.* 54. §. *Sustinent*.

Idque congruit politicæ, & æconomicæ moderandi exercitus rationi *Ibid.*

Immo juris etiam Canonici Sanctionibus, & Ecclesiæ disciplinæ *Ibid.*

Contrarium tamen asseritur *pag.* 57. §. *Ad Alterum*.

Capitulo jus est faciendi divisionem distributionum, factamque exequendi, dummodo Sacris Canonibus non adversetur *pag.* 207. §. *Sustinent*.

Cathedralis Ecclesia si ad aliam Civitatem translata fuerit, an translata quoque censeantur jura omnium Capellaniarum *pag.* 78. §. *Ponderandum*.

Castrensis translata fuit ad Civitatem Aquipendii *pag.* 77. §. *Verba*.

In Causis matrimonialibus qui debeant esse Testes *pag.* 157. §. *Defensor*. Vid. etiam *Testes*.

Civilitas non acquiritur per solam materialem habitationem licet diurnam, nisi con-

conjuncta sit cum animo ibidem perpetuo manendi *pag. 64. §. Certum*,

Clausula *sine alicujus præjudicio* adjecta litteris Apostolicis erectionis Collegiatæ non comprehendit præjudicium, quod ex natura rei resultat *pag. 7. §. Neque*.

Consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, derogat cuicumque consuetudini etiam immemorabili *pag. 160. §. Perpetuæ*.

Amissis distributionibus quotidianis, quæ in Indultis absentendi a Choro apponi solet, privat absentem distributionibus *pag. 235. §. Hinc in more*.

Irritans, indicat modum exequtionis pro forma constitutum *pag. 207. §. Neque obycit*.

Clericus suspensus incapax est assequendi beneficia Ecclesiastica *pag. 5. §. Accedere*.

Quoad Irregularitatem. Vid. *Irregularitas*.

Collegiata non a Mansionariis constituitur, sed a Canonicis *pag. 117. §. Ex alia*.

Non comprehenditur sub denominatione Parochialis, nec subiicitur iis dispositionibus, quæ ad Parochiales referuntur *pag. 6. §. Nec obesse*.

Etiamsi Ecclesia fuerit aliquando simplex Parochialis, & nuper tantum in Collegiatam erecta *Ibid.*

In ea, deficiente prima, & unica Dignitate, Canonico Seniori competit jus exercendi Sacras functiones *pag. 7. §. Exclusa*.

Prima filius Dignitas nulla electa Sepultura decedens in ipsa Collegiata tumulari debet *pag. 8. §. Addunt*.

Quoad deputationem Æconomi per mortem primæ Dignitatis curam Animarum habentis Vid. *Æconomi deputatio*.

Insignis comparatur Cathedrali *pag. 9. §. Denique*.

Et dignior est quacumque Ecclesia Parochiali *Ibid.*

Ejusque Canonici in functionibus, quibus interest universus Dioœcesis Clerus præcedunt omnibus Parochis, aliisque Præsbyteris *Ibid.*

Etiamsi Ecclesia prius quam in Collegiatam erigeretur locum cederet aliis Ecclesiis *pag. ead. §. Et hanc*.

Et etiamsi in Bulla Erectionis adjecta fuerit clausula sine alterius præjudicio *Ibid.*

Ejus erectio, & dotatio publicæ utilitatis causam præsefert *pag. 91. §. Erectionem*.

Et cedit in Suffragium Animæ Testatorum *Ibid.*

Hinc pro erigendis Collegiatis, constituendi que Canonicorum Præbendis concedi solet ultimarum voluntatum commutatio *pag. ead. §. Hinc pro erigendis*.

S. M. Leo X. confirmav it erectionem factam ab Episcopo Nucerano per unionem Beneficiorum Parochialium, & non Parochialium *pag. ead. §. Anno*.

Collegialitatis prærogativa nonnisi auctoritate Summi Pontificis concedi alicui Ecclesiæ potest *pag. 74. §. Ad hæc autem*.

Commodum qui sentit, incommodum quoque sentiat necesse est *pag. 140. §. Ex unanimi*.

Commutatio voluntatis Testatoris fieri nequit nisi ex injusta, & necessaria causa *pag. 28. §. Notum est*.

Non requiritur physica impossibilitas exequutionis, sed sufficit moralis *pag. 208. §. Ad II. dub.*

Facilius conceditur si fiat in melius, & cedat in majus bonum *pag. 209. §. Accedente*. Vid. *Ultimarum voluntatum commutatio*.

Non dicitur commutatio, quando servatur causa finalis dispositionis *pag. 208. §. Ad II. dub.*

Conditio restrictionem importat *pag. 204. §. Contra verò*.

Ea non impleta, cedi a Substituto nequit fideicommissum sub conditione, & in diem relictum *pag. 70. §. Super*.

De Fideicommisso tamen pacisci potest durante conditione *Ibid.* Vid. etiam *Fideicommissum*.

Si deficiat conditio, cui alligata sit institutio Capellaniæ, non est amplius locus illius erectioni *pag. 69. §. Præsertim*.

Congrua Conciliaris scut. 100. tunc solum intacta præservanda est, quando agitur de gravando Parocho pensionibus *pagin. 114. §. Ex his*.

Non vero quando agitur de reparatione Ecclesiæ Parochialis *Ibid.*

In ea præfinienda perpendendæ sunt circumstantiæ Loci, Beneficii, Onerum, & personæ Rectoris *Ibid.*

Et præsertim habenda est ratio pretii alimentorum *Ibid.*

Tum etiam bonorum Patrimonialium Parochi *pag. ead. §. Hisce autem*.

Tenuitas, seu defectus non præsumitur nisi perspicuis probationibus de monstretur *pag. 113. §. Ex alia parte*.

Conjugibus ante consummationem matrimonii spatium duorum mensium a jure conceditur ad deliberandum de ingressu in Religionem *pag. 136. §. Jam alias*.

Et hujusmodi tempus computari debet a die præfinitionis termini a Judice factæ *Ibid.*

Consanguineas exteris præferre, docet Christiana dilectio *pag. 203. §. Idque*.

Et idcirco præferri debent ad subsidia dotalia, etiam ex præsumpta voluntate Testatoris *Ibid.*

Præsumptiva tamen dilectio aliquando præ-

præbet æquivocum argumentum . præsertim in præjudicium aliarum Puellarum *pag.* 17. §. *Apertam*

Nec hujusce dilectionis præsumptio extendi potest ad Consanguineas remotissimas, sed coerceri debet intra quartum gradum jure civili computandum *Ibid.*

Consensus necessario requiritur ad validitatem Professionis Vid. *Professio* .

Consuetudo ab iis concludenter probari debet , qui illam allegant , & habent contra se juris præsumptionem *pag.* 161. §. *Cæterum* .

Et si agatur de consuetudine negativa probari nequit per negativam coarctatam *Ibid.*

Sed eo saltem modo , quo omnis in contrarium possibilitas excludatur *Ibid.*

Immemorabilis facit præsumere quemcumque meliorem titulum *pag.* 143. §. *Addunt* .

Centenaria , vel immemorabilis incohari nequit , quoties in contrarium adsit decretum irritans *pag.* 160. §. *Perperam* .

Proximarum , & Comprovincialium Ecclesiarum in omni dubio est attendenda *pag.* 7. §. *Tandem* .

Corporis defectus an , & quando irregularitatem inducat . Vid. *Irregularitas* .

Conventualis Missu . Vid. *Missa Conventualis* .

D

Decretum irritans inesse censetur cuilibet Capitulo Concilii Tridentini *pag.* 160. §. *Perperam* .

Et impedit , ne centenaria , aut immemorabilis consuetudo incohari possit *pagin. ead.* §. *Perperam* .

Defectus Corporis an , & quando irregularitatem inducat Vid. *Irregularitas* .

Delegatus , qui ignorat suam delegationem , non agit nulliter *pag.* 158. §. *Cæterum* .

Depositionibus juratis , sed posterioribus minus aliquando deferendum est , quam prioribus *pag.* 136. §. *Defensor* .

Descendentia cum adjectione originis protrahi nequit ultra Patrem , & Avum *pag.* 15. §. *Deficientibus* . Vid. etiam *Origo* .

Gradus descendentiæ coercendi sunt ne Testatoris dispositio subvertatur *pag.* 15. §. *Addunt* .

Vocatio *descendentium* coerceri non debet , sed omnes in infinitum comprehendit *pag.* 17. §. *Perperam* , & *pag.* 18. §. *Verbum* .

Ideoque comprehendit etiam fœminas per plures fœminarum gradus provenientes *Ibid.*

Dictio *alterimenti* designat aliquid a præcedenti dispositione diversum *pag.* 207. §. *Neque obstet* .

Dilectio erga consanguineos , & affines spectari potius debet , quam nominationis arbitrium alicui relictum *pag.* 203. §. *Neque obstet* .

Dispensatio ad cautelam super irregularitate dubia conceditur *p.* 22. §. *In Albinganen, & seq.*

Dissensus a Professione Religiosa unde eruatur *pag.* 172. §. *Ex triplici* .

Distributiones quotidianæ quomodo instituí debeant in Ecclesiis Cathedralibus , vel Collegiatis *pag.* 235. §. *Ut Ecclesiarum* .

De iis quilibet Capitularis participare tantum debet , quantum de sua Prebenda in Massam contulerit *pag.* 109. §. *Dubium* .

Et id conforme est dispositioni Concilii Tridentini *pag. ead.* §. *Prætermissa* .

Domicilium aliquo in loco non acquiritur , nisi adsit animus ibidem permanendi *pagin.* 53. §. *Hisce præmissis* .

Et semel acquisitum non amittitur , nisi constet illud derelictum fuisse , & novum alibi acquisitum *pag.* 64. §. *Certum* .

Divisis in locis , ac Civitatibus acquiri , & retineri potest *pag.* 64. §. *Certum* .

Domus Parochialis refici debet ab iis , qui hujusmodi onus alias subire consueverunt *pag.* 214. §. *Sustinet* .

Vel qui onus habent restaurandi Ecclesiam *Ibid.*

Etenim Domus Parochialis habetur veluti pars , & membrum Ecclesiæ *pag.* 215. §. *Quæ autem* .

Dos congrua ut constituatur Puellis Testatori sanguine conjunctis , cumulari solent plura dotalia subsidia *pag.* 203. §. *Neque obstet* .

Dotalia subsidia ex verosimili Testatorum voluntate augeri aliquando debent *pag.* 100. §. *Hæc porrò* .

E

Ecclesia respuit rigorem novi oneris, quod sit præter consuetudinem aliarum Ecclesiarum *pag.* 207. §. *Addit* .

Ejus decor augetur a Sacris functionibus, quibus alliciatur Populus ad interessendum *pag. ead.* §. *Inquis* .

Parochialis reparari debet ex reditibus ipsius Ecclesiæ *pag.* 215. §. *Sedulò* .

Iisque deficientibus onus reparationis incumbit Communitati, & Populo *pag.* 214. §. *Addit* .

Ex Concilio Tridentino nonnulli gradus sunt observandi *pag.* 215. §. *Sedulo* .

Et in primis servanda est consuetudo *pag. ead.* §. *Ex hac* .

Electio facta pendente lite non adversatur juris sanctionibus *pag.* 97. §. *Negat* .

Con-

Contrarium evincitur *pag. ead. §. Pro parte*.

Facta per suffragia incerta, dubia, & conditionata est irrita *pag. 98. §. Hanc autem*.

Facta per sortes repugnat sacris sanctionibus *pag. 107. §. Accusant*.

Præsertim quando electio, vel extractio fiat non vocatis, nec in urna positis iis, qui jus habent *Ibid.*

Eleemosyna Missarum pro oneribus perpetuis præfinita fuit a Concilio Romano in ratione ob. 20. pro qualibet Missa *pag. 127. §. Missarum*.

Sacra tamen Congregatio tribuit Episcopis facultatem reducendi onera Missarum ad rationem manualis *Ibid.*

Sed si Testatoris dispositio nondum fuerit exequutioni mandata, eleemosyna constituitur in ratione taxæ perpetuæ *pag. 124. §. Cæterum*.

Alias manualis eleemosyna præfinitur *Ibid.*

Pinguior assignari solet in Missarum reductione, quando alia onera Beneficiato inhærent *pag. 216. §. Quoties*.

Maximè si periculum immineat diuturnæ Beneficii vacationis *Ibid.*

Emolumenta funeris debentur in præmium, & mercedem laboris pro administratione Sacramentorum, & funere peracto *pag. 7. §. Ex his*.

Ante erectionem Massæ novorum Canonicatuum, & Dignitatum non debentur Capitularibus posterioris erectionis *pag. 108. §. Hinc ad II.*

Episcopus potest præfinire terminum ad appellandum, quo elapso nova collatio sustinetur *pag. 5. §. Accedere*.

Nequit locis Sacris ea pro suo arbitrio adimere, quæ ipsis de jure competunt *pagin. 81. §. Nihil*.

Hinc prohibere nequit, quominus in publicis Oratoriis Missa celebretur diebus festis sollemnioribus *Ibid.*

Visitare potest quæcumque pia loca, eorumque administrationis rationem petere *pag. 160. §. Hoc præmisso, & pag. 163. §. Concilium, & seq.*

Idque ex communi sententia locum habet, etiamsi agatur de Locis piis absque auctoritate Ordinarii erectis *Ibid.*

Excipitur tamen casus, quo Episcopus in fundatione fuerit exclusus *Ibid.*, & *pagin. 163. §. Et sequenti*.

Quod quidem nullo modo præsumi potest nisi expressis verbis exclusio adjecta legatur *pag. ead. §. Fatetur*.

Alias contra Episcopum militare non potest consuetudo, aut privilegium *pag. ead. §. Perperam*.

Quamvis consuetudo sit centenaria, aut immemorabilis *Ibid.*

Si tamen administratores negligentes aperte fuerint, potest Episcopus non obstante exclusione redditionem rationis ab iis exposcere *pag. 164. §. Cæterum*.

Est enim exequutor piarum dispositionum *pag. 160. Fatetur, & pag. 163. §. Concilium*.

Earumque exequutionem curare debet, non obstante prohibitione Testatorum *pag. ead. §. Monuit*.

Debet suam Diœcesim personaliter visitare, omniaque suis oculis intueri *pag. 161. §. Quoad II.*

Verum libri, & scripturæ non debent ad Ædes Episcopi deferri *Ibid.*

Idque conforme est juri tum Cæsareo, tum Pontificio. *Ibid.*

Convenit tamen, ut in aliquo casu deferantur *pag. 162. §. Ad III.*

Immo aliquando possunt Administratores ad id cogi *pag. 164. §. Denique*.

Si injustè dissentiat translationi Jurispatronatus, ejus dissensus suppleri debet a Superiore *pag. 212. §. Ad II.*

Ejus auctoritas interceedat oportet tam in erectione, quam in collatione Capellaniæ ut hæc tamquam Ecclesiastica habeatur *pag. 182. §. Contendit*. Vid. etiam *Capellania*.

Eidem Pontificalia exercenti, & Ordines conferenti in Cathedrali, vel in Capella Episcopali subministrari a Canonicis debent suppellectiles, & Sacra ornamenta *pag. 94. §. In terracinen.*

Ipse tamen providere debet de Sacris suppellectilibus Sacrarium Ecclesiæ *Ibid.*

Eidem tanquam Apostolicæ Sedis Legato facultas competit immutandi leges fundationum, quæ divino cultui noxiæ comperiantur *pag. 207. §. Inquit*.

Erectio Ecclesiæ Collegiatæ. Vid. *Collegiata*.

Exequutionis modus si sit ambiguus, indicare nequit determinatam Testatoris voluntatem *pag. 208. §. Idque*.

Exequutor pro declaranda fundatione maxime attendi debet *Ibid.*

F

Facultas nunquam censetur uni adempta, & alteri privativè tributa, nisi expresse id fuerit declaratum *pag. 57. §. Ad alteram*.

Fideicommissum sub conditione relictum, cedi a Substituto non potest nisi postquam purificata fuerit conditio *pag. 70. §. Super*.

De eo tamen pacisci permittitur, pendente adhuc conditione *Ibid.*

Et potest renunciari pro tempore, quo cœperit deberi *Ibid.*

Hinc renunciatio sustinetur, si iniquæ

conditiones adjectæ non fuerint, & juramento munita comperiatur *Ibid.*

Restitutioni in casu obitus demandatæ non est locus, si gravatus cum liberis, aut Nepotibus decesserit *pag.* 202. §. *Præmittit*.

Forma a Testatore præscripta, si *substantialis* sit, nequit aliter quam scriptum est adimpleri *pag.* 220. §. *Certa forma*.

Est autem substantialis, quando Testator speciali ex causa illam elegit *pag. ead.* §. *Explicant*.

Vel quando præcisè, & circumscriptis verbis illam servari jussit *Ibid.*

Si verò forma sit *effectualis* potest aliter, quam scriptum est, adimpleri, dummodò idem sequatur effectus *pag. ead.* §. *Certa forma*.

Quando dicatur effectualis *pag. ead.* §. *Explicant*.

Fundationum piarum leges sunt inviolabiliter servandæ *pag.* 105. *Ad I.*

Funeralia emolumenta. Vid. *Emolumenta*.

Funus Parochi defuncti spectat ad Parochum viciniorem juxta nonnullas Synodales Constitutiones *pag.* 6. §. *Idque*.

Istæ tamen Constitutiones de Clericis tantum intelligi debent, non autem de Canonicis *Ibid.*

Hinc defuncto Parocho, qui simul sit prima Dignitas, jus peragendi funus competit Seniori Collegiatæ Canonico *pag.* 7. §. *Excluso*.

In funeribus Parochianorum Canonicis Cathedralis, & Collegiatæ præeminentia competit supra Parochos defunctorum *Ibid.*

G

Gerundensis Ecclesiæ statuta quid præscribant quoad Canonicos Cathedralis *pagin.* 38. §. *De Jubilationis natura*.

Gratia, & habilitatio supponit defectum juris *pag.* 17. §. *Sed contra*.

A Principe concessa, si exequutioni mandata fuerit, nequit amplius in discrimen revocari *pag.* 143. §. *Observant*.

H

Habitatio materialis quantumvis diuturna non sufficit ad civilitatem acquirendam, sed requiritur animus perpetuo permanendi *pag.* 64. §. *Cæterum*.

Habitus Religiosus dimissus censetur a Novitio, quamvis non statim illum deferat, & Domum suam revertatur *pag.* 174. §. *Hisce*.

Dimissio non est unicus modus interrumpendi Novitiatum *Ibid.*

Sed interrumpitur etiam per deliberatam voluntatem deserendi Religionem *Ibid.*, Vid. etiam *Noviciatus*.

Hæreditas oberata, & non acceptata haberi debet pro repudiata *pag.* 152. §. *Inpar*, & *pag. ead.* §. *Maximè*.

Hæreditatis reditibus auctis, augeri quoque debent alimenta relicta *pag.* 100. §. *Ad I.*

Hæredes non tenentur augere reditus imminutos legati taxativè relicti *pag.* 127. §. *Reductioni*.

Si exequendo voluntatem Testatoris fundationem perficiunt, Patronatum jure acquirunt, etiamsi de proprio nihil conferant *pag.* 117. §. *Præterea*. Vid. etiam *Patronatus*.

Nequeunt implorare auctoritatem Ordinarii, ut Capellania Ecclesiastica reddatur, si hæc instituta a Fundatore fuerit per actum inter vivos *pag.* 184. §. *Quæstio*.

Sequus si instituta fuerit per actum ultimæ voluntatis, dummodo lex Fundationis non refistat *Ibid.*

Homicidium ad sui defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, reddit occisorem ab omni culpa, & pœna immunem *pag.* 66. §. *Orator*.

Nec ullam inducit irregularitatem *Ibid.* Vid. etiam *Irregularitas*.

Ut ad propriam defensionem, & cum moderamine inculpatæ tutelæ commissum censeri possit, quid requiratur *pag.* 167. §. *Hinc*.

Injusti Aggressoris jure naturæ impunè committitur non solum ad Parentum, sed etiam ad Amicorum defensionem *pag.* 66. §. *Observat*.

Voluntarium qui committit, omni Ordine, & Beneficio Ecclesiastico privari perpetuo debet *pag.* 167. §. *Juxta*.

Si verò cum moderamine inculpatæ tutelæ commissum fuerit, committitur Loci Ordinario, qui causa cognita dispensare possit *Ibid.*

Si autem patratum fuerit in rixa, plura sunt observanda, antequam dispensatio concedatur *Ibid.*

Hinc juxta varias circumstantias Sacra Congregatio aliquando dispensationem concessit, aliquando etiam denegavit *pag. ead.* §. *Hinc est*.

I

Ignorantia contra Synodales Constitutiones nunquam præsumitur *pag.* 2. §. *Beneficio*.

Imminutio numeri Missarum quando fieri possit juxta taxam perpetuam *pag.* 126. §. *Habita*.

Impedimentum Raptus. Vid. *Raptus*.

Impensæ pro cæra, oleo, aliisque Ecclesiæ ser-

servitio necessariis detrahendæ sunt ex Præbenda Parochi *pag.* 143. §. *Quo verò*.

Incapacitas alicujus ad aliquid obtinendum æquiparatur illius non existentiæ *pag.* 204. §. *Ex his*.

Incommodum sentire debet qui sentit commodum *pag.* 120. §. *Unanimis*.

Indultum abessendi a Choro sub conditione amissis quotidianis distributionibus, privat absentem distributionibus *pag.* 235. §. *Hinc in more*.

Irregularitas ob defectum corporis ex veteri testamento desumitur *pag.* 227. §. *Compertum*.

Ex jure canonico defectus corporis non inducit irregularitatem, nisi ex culpa acciderit, vel talis sit, ut aliquem inhabilem reddat ad obeundas ministerii functiones, vel adsit periculum irreverentiæ, & scandali *pag. ead.* §. *Qualiscumque*, & *seq.*

Non contrahitur ex colloquiis de alterius crimine cum Judice extrajudicialiter factis ad suum honorem tuendum, & molestias Curiæ avertendas *pag.* 21. §. *Hinc*.

Immo neque ex querela judicialiter instituta animo tantum res suas defendendi, *Ibid.*

Ex defectu lenitatis contrahitur procurando alterius mortem aut verbis, aut facto, aut consilio *pag.* 22. §. *Irregularitas*.

Hinc irregulares evadunt Advocati, Accusatores, & Testes contra Reum in causa criminali mortem inducente *Ibid.*

Item Scribæ acta scribentes, quorum vigore Reus ad ultimum supplicium damnatur *Ibid.*

Etiam Clericus, ex cujus accusatione pœna mortis Reus plectitur *Ibid.*

Vel qui consulit, ut honor tueatur sanguine, unde sequatur occisio *Ibid.*

In dubio autem conceditur hac de causa dispensatio ad cautelam *pag.* 22. §. *In Abinganen.*

An contrahatur ex celebratione plurium Missarum eadem die, diversimode sentiunt Auctores *pag.* 31. §. *An verò*, & *seq.*

Sacra tamen Congregatio irregularem declaravit Sacerdotem, qui ob lucrum bis eadem die celebraverat *pag.* 32. §. *Quidquid*.

Contrahitur ex crimine publico, quod juris infamiam secumterat *pag.* 31. §. *Alii verò*.

Non tamen contrahitur, nisi sit in jure expressa *pag. ead.* §. *An verò*.

Hinc non contrahitur ex homicidio patrato cum moderamine inculpatæ tutelæ *pag.* 66. §. *Orator*, *pag.* 67. §. *Porrò*, & *pag.* 166. §. *Asserit*.

Sequus tamen si moderamen non fuerit servatum *pag. ead.* §. *Porrò*.

Incurritur ex homicidio patrato ad necessariam defensionem Patris, Matris, aut Sororis *pag. ead.* §. *Si tamen*.

Sed hujusmodi irregularitas est dispensabilis *Ibid.*

Prout etiam si in bello justo contra Infideles hostes ex necessitate quis occiderit, *Ibid.* Vid. etiam *Homicidium*.

Jubilationis Indultum post continuum quadraginta annorum servitium Ecclesiæ præstitum ex usu, & universali consuetudine conceditur *pag.* 34. §. *Ad I.*, & *pag.* 38. §. *Ponderandum*.

Hujusmodi consuetudo est antiquissima, & a Summis Pontificibus approbata *Ibid.*

Est etiam summopere rationabilis *Ibid.*

Immò & Ecclesiæ magnopere utilis. *Ibid.*

Et ideo quandoque fuit concessum non obstante Capituli oppositione *pag.* 39. §. *Cæterum*.

Et quamvis exiguus superesset Canonicorum numerus. *Ibid.*

Verum hujusmodi Indultum a juris dispositione deflectit *pag.* 37. §. *Sustinet*.

Jubilati possunt ab Episcopo, si opus fuerit, ad servitium revocari *pag.* 192. §. *Quod autem*.

Juramento suppletorio locus est, quoties semiplenæ adsunt probationes, nec in re, de qua agitur, magis concludentes haberi possunt *pag.* 54. §. *Tandem*.

Exempla adducuntur juramenti suppletorii. *Ibid.*

In causis tamen gravioribus non admittitur. *pag.* 58. §. *Denique*.

Multoque minus in causis matrimonialibus *Ibid.*

Necquando pares sunt utriusque partis probationes, quæ invicem elisæ remaneant *Ibid.*

Prius emisso magis interdum deferendum est, quam posteriori *pag.* 136. §. *Defensor*.

Absolutio a juramento quando efflagitari possit *pag.* 37. §. *Sustinet*.

Juri suo quilibet potest renunciare, vel illo non uti *pag.* 21. §. *Neque*.

Jurium præservatio in qualibet Principis concessione præsumitur *pag.* 57. §. *Maximè*.

Jus conditionale, & eventuale remitti potest, & in alium transferri etiam ante conditionis purificationem *pag.* 59. §. *Cæterum*.

Ex passiva vocatione quæsitum ad subsidia dotalia tolli nequit, ut admittantur Puellæ requisitas qualitates non habentes *pag.* 204. §. *Itaque*.

Juspatronatus cessat deficientibus fœminis, quas Testator taxative, & limitative ad illud vocavit *pag.* 211. §. *Ad II.*

Extinguitur, quando expresse, vel tacite illud coercuit ad personas nominatas *pag.* 213. §. *Ad II.*

Transferri potest in alium titulo donationis *pag.* 212. §. *Ad II.*

Et si Episcopus iniuste dissentiat, ejus consensus suppleri debet a Superiore *Ibid.*

Reliqua Vid. *Patronatus.*

L

LEgata Missarum quibus de causis relinquantur *pag.* 46. §. *Duæ.*

Taxative concepta dicuntur, quando Testator prius fundum pro illarum eleemosina reliquit, deinde numerum præfinivit *pag.* 25. §. *Perpendendum.*

Neque in isto casu hæres tenetur supplere quod deficit *Ibid.*

Admitti nequeunt in titulum Patrimonii Sacri *pag.* 3. §. *Inane.*

Præsertim si bona ab aliis administrentur, qui Missarum eleemosinam Capellano persolvere debent *Ibid.*

Relicta pro novo opere construendo, applicari potius debent ad ea conservanda, quæ jam sunt, quam ad nova incohanda *pag.* 220. § *In testamento.*

Quoad reductionem. Vid. *Reductio.*

Leges piarum fundationum sunt inviolabiliter observandæ *pag.* 105. §. *Ad I.*

Lex omnes afficit statim ac fuit promulgata *pag.* 2. §. *Beneficio.*

Libri, & Scripturæ concernentes administrationem Locorum piorum deferri non debent ad ædes Episcopi *pag.* 161. §. *Quoad II.*

Idque coheret tum juri Cæsareo, tum juri Pontificio *Ibid.*

Contrarium tamen asseritur *pag.* 164. §. *Denique.*

Et congruum est, ut in aliqua circumstantia libri ad Episcopum deferantur *pag.* 162. §. *Ad III.*

Lite pendente electio facta non adversatur juris sanctionibus *pag.* 46. §. *Duæ potissimum.*

Contrarium tamen asseritur *pag. ead.* §. *Pro parte.*

Litis expensæ fieri debent ab iis, qui injuste Episcopo restiterunt, & temerè litigarunt *pag.* 162. §. *A definitione.*

M

MAtrimonium ratum, & non consummatum per professionem religiosam dissolvi potest *pag.* 136. §. *Quatenus.*

Et contrarium asserentes anathemate damnantur *pag. ead.* §. *Jam alias.*

Spatium a jure concessum Conjugibus ad deliberandum de ingressu in Religionem est duorum mensium *Ibid.*

Hujusmodi autem temporis spatium incipit a die præfinitionis termini a Judice factæ *Ibid.*

In dubio de validitate admittitur juramentum suppletorum *pag.* 54. §. *Eandem.*

Contrarium tamen asseritur *pagin.* 58. §. *Denique.*

Dispensari tamen solet ad evadendas dissentiones, odia, & scandala *pag.* 156. §. *Ex his.*

Ad dissolvendum ex capite nullitatis matrimoniem in faciem Ecclesiæ contractum, requiruntur probationes omnino concludentes *pag.* 157. §. *Defensor.*

Hinc reiiciendi sunt Testes extrajudiciales, & informes *Ibid.*

Et etiam viles, consanguinei, affines, & intrinseci familiares. *Ibid.*

Quoad Parochum. Vid. *Parochus.*

Quoad impedimentum Raptus. Vid. *Raptus.*

Matris importunæ artes extorquent potius a Filio, quam impetrent consensum *p.* 172. §. *Seductionem.*

Meretricis violenta abductio ex jure civili non reputatur raptus *pag.* 55. §. *Admitti.*

Sequus tamen ex jure Canonico *Ibid.*

Metus cadens in virum constantem irritam reddit professionem religiosam *pag.* 177. §. *Animadvertit*, & *pag.* 179. §. *Receptum.*

Non tamen suasiones, aut præces licet importunæ *Ibid.*

Neque metus reverentialis, nisi aliæ concurrant; ex. gr. coactio, minæ, duræ tractationes, & similia *Ibid.*

Militum Capellani. Vid. *Capellani Militum.*

Missa etiam Conventualis intelligitur nomine Divini Officii *pag.* 73. §. *Nomine.*

Hinc quemadmodum divinum Officium ita etiam Missa Conventualis quotidie celebrari debet in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis *Ibid.*

Non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili *pag.* 195. §. *Cæterum.*

Nec sufficit tantum celebratio, sed requiritur etiam applicatio pro Benefactoribus in genere *pag.* 74. §. *Ex hoc textu.*

Atque hæc fuit constans Sententia S. Congregationis Concilii *Ibid.*

Eamque probavit S. M. Benedictus XIV. *Ibid.*

Reducitur tamen hujusmodi onus ad solos dies Dominicos, & festos, si exigui sint Beneficiorum reditus *Ibid.* & *pag.* 138. §. *Rogant*, & *pag.* 149. §. *Quatenus.*

Ab hujusmodi verò onere excipiuntur Ecclesiæ, quæ verè Collegiatæ non sunt *pag. ead.* §. *Ab hac tamen*, & *pag.* 195. §. *Unus.*

Atque etiam illæ Collegiatæ, de quibus ex lege, & Statuto fundationis constat de qualitate, & quantitate Servitii Ecclesiæ, & de numero Missarum, & Officiorum a Fundatoribus, & Benefactoris

ribus præscripto *pag.* 75. §. *Demum*, & *pag.* 137. §. *Petitam*.

Ex antiqua Ecclesiæ disciplina in propria Parochiali a Fidelibus audiebatur *pag.* 82. §. *Ex antiqua*.

Id ipsum etiam in jure novissimo fuit constitutum, non tamen per modum præcepti, sed consilii tantum, & hortationis *Ibid.*

Hinc nonnulli Episcopi prohibuerunt in publicis Oratoriis celebrationem Missæ diebus sollemnioribus *pag. ead.* §. *Cum tamen*.

An S. Congregatio Concilii id probaverit *pag.* 84. §. *Episcopus*, & §. *Cæterum*.

Prodest Defunctis per modum solutionis debiti *pag.* 25. §. *Quatenus*.

Et in quacumque Ecclesia offeratur eodem modo prodest *pag.* 46. §. *Duæ potissimum*.

Plurium Missarum eadem die celebratio vetita est *pag.* 30. §. *Ad cohibendos*.

Negant tamen nonnulli id absolute vetitum esse, aut peccare absolute Sacerdotem Missam eadem die iterantem *pag.* 31. §. *Non defuere*.

Sed contrarium evincitur *pag. ead.* §. *At egregie*.

Missarum iteratio an inducat irregularitatem *pag. ead.* §. *An vero*, & *seq.* Vid. etiam *Irregularitas*.

Hujusmodi crimen puniri debet a Tribunali Supremæ Inquisitionis, & delinquentes merito damnari possunt ad triremes *pag.* 32. §. *Quidquid*.

Missarum legata relinquuntur a Fidelibus vel in propriæ Animæ suffragium, vel ex peculiari erga aliquem Sanctum pietate, aut affectione erga aliquam Ecclesiam *pag.* 46. §. *Duæ potissimum*.

Earum numerus quando reduci debeat juxta taxam perpetuam *pag.* 126. §. *Habita*.

Eleemosina pro oneribus perpetuis taxata fuit in Concilio Romano anni 1725. juxta rationem ob. 20. pro qualibet Missa *pag.* 127. §. *Missarum*.

Sacra tamen Congregatio Concili præfinire solet reductionem ad rationem manualis *Ibid.*

Verum hac in re procedit cum distinctione, an Testatoris dispositio exequutioni mandata fuerit, vel non *pag.* 128. §. *Cæterum*.

Missa quoad reductionem. Vid. *Reductio*.

Quoad translationem. Vid. *Translatio*.

Modus in aliqua fundatione expressus, censeri debet inductus pro forma, quando adjicitur clausula irritans *pag.* 207. §. *Neque obstet*.

Curari tamen non debet, quando impleatur causa, & habeatur effectus a Testatore vólitus *pag.* 219. §. *Inquiunt*,

Monitio non est necessaria ad suspensionem infligendam, quoties culpa ex sui natura suspensionem inducit *pag.* 4. §. *Ex his*.

Nec quoties agitur de suspensione a jure inflicta *Ibid.*

N

Nominationis arbitrium alicui relictum ad subsidia dotalia attendi minus debet, quam præsumpta Testatoris dilectio erga Consanguineas, & Affines *pag.* 203. §. *Neque objici*.

Novitiatus annus ante professionem debet esse continuus, & de momento in momentum progredi *pag.* 174. §. *Atque hæc*.

Compleri debet cum intentione faciendi professionem *Ibid.*

Et animo experiendi Regulare Institutum *Ibid.*

Et in statu actualis obedientiæ *Ibid.*

Interruptus censetur per deliberatam voluntarem exeundi a Religione *pag. ead.* §. *Hisce proinde*.

Quamvis habitus Religiosus materialiter non dimittatur *Ibid.*

Quomodo intelligendæ sint auctoritates, quæ oppositum videntur statuere *ibid.*

Prorogatio anni Novitiatus incipit a die, quo finem habuit annus Conciliaris *pag.* 175. §. *Tertium*.

Hujusmodi prorogatio est ejusdem indolis, ac naturæ cum primo tempore, & importat istius continuationem *pag. ead.* §. *Contendit*.

Præsertim quando prorogatio conceditur ob varietatem, & inconstantiam Novitii *Ibid.*

Non interrumpitur, nisi dimisso habitu Novitius e Religione egrediatur animo illam deferendi *pag.* 177. §. *Atque hæc*.

Ad interruptionem Novitiatus tria copulative requiruntur, nempe animus positivus in Novitio deferendi Religionem, actualis dimissio habitus, & discessus a Monasterio *Ibid.*

Præsertim verò discessum a Monasterio necessarium censuit S. Congregatio Concilij *Ibid.*, & *pag.* 179. §. *Quo verò*.

Prorogatio anni Novitiatus si non compleatur, an irritam faciat professionem *pag.* 178. §. *Cæterum*.

O

Obreptionis, vel Subreptionis vitium concludenter probari ab eo debet, qui gratiæ jam obtentæ sese opponit *pag.* 142. §. *Quoad I*.

Præsertim cum gratia exequutioni mandata jam fuerit *Ibid.*

Ad excludendum Subreptionis vitium sufficit, quod aliundè Princeps fuerit de omnibus certior factus *Ibid.*

Et quod ea, quæ reticita sunt, si nota fuissent, non retraxissent Principem a concessione gratiæ, vel illum difficiliorem non reddidissent. *Ibid.*

Æconomi deputatio non habet locum in Ecclesijs Collegiatis post obitum Parochi, qui prima sit ejusdem Ecclesiæ Dignitas *pag.* 8. §. *Ad III.*

Sed ejus vices supplere debet Senior Canonicus ad Confessiones approbatus *Ibid.*

Et quatenus locus esset deputationi Æconomi, deputandus esset aliquis de gremio Capituli *pag. ead.* §. *Inquiunt.*

Vel si Sacerdos extraneus eligatur, hic exercere tantum poterit functiones Parochiales, non autem quæ Dignitatis, & Canonicorum officium respiciunt *pag.* 9. §. *Sed quamvis.*

De Æconomis quid præscribat Concilium Tridentinum *pag.* 11. §. *Quo verò.*

Eorum deputatio pertinet ad Episcopum *pag. ead.* §. *Patet.*

Expedit, ut in Ecclesiis Collegiatis deputetur aliquis Canonicus *pag.* 12. §. *Ad præsentem.*

Officij Divini recitatio diverso tempore prius explebatur, ac modò expleatur *pag.* 48. §. *Quoad tempus.*

Nunc hora recitationis prudenti Episcopi judicio ut plurimum remittitur *Ibid.*

Ob aeris intemperiem tollerari potest, ut Matutinum non ab ortu solis, sed per integram horam post ortum solis inchoetur *pag. ead.* §. *Hoc autem.*

Recitatio Divini Officii expleri debet in choro Ecclesiæ *pag. ead.* §. *Quo verò.*

Ob frigoris vehementiam, vel justam aliam causam recitari potest de licentia Episcopi in Sacristia, vel alio Ecclesiæ loco *Ibid.*

Nomine Divini Officii an intelligatur etiam Missa Conventualis. Vid. *Missa Conventualis.*

Onera Patroni quæ sint. Vid. *Patronus.*

Imminui debent, quoties reditus imminuantur *pag.* 126. §. *Beneficii.*

Quoad reductionem. Vid. *Reductio.*

Missarum, quæ perpetua sint, si ob redituum decrementum imminui debeant, fit reductio juxta taxam perpetuam *pag. ead.* §. *Habita.*

Impositio novi oneris, cui adversetur aliarum Ecclesiarum consuetudo, est contra communem Ecclesiæ usum *pag.* 207. §. *Addit.*

De oneribus temporaneis, & extraordinariis nulla habenda ratio est profirmando statu reditum, & expensarum *pag.* 113. §. *Plura.*

Oratorij publici constructio permitti non debet sine dote pro illius manutentione *pag.* 333. §. *Ponderandum.*

Ad illius constructionem non requiritur necessitas, sed sufficit utilitas *pag.* 232. §. *Post hæc.*

Nec Parocho licet resistere, dummodò ejus jura illæsa remaneant *Ibid.*

Et ita decreverunt Sacræ Congregationes *Ibid.*

Quod si Parochus contradicat, illius consensus suppleri debet *pag.* 232. §. *Pium.*

Etiamsi accideret Parocho imminutio concursus, & eleemosinarum *pag. ead.* §. *Sacra autem.*

In Oratoriis publicis ex juris dispositione celebrari potest Missa etiam diebus festis sollemnioribus *pag.* 81. §. *Inquiunt.*

Quamvis in Synodalibus Constitutionibus contrarium statutum fuerit *pag. ead.* §. *Nihil.*

Et quamvis in die Paschatis deficiat concursus Populi non adeuntis ea de causa Ecclesiam Parochialem *pag. ead.* §. *Neque.*

Hanc enim rationem despexerunt Sacræ Congregationes. *Ibid.*

Hoc tamen non obstante nonnulli Episcopi Missæ celebrationem in publicis Oratoriis diebus sollemnioribus prohibuerunt *pag.* 83. §. *Cum tamen*, & *pag.* 84. §. *Episcopus.*

Et eorum decreta aliquando approbavit S. Congregatio Concilii *Ibid.*

Aliquando etiam reprobavit *pag. ead.* §. *Cæterum.*

Origo non consideratur ultra Patrem, & Avum *pag.* 15. §. *Deficientibus.*

Neque extendi potest ad Matrem, & Avum. *Ibid.*

P

Parentum nomine comprehenduntur tam Pater, quam Mater *pag.* 15. §. *Præferri.*

Eorumque descendentes in infinitum per lineam tam masculinam, quam femininam *pag.* 18. §. *Testator*, & *seq.*

Parochus potest exercere jura Parochialia in qualibet Ecclesia existente intra limites suæ Parochiæ *pag.* 144. §. *Inquiunt.*

Non tamen potest in aliena Parochia munia Parochialia exercere *pag.* 6. §. *Inquiunt.*

Præsertim iis renuentibus, ad quos spectat usus Ecclesiæ, in qua alienus Parochus functiones Parochiales exercere intendit. *Ibid.*

Fonus defuncti Parochi ex nonnullis Constitutionibus Synodalibus a viciniori Parocho peragi debet *pag.* 6. §. *Idque.*

Hujusmodi verò Constitutiones de Cleticis

ricis tantùm intelligi debent, non autem de Canonicis *Ibid.*

Si prima Dignitas Collegiatæ moriatur, nulla Parocho viciniori emolumenta debentur *pag.* 8. §. *Addunt*.

Hebdomadarius delegare potest alienum Parochum ad celebranda matrimonia suorum Parochianorum *pag.* 157. §. *Transit*.

Delegatus, si suam delegationem ignoraverit, & nihilominus matrimonio adstiterit, nullitatem matrimonii non inducit *pag.* 158. §. *Cæterùm*.

Absque ulla eleemosina tenetur applicare Missam pro Populo *pag.* 113. §. *Plura*.

Depositio Parochi plurimi facienda est *pag.* 158. §. *Transit*.

Parochus quoad constructionem novi Oratorii Vid. *Oratorium*.

Quoad congruam. Vid. *Congrua*.

Parochialis Domus reparatio Vid. *Domus Parochialis*.

Ecclesiæ reparatio Vid. *Ecclesia Parochialis*.

Sub ejus denominatione non comprehenditur Ecclesia Collegiata *pag.* 6. §. *Nec obesse*.

Quamvis Ecclesia Collegiata prius fuisset simplex Parochialis *Ibid.*

A Parochialibus Ecclesiis, earumque Rectoribus, duci nequit argumentum ad Collegiatas licet curatas, earumque primam Dignitatem *Ibid.*

Parochialitas acquiritur non solum domicilio, sed etiam habitatione *pag.* 57. §. *Perpetamque*.

Et etiam permanentia unius tantùm mensis in aliquo loco. *Ibid.*

Passiva vocatio. Vid. *Vocatio passiva*.

Patrimonium pro sacris Ordinibus consistere debet in bonis stabilibus *pag.* 4. §. *Inane*.

Hinc admitti non potest legatum piumMissarum oneri obnoxium *Ibid.*

Multoque minus Avi obligatio *Ibid.*

Patronatus non immerito reservatur etiam favore hæredum, qui exequendo Testatoris voluntatem fundationem perficiunt, quamvis nihil de proprio conferant *pag.* 117. §. *Preterea*.

Præsertim si hæredes lucrum aliquod amittant, vel curam aliquam, & laborem sustinuerint pro exquirenda Testatoris voluntate *Ibid.*

Idque consonum est menti S. Congregationis Concilii. *Ibid.*

Patronus tenetur reaptare Ecclesiam, eique suppeditare omnia ad divinum cultum necessaria *pag.* 120. §. *Unanimis*.

Si id negligat, vel ter monitus recuset, potest Episcopus Altare, seu Ecclesiam destruere, aut aliis Patronatum concedere *pag.* 121. §. *Hinc Altaria*.

Idque locum habet, etiamsi Patronus in fundatione sufficientem dotem assignaverit, quæ decursu temporis defecerit *Ibid.*

Dummodo tamen onus reparationis ex legitima consuetudine ad alium non pertineat *pag. ead.* §. *Hæc tamen*.

Et dummodo Patronus conspicuam dotem ab initio non assignaverit pro manutentione Capellæ, & Capellani *pag. ead.* §. *Altera*.

Quo casu adigendus est Capellanus ad manutentionem Capellæ *Ibid.*

Potest transferre Patronatum in alium titulo alienationis *pag.* 212. §. *Hanc siquidem*.

Si autem Episcopus injustè translationi dissentiat, ejus consensus suppleri debet a Superiore *Ibid.*

Quatenus Patronus dissentiat translationi Capellaniæ de una ad alteram Ecclesiam, concedi nihilominus potest si justa, & necessaria causa concurrat *pag.* 131. §. *Injuria*.

Pecunia percepta ex retroventione censuum ad Beneficium pertinentium, debet statim investiri *pag.* 4. §. *Ad. III.*

Alias Beneficiatus incidit in suspensionem *Ibid.*

Pisaurensis Ecclesiæ Statuta quoad funus Parochi defuncti quid præscribant Vid. *Synodales Constitutiones*.

Prædilectio Consanguineorum præsumptiva Vid. *Consanguinei*.

Testatoris erga Legatarium recte desumitur ex pluralitate Legatorum *pag.* 28. §. *Concurrere*.

Probationis annus ad professionem emittendam debet esse continuus, & de momento in momentum progredi *p.* 174. §. *Atque hæc*. Vid. etiam *Novitiatus*.

Professio Religiosa, non autem simplex ingressus in Religionem dissolvit matrimonium ratum, & non consummatum *p.* 136. §. *Quatenus*.

Spatium temporis a jure præfixum ad deliberandum de ingressu in Religionem est duorum mensium *pag. ead.* §. *Iam alias*.

Quod quidem tempus computari debet a die præfinitionis termini a Judice factæ. *Ibia.*

Irrita est si desit internus consensus *pag.* 172. §. *Ex triplici*.

Defectus interni consensus eruitur ex inobservantia Regularis Instituti tempore Novitiatus *pag. ead.* §. *Seductionem*.

Atque etiam ex importunis actibus a Parentibus gestis, ut quis Professionem emitteret *Ibid.*

Præterea ex reluctantia Professi suscipiendi Sacros Ordines *pag.* 173. §. *Concludit*.

Ac demum ex reclamatione Professi intra quinquennium *Ibid.*

Neque est necesse probare metum, & vim

vim illatam, sed sufficit probare, quod defuerit animus profitendi ex aliqua honesta causa *pag.* 172. §. *Ex triplici*.

Verum ad excludendam professionis validitatem ex defectu interni consensus indubiæ requiruntur probationes *pag.* 176. §. *Contra verò*.

Irritatur ex metu cadente in virum constantem *pag.* 177. §. *Advertit*, & *pag.* 179. §. *Receptum*.

Non autem ex suasionibus, & precibus licet importunis *pag. ead.* §. *Animadvertit*.

Neque ex metu reverentiali, nisi alia concurrant *pag.* 179. §. *Receptum*.

Protestatio emissa ante professionem non attenditur, si inter protestationem, & professionem aliquod temporis spatium intercesserit *pag.* 176. §. *Ait præterea*.

Professio emissa ante completum tempus prorogationis Novitiatus valida est, si in Constitutionibus Ordinis ab Apostolica Sede approbatis aliter cautum non fuerit *pag.* 178. §. *Cæterum*.

Præscriptio quadraginta sufficit pro exclusione oneris *pag.* 149. §. *Provocant*.

Prorogatio anni Novitiatus. Vid. *Novitiatus*.

Puella. Ad dignoscendum an Puella sit Viri potens, & an malitia suppleat ætatem standum est judicio Ordinarii *pag.* 157. §. *Omnem*.

Neque ad id necessarii sunt Testes, aut Periti. *Ibid.*

Q

QUalitas Ecclesiastica Capellaniæ arguitur ex interposita Ordinarii auctoritate tam in erectione, quam in collatione *pag.* 182. *Contendit*.

Beneficio conveniens non sufficit ad reddendam Capellaniam Ecclesiasticam, si desit Ordinarii auctoritas, & titulus collativus *pag.* 183. §. *Nec obesse*.

Qualitates Canonicorum sunt boni mores, litteratura, & prudentia *pag.* 5. §. *Quoad tertium*.

Quarta funeralis non debetur Parocho viciniori, si decedat prima Dignitas Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis *pag.* 8. §. *Addunt*.

Querela judicialiter instituta animo tantum res sua defendendi, excusat ab irregularitate *pag.* 21. §. *Hinc*.

R

RAptus quid sit *pag.* 58. §. *Hæc sunt*.

De eò alia in jure Civili, alia in jure Canonico constituta inveniuntur, & quæ *pag.* 59. §. *De raptu*.

Jure Canonico a Sæculo XI. ratum fuit habitum Matrimonium Raptoris cum Rapta dummodo istius consensus accederet *Ibid.*

De Concilii Tridentini decreto variæ circa raptum interpretationes *pag. ead.* §. *Circa*.

Utriusque sententiæ argumenta afferuntur *pag. ead.* §. *Huius Sententiæ*, & *seq.*

Ex jure civili perpetuum fuit matrimonii impedimentum *pag* 55. §. *Sed contra*.

Etiamsi Parentum, vel utriusque Partis consensus accederet *Ibib.*, & *pag.* 59. §. *De raptu*.

Id tamen locum non habuit ex antiquo Ecclesiæ jure *pag.* 55. §. *Sed contra*.

Concilium Tridentinum veterem Ecclesiæ disciplinam non immutavit, sed modum tantummodo constituit explorandi accuratius consensum raptæ *pag. ead.* §. *Antiquam*.

Et sub juris dispositione reliquit interpretationem nominis raptoris, & raptæ *pag. ead.* §. *Admittit*, & *pag.* 51. §. *Neo obesse*.

Idque etiam desumitur ex nonnullis resolutionibus S. Congregationis Concilii *pag.* 56. §. *Neque aliud*.

Violenta abductio meretricis ex jure civili non reputatur raptus *pag.* 55. §. *Admittit*.

Sequus tamen ex jure Canonico *Ibid.*

Dirimit Matrimonium donec rapta omnimodæ libertari plenæque securitati non restituatur *pag.* 53. §. *Perperamque*.

Raptus formalis dirimens Matrimonium adesse dicitur non solum quando invita rapitur Puella, sed etiam quando illa in raptum consentit inscii tamen, & invitis Parentibus *pag.* 50. §. *Iisdem*.

Excipitur tantum casus, quo Puella post desponsationem in raptum consenserit *Ib.*

Probationes præcedentium Sponsalium ad excludendum raptum perspicuæ esse debent, & invincibiles *pag.* 51. §. *Ex his*.

Nec ulla habenda ratio est Confessionis Puellæ adhuc existentis in Raptoris potestate *Ibid.*

Raptus formalis, & violentus in jure præsumitur, quando Puella est teneræ ætatis, & pleno rationis usu destituta *pagin. ead.* §. *Utrumque*.

Raptus Viri a Muliere factus sub juris dispositione comprehenditur *pag.* 55. §. *Admittit*,

Jure tamen Canonico non dirimit Matrimonium *Ibid.*

Redditio Rationis ab Administratoribus Locorum Piorum an, & quomodo expleri debeat Ordinario. Vid. *Episcopus*.

Reductio Missarum quoad taxationem eleemosinæ Vid. *Elemosina*.

Ita tamen fieri debet, ut alia potius onera, quam Missarum numerus minuatur

tur *pag.* 25. §. *Quatenus*, *pag.* 91. §. *Certa regula*, & *pag.* 27. §. *Reductioni*.

Dummodo Teſtatoris voluntas aliter non ſuadeat *Ibid.*

Et dummodo Teſtator pro diverſis oneribus diverſos reditus non aſſignaverit *pagin.* 127. §. *Ab hac tamen*.

In dubio reductionis Miſſarum, vel Anniverſariorum, hæc potius, quam illæ reduci debent *Ibid.*

Plus enim ſuffragii experiuntur Defunctorum Animæ, ſi plures Miſſæ celebrentur *Ibid.*

Et hanc ſententiam ſequuta eſt Sacra Congregatio Concilii *pag.* 26. §. *Atque hac*.

Reductioni juſtam præbet cauſam redituum decrementum *pag.* 127. §. *Reductioni*.

Præcipue ſi legatum fuerit *taxative* relictum *Ibid.*

Reſtauratio Eccleſiæ Parochialis. Vid. *Eccleſia Parochialis*.

Domus Parochialis. Vid. *Domus*.

Reſtitutioni fideicommiſſi demandatæ in caſu obitus ſine filiis, non eſt locus, ſi gravatus cum liberis, aut Nepotibus deceſſerit *pag.* 202. §. *Præmittit*.

S

SAcrificium Miſſæ prodeſt Defunctis per modum ſolutionis debiti *pag.* 25. §. *Quatenus*.

In quacumque Eccleſia celebretur eodem modo prodeſt *pag.* 46. §. *Duæ potiſſimum*.

Ejus iteratio. Vid. *Miſſa Irregularitas*.

Seminario uniri nequeunt beneficia, niſi prius taxa pro illo fuerit impoſita *pag.* 211. §. *Concilium*, & *pag.* 213. §. *Remedium*.

Et niſi Seminarium erectum jam fuerit, & Alumni in eo admiſſi *pag.* 212. §. *Hanc ſiquidem*, & *pag.* 213. §. *Remedium*.

Uniri tantum poſſunt beneficia liberæ collationis Ordinarii, non autem quæ Juris patronatus ſunt, aut collationis inferiorum *pag.* 212. §. *Hanc ſiquidem*.

Simulatio ex conjecturis, ex indiciis, & præſumptionibus eruitur *pag.* 174. §. *Nihili*.

Actus ſimulationis nunquam internum conſenſum probare poſſunt *Ibid.*

Status confectio fieri non debet per quinquennium, ſed per novennium, quando prædia in quatuor partes diviſa ad ſationem ſunt deſtinata *pag.* 113. §. *Ex alia*.

In confectione ſtatus nulla habenda ratio eſt oneris temporanei, & extraordinarii *pag. ead.* §. *Plura*.

Statuta paſſivam interpretationem recipiunt a jure, & conſuetudine *pag.* 35. §. *Nec obſtare*.

Atque etiam ex verbis ipſis, aut ex ſtatuentium mente, vel ex ſubſequuta obſervantia *pag.* 38. §. *Huiuſce*.

Stuprum paſſim dicitur raptus *pag.* 55. §. *Admittit*.

Subreptio. Vid. *Opreptio*.

Subſidia dotalia conferri non debent Puellis deſtitutis qualitatibus a Teſtatore præſcriptis *pag.* 204. §. *Contra*.

Ad ea admittendæ præſertim ſunt Teſtatoris conſanguineæ *pag.* 203. §. *Idque*.

Hoc enim exigit ordinata charitas, & Chriſtiana dilectio *Ibid.*

Et hoc modo uberius impletur Teſtatoris voluntas *pag. ead.* §. *Neque obiici*.

Immo ex veroſimili mente Teſtatoris augeri aliquando debent *pag.* 100. §. *Hac porrò*.

Atque idcirco Sacra Congregatio dotium cumulum ſæpius demandavit, ut de congrua dote Puellas conſanguineas provideret *pag.* 202. §. *Præmittit*.

Quia ſubſidia charitatis in ſuos magis, quam in exteros collata cenſeri debent *Ibid.*

Suſpenſio reddit Clericum inhabilem ad aſſequenda Beneficia Eccleſiaſtica *pag.* 5. §. *Accedere*.

Incurritur a Beneficiato, qui ſui beneficii bona alienaverit *pag.* 4. §. *Ad III.*

Atque etiam ab eo, qui neglexerit inveſtimentum pecuniarum provenientium ex retrovenditione cenſus ad beneficium pertinentis *Ibid.*

Ad eam incurrendam neceſſaria non eſt præcedens monitio, quoties culpa ex ſui natura ſuſpenſionem inducit *pag.* 4. §. *Ex his*.

Et quoties agitur de ſuſpenſione a jure inflicta *Ibid.*

Abſolutio non datur, niſi emendatis cauſis. *pag.* 4. §. *Infert*.

Synodales Conſtitutiones prohibentes, ne in publicis Oratoriis celebretur Miſſa diebus ſollemnioribus irritæ ſunt, & injuſtæ *pag.* 81. §. *Nihil*.

Diœceſis Lunen. Sarzanen. circa celebrationem Miſſæ in Oratoriis publicis die Paſchatis quid præſcribant *pag.* 85. §. *In Synodo*, & *ſeq.*

Piſaurenſis quid ſtatuant quoad jura Parochi vicinioris in alterum Parochum ægrotantem, vel defunctum *pag.* 10. §. *Ut duo*, & *ſeq.*

Contra Synodales Conſtitutiones non præſumitur ignorantia juris *pag.* 2. §. *Beneficio*.

T

TEſtamentum Crucis ſigno firmatum, & Notario traditum, nullum eſt, niſi probetur ante traditionem fuiſſe lectum Teſtatori *pag.* 69. §. *Et ad I.*

Teſtatoris prædilectio erga conſanguineos. Vid. *Conſanguinei*.

Erga Legatarios. Vid. *Legatarii*.

Ejus voluntas immutari nequit, niſi juſta, & neceſſaria cauſa concurrat *pag.* 28. §. *Notum eſt*.

Immutatur aliquando pro erigendis Eccleſiis Collegiatis, & quomodo? *pag.* 81. §. *Hinc*.

Subſidia charitatis relicta a Teſtatore præſumuntur potius pro conſanguineis, quam pro exteris *pag.* 202. §. *Præmittit*.

Teſtis poſt editum teſtimonium non poteſt Judicis partes aſſumere *pag.* 54. §. *Hunc tamen*.

Ad proprium commodum deponens nullam fidem meretur *pag.* 56. §. *Ex his*, & *pag.* 176. §. *Contra*.

Neque ſi deponat ad propriam exonerationem *pag.* 173. §. *Negat*.

Contra validitatem Matrimonii debent eſſe omni exceptione majores *pag.* 157. §. *Defenſor*.

Hinc reiiciendi ſunt extrajudiciales, & informes *Ibid.*

Atque etiam viles, conſanguinei, affines, & intrinſeci familiares *Ibid.*

Tranſactio verſari debet ſuper re dubia, & ab utraque Parte debet aliquid remitti *pag.* 71. §. *De natura*.

Reſcinditur proinde ſi inita fuerit ſuper re clara, & abſque conſenſu intereſſe habentium *Ibid.*

Debitis ſolemnitatibus facta, & præſertim ab Ordinario approbata, pro valida habenda eſt *pag.* 123. §. *Tuetur*.

Non mutans ſubſtantiam diſpoſitionis, ſed ſolum præſiniens modum magis tutum, ac facilem exequutionis, non indiget Beneplacito Apoſtolico *pagin. ead.* §. *Nec obeſſe*.

Inita bona fide, juſta cauſa, & de conſilio Juriſperitorum, afficit etiam Succeſſores proprio jure venientes *pag.* 224. §. *Nec metuendum*.

Et accedente Beneplacito Apoſtolico nequit amplius in diſcrimen revocari *Ibid.*

Inita ad tollendas lites legum favorem meretur *pag. ead.* §. *Tranſactiones*.

Et præſertim Sedis Apoſtolicæ. *Ibid.*

Translatio Capellaniæ ab uno ad alium locum conceditur invitis etiam Patronis, quando juſta, & neceſſaria cauſa concurrit *pag.* 131. §. *Iniuria*.

Miſſarum ab Eccleſia, in qua quis Sepulchrum elegit, non conceditur *pag.* 45. §. *Inquiunt*.

Facilius concedi ſolet ſi Teſtator Animæ ſuffragium tantummodo reſpexerit *pag.* 46. §. *Duæ potiſſimum*

Sequus vero ſi illas reliquerit ex affectione, vel pro decore Eccleſiæ, aut ex peculiari erga aliquem Sanctum devotione *Ibid.*

Non concurrente juſta, & neceſſaria cauſa, S. Congregatio translationem Miſſarum ut plurimum denegavit *pag.* 46. §. *Sacra*, & *pag.* 132. §. *Caute*.

Pro juſta cauſa habetur, quæ neceſſitatem ſuadeat commutandæ voluntatis *pag. ead.* §. *Quæ de re*.

V

Vacatio trium menſium jam introducta permiſſa fuit a Concilio Tridentino *pag.* 236. §. *Quoniam*.

Non tamen conceſſa *Ibid.*

Hinc S. Congregatio ſæpiſſimè reiecit inſtantias Canonicorum poſtulantium ex gratia trium menſium vocationem *Ibid.*

Vagus dicitur qui vel nullum habet domicilium, vel illud deſeruit *pag.* 53. §. *Hiſce præmiſſis*.

Venditio bonorum ſub haſta, ſi a Teſtatore non fuerit ita enixe præſcripta, ut aliter fieri prohibuerit, ſuppleri etiam poteſt per æquipollens, dummodo voluntas impleatur *pag.* 123. §. *Advertit*.

Viſitatio Epiſcopi. Vid. *Epiſcopus*.

Unio Beneficiorum Parochialium, & non Parochialium facta ab Epiſcopo pro erigenda Eccleſia Collegiata, confirmata fuit a S. M. Leone X. *pag.* 91. §. *Anno*.

Facta favore Seminarii non habet locum, niſi prius taxa pro illius manutentione fuerit præfinita *pag.* 211. §. *Concilium*.

Et niſi Seminarium jam fuerit erectum, & Alumni in eo admiſſi *pag.* 212. §. *Hanc ſiquidem*.

Ea tantum uniri poſſunt, quæ ſunt liberæ collationis Ordinarii *Ibid.*

Non vero quæ ſunt Juriſpatronatus, vel collationis Inferiorum *Ibid.*

Vocatio paſſiva ineſt Puellis, quarum favore ſubſidia dotalia fuerunt relicta *pag.* 204. §. *Idque*.

In quocumque caſu reiici debet petitio, quæ noxia ſit paſſivæ vocationi *pag. ead.* §. *Ex his*.

Voluntas humana repentinæ ſubeſt mutationi *pag.* 176. §. *Aut præterea*.

Repentina tamen mutatio non præſumitur in eo, qui paulo ante adverſum animum contrariis actibus demonſtravit *pag.* 173. §. *Concludit*.

Quæ ambiguum importat exequutionis modum, dici nequit determinata *pag.* 208. §. *Id ipſum*.

Ultimæ voluntatis exequutio pertinet ad Epiſcopum *pag.* 160. §. *Fatetur*.

Commutatio eſt remedium extraordinarium

rium, & subsidiarium *pag.* 29. §. *Demum.*

Conceditur, quando voluntas Testatoris præscripto ab eo modo impleri nequit *pag.* 115. §. *Canonici.*

Et hac de causa pluries S. Congregatio commutationem concessit *Ibid.*

Ad hunc effectum non requiritur impossibilitas physica, sed sufficit moralis, seu magna difficultas *pag.* 116. §. *Advertunt*, & *pag.* 208. §. *Ad II.*

Facilius conceditur, quando cedit in melius, & magis pium opus *pag. ead. §. Accedere.*

Et quando augetur Ecclesiæ decor, & suffragium Animæ Testatoris *Ibid.*

Non dicitur commutatio, quando servatur causa finalis dispositionis *pag.* 208. §. *Idque ipsum.*

Vox activa, & passiva in actibus Capitularibus competit iis omnibus, qui Capitulum constituunt, & in Sacris Ordinibus sunt constituti *pag.* 106. §. *Ad III.*

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM
Quæ prodierunt in Cauſis propoſitis in Sac. Congregatione Concilii anno 1772.

A

ABſentiæ prorogatio cauſa Studiorum denegatur Canonicis, quoties Chori, Eccleſiæque ſervitium detrimentum patiatur *Urbanten.* 21. *Novembris*.

Adminiſtratores Locorum Piorum tenentur rationem reddere Epiſcopo geſtæ adminiſtrationis *Faventina* 19. *Septembris ad I. dub. pag.* 187.

Non tamen tenentur deferre ad Epiſcopum extra locum libros, & Scripturas reſpicientes adminiſtrationem *Ibid. ad II. dub.*

Etiamſi Epiſcopus ad locum geſtæ adminiſtrationis ſeſe contuliſſet, eique denegati fuiſſent libri, & Scripturæ *Ibid. ad III. dub.*

Poſſunt etiam eligere Ratiocinatorem, qui eorum nomine adſit redditioni rationis recipiendæ ab Epiſcopo, vel a Reviſore Synodali *Ibid. ad IV. dub.*

Redditio autem rationis gratis recipienda eſt ad Epiſcopo *Ibid. ad V. dub.*

Alimentorum ſubminiſtratio augetur, ſi hæreditarii reditus augeantur *Faventina* 30. *Maii pag.* 111.

Quo modo augeatur *Vid. Ibid.*

Ceſſat in totum Puellis jam nuptis *Ibid.*

B

BEneficiatus quoad mutationem Capellæ ſui Beneficii Vid. *Capellanus*.

Beneficium Eccleſiaſticum fieri nequit Capellania mere Laicalis *Camerinen.* 21. *Novembris ad I. dub. pag.* 201.

Si præter onus Miſſarum alia habeat adnexa onera, earumdem Miſſarum reductio conceditur juxta rationem taxæ perpetuæ *Aquin.* 19. *Decembris pag.* 221.

Firmis tamen remanentibus aliis oneribus *Ibid.*

Capitalia Beneficii in cenſibus conſtituta ſi reſtituantur, denuo debent inveſtiri *Alexandrina* 11. *Januarii pag.* 5.

Et Epiſcopus curare debet, ut fiat inveſtimentum *Ibid.*

C

CAnonicatus nuncupat. Pretini in Cathedrali Eccleſia Brictinorien præter Chori ſervitium habet etiam adnexum onus inſerviendi Epiſcopo Sacram aliquam functionem peragenti in qualibet Eccleſia Civitatis, vel Suburbiorum *Brictinorten.* 11. *Januarii pag.* 1., & 9. *Maii pag.* 93.

Canonicus Senior Capituli ad Conſeſſiones approbatus jus habet adminiſtrandi Sacra-cramenta, & peragendi funus primæ Dignitati, & Parocho Eccleſiæ Collegiatæ Vid. *Collegiata Eccleſia*.

Poſt continuum 40. annorum ſervitium jubilatione donari debet, etiamſi Capitulum contradicat *Gerunden.* 15. *Februarii ad II. dub. pag.* 40.

Revocari tamen poteſt ad ſervitium, quoties divinus cultus detrimentum patiatur *Lucana* 19. *Septembris pag.* 190.

Idque procedit etiamſi abſens fuerit cum debita licentia *Urbanen.* 21. *Novembris pag.* 201.

Senior Collegiatæ S. Ædiſti tenetur inhabitare Domum a Teſtatore relictam *Nullius S. Ædiſti* 18. *Julii ad I. dub. pag.* 141.

Sacra tamen Congregatio cenſuit juſtas ob cauſas conſulendum SSmo pro diſpenſatione *Ibid.*

Et quad præteritum abſolvendum a pœna a Fundatore impoſita Canonico, qui non habitaverat *Ibid. ad II. dub.*

Canonici ſine licentia Epiſcopi nequeunt immutare locum, & tempus celebrationis Divinorum Officiorum *Cingulana* 14. *Martii pag.* 49.

Non participantes de Maſſa Capitulari non habent vocem activam, & paſſivam in actibus Capitularibus quoad ea, quæ reſpiciunt maſſam Capituli *Faventina* 30. *Maii ad III. dub. pag.* 111.

Cathedralis Eccleſiæ Calaritanæ nucupat. *de Stallo*, ſive *de Solio* in canendis Antiphonis, & Invitatoriis ſervare debent concordiam cum antiquioribus Canonicis initam *Calaritana* 29. *Auguſti pag.* 169.

Collegiatæ S. Exuperantii Cinguli petentes facultatem bis tantum quolibet die feſto

convemendi in choro, & celebrandi tempore hyemali divina Officia in quadam Ecclesiæ Capella, remissi fuerunt Episcopo, ut rem totam pro suo arbitrio decerneret *Congulana* 14. *Martii pag.* 49.

Cujuscumque Collegiatæ præcedere debent Parochis, aliisque Presbyteris in Sacris supplicationibus, aliisque functionibus etiam Synodalibus *Pisauren.* 25. *Januarii ad V. dub. pag.* 19.

Aliarum Ecclesiarum, quas non constat vere esse Collegiatas, non tenentur ad celebrationem Missæ Conventualis *Nullius Trium Fontium* 4. *Aprilis pag.* 80.

Cappellania etiamsi mere laicalis, potest nihilominus quoad personas nominandas esse Ecclesiastica *Firmana Cappellana* 19. *Septembris pag.* 188.

Et in isto casu retineri nequit in statu Conjugali *Ibid. ad II. dub.*

Contra mentem Fundatoris erigi non potest in Beneficium Ecclesiasticum, & erectio reprobatur *Camerinen.* 21. *Novembris ad I. dub. pag.* 201.

Atque idcirco collatio facta favore Clerici merito confirmatur *Ibid. ad II.*, & *III. dub.*

Capellanus ex reditibus Capellaniæ pro Missarum celebratione destinatis detrahere solum potest expensas factas pro utensilibus Capellæ, non autem pro illius manutentione *Nullius S. Ædisti* 27. *Junii ad I. duo- pag.* 133.

Quia pro istarum reintegratione agere debet contra quos de jure *Ibid.*

Et si Missas ea de causa omiserit, ad illarum celebrationem est adegendus *Ibid. ad II. dub.*

Tenetur celebrare Missas in loco, ad quem traslata est Capellania *Aquipendien.* 4. *Aprilis pag.* 80.

Proindeque denegatur facultas celebrandi etiam in loco ubi bona sunt sita *Ibid.*

Capituli dissensus impedire non potest jubilationem Canonicis post continuum, & laudabile 40. annorum servitium *Gerunden.* 15. *Februarii ad II. dub. pag.* 40.

Chori servitium. Vid. *Officium divinum.*

Collegiatæ Ecclesiæ prima Dignitas, cui adnexa etiam sit cura Animarum, in casu infirmitatis Sacramenta recipere debet a Seniore Capituli Canonico ad Confessiones approbato *Pisauren.* 25. *Januarii ad I. dub. pag.* 19.

Ab eoque in casu obitus funus est peragendum *Ibid.*

Emolumenta tamen funeris percipienda sunt a Capitulo *Ibid. ad II. dub.*

Commutatio onerum Missarum pro adimplendis aliis piis operibus non conceditur *Albinimilien.* 15. *Februarii pag.* 34.

Neque ultimæ voluntatis quando justa, & necessaria causa non concurrat *Senogallien.* 27. *Junii pag.* 133.

Aliquando tamen S. Congregatio censuit SSmo consulendum pro commutatione ut in *Civitatis Castellana* 19. *Decembri pag.* 222.

Congregatio Paulina Terræ Brixichellæ tenetur annis dumtaxat penuriosis elemosinas pauperibus destribuere *Faventina* 19. *Septembris ad VI. dub. pag.* 187.

Et ad Vocales d. Congregationis privative pertinet decernere, qui sit annus penuriosus *Ibid. ad VII. dub.*

Conventualis Missa. Vid. *Missa.*

D

Dispensationem ab irregularitate ex homicidio in rixa patrato denegavit S. Congregatio in *diben.* 19. *Septembris pag.* 188.

Verum favore Diaconi ex peculiaribus circumstantiis consulendum censuit SSmo pro dispensatione in *Taurinen.* 4. *Aprilis pag.* 79.

Ex defectu manus denegavit in *Augustana* 19. *Decembris pag.* 228.

In dubio de irregularitate conceditur dispensatio ad cautelam *Senogallien.* 15. *Februarii pag.* 33. & *Toletana ejusdem diei pag.* 34.

Distributio reditumm hæreditariorum, quæ non sit conformis voluntati Testatoris reprobatur *Leodien.* 19. *Novembris ad I.*, & *II. dub. pag.* 209.

Domus Parochialis aquibus, & quando reaptari debeat *Tudertina* 19. *Decembris pag.* 221.

Donatio Juris patronatus confirmata fuit a S. Congregatione in *Paderbonen.* 19. *Decembris ad II. dub. pag.* 221.

Dotalia subsidia. Vid. *Subsidia dotalia.*

E

Ecclesia quoad restaurationem. Vid. *Restauratio.*

Episcopus pro suo arbitrio deputare potest Æconomum in Ecclesiis etiam Collegiatis, si moriatur Parochus, qui sit de gremio Capituli *Pisauren* 25. *Januarii ad III. dub. pag.* 19.

Prohibere nequit quominus in publicis Oratoriis celebretur Missa diebus festis solemnioribus *Lunen. Sarzanen.* 9. *Maii pag.* 93.

Revocare potest ad servitium Ecclesiæ Canonicum jubilatum, si divinus cultus ex ejus absentia detrimentum patiatur *Lucana* 19. *Septembris pag.* 190.

Eidem Pontificalia exercenti, & Ordi-

nes conferenti ita Cathedrali, vel Capella Episcopali subministrari debent a Canonicis Cathedralis supellectiles, & alia sacra ornamenta *Terracinen. 9. Maii pag. 96.*

Ejus arbitrio remittitur providere, ut consultum remaneat implemento voluntatis Testatoris *Fulginaten. 8. Augusti p. 154.*

Prout etiam præfinire locum, & tempus peragendi divina officia *Cingulana 14. Martii pag. 49.*

Erectio Capellaniæ demandata sub conditione exequi nequit, nisi conditio fuerit purificata *Anagnina 4. Aprilis ad I. dub. pag. 80.*

Eucharistiæ Sacramentum deferre debet Parochus Infirmis *Firmana 8. Augusti ad V. dub. pag. 153.*

Excipitur tamen casus necessitatis *Ibid.*

Exemptio ab onere Missæ Conventualis pro diebus ferialibus tantum concessa fuit Canonicis Ecclesiæ S. Exuperantii Cinguli, quousque quoddam debitum extingueretur *Cingulana 8. Augusti pag. ead.*

Expensæ litis actæ pro tuendis juribus, & in commodum causæ piæ ex istius reditibus detrahi debent *Faventina 19. Septembris ad VIII. dub. pag. 183.*

Pro utensilibus necessariis pro celebratione Missarum detrahi possunt ex reditibus Capellaniæ *Nullius S. Agathæ 27. Junii ad I. dub. pag. 133.*

Non tamen expensæ pro manutentione Capellæ *Ibid.*

Cum pro istarum reintegratione Capellanus agere debeat contra quos de jure *Ibid.*

Hinc Capellanus tenetur ad celebrationem Missarum, quas de præterito omisit ex causa ornatus, & manutentionis Capellæ *Ibid. ad II. dub.*

F

Funus primæ Dignitatis, ac simul Parochi Ecclesiæ Collegiatæ peragi debet a Canonico Seniore Capituli ad Confessiones approbato *Pisauren. 25. Januarii ad I. dub. pag. 19.*

Emolumenta tamen Capitulo debentur *Ibid. ad II. dub.*

G

Gerundensis Ecclesiæ Statuta non obstant, quominus Canonici petere, & obtinere possint jubilationem *Gerunden. 15. Februarii ad I. dub. pag. 40.*

Nec proindè iidem Canonici indigent ea de causa absolutione a juramento, quo se obligant ad illorum observantiam *Ibid.*

Et idcircò absque ulla dispensatione S. Congregatio uni ex Canonicis jubilationem concessit *Ibid. ad II. dub.*

H

Hæredes si renuant declarare, an velint accepare hæreditatem cum oneribus a Testatore præscriptis, meritò privari possunt *Melevitana 29. Augusti pag. 169.*

Quo casu hæreditas transfertur in alium cum obligatione adimplendi onera. *Ibid.*

I

Indultum absentandi causa studiorum denegatur, quoties Ecclesiæ servitium detrimentum patiatur *Urbanten. 21. Novembris pag. 201.*

Investimentum. Capitalia restituta ad beneficium pertinentia denuò investiri debent *Alexandrina 21. Januarii pag. 5.*

Idque curare debet Episcopus *Ibid.*

Invitatorii, & Antiphonæ a Canonicis *de Stallo* sive *de Solio* Cathedralis Ecclesiæ Calaritanæ, canendæ sunt ad formam concordiæ initæ cum antiquioribus Canonicis *Calaritana 29. Augusti pag. 169.*

Irregularitas. In dubio concessa fuit dispensatio ad cautelam in *Senogallien.*, & in *Toletana 15. Februarii pag. 33., & 34.*

Ex homicidio dispensatum fuit cum quodam Diacono in *Taurinen. 4. Aprilis pag. 79.*

Non tamen cum Sacerdote, qui Vice-Parochi munere fungebatur *Albenen. 19. Septembris pag. 188.*

Jubilatio concessa fuit uni ex Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Gerundensis non obstante Capituli contradictione *Gerunden. 15. Februarii, & 9. Maii pag. 40., & 94.*

Item Canonico Collegiatæ S. Petri Lucen., quamvis nullum in ea Ecclesia reperiretur exemplum *Lucana 9. Septembris pag. 190.*

Addita tamen conditione, ut ab Archiepiscopo revocari posset ad servitium, quatenus ex ejus absentia divinus cultus detrimentum pateretur *Ibid.*

Juris patronatus donatio confirmata fuit in *Paderbonen. 19. Decembris ad II. dub. pag. 221.*

L

Laicus, vel Clericus Conjugatus retinere nequit Capellanias meræ laicales, si istæ quoad personas nominandas sint Ecclesiasticæ *Firmana 19. Septembris pag. 188.*

Libri, & Scripturæ jura, & legata vel aliud quodcumque interesse Ecclesiæ respicien-

elentes retineri nequeunt a Rectore extra illam *Firmana* 8. *Augusti ad VIII. dub. pag.* 153.

Præsertim si adsit Ædictum Episcopi *Ibid.*

Respicientes administrationem Locorum Piorum non sunt deferendi ad Episcopum extra locum gestæ administrationis *Faventina* 19. *Septembris ad II. dub. pag.* 187.

Idque procedit etiamsi Episcopus locum adiisset, & libros frustra requisivisset *Ibid. ad III. dub.*

Litis ex pensæ factæ ad tuenda jura causæ piæ ex istius reditibus detrahi debent *Ibid. ad VIII. dub.*

Locorum Piorum Administratores quoad redditionem rationis. Vid. *Administratores*.

M

MAtrimonii nullitatem ex causa prætensi raptus, & deficientiæ proprii Parochi rejecit S. Congregatio in *Olomucen.* 14. *Martii pag.* 61.

Constare tamen censuit de nullitate ob defectum cognitionis in *Theatina* 29. *Augusti pag.* 169.

Prout etiam censuit constare de matrimonio rato, & non consummato in *Neapolitana Matrimonii* 21. *Julii pag.* 141., & 19. *Septembris pag.* 188.

Atque hinc licere alteri ex Conjugibus ingredi Religionem approbatam, & in ea profiteri *Ibid.*

Declaravit tamen, quod Conjux in sæculo permanens liber non esset nisi post expletum ab altero Tyrocinii tempus, emissamque professionem *Ibid.*

Missa pro Populo celebranda quotidie non est a Parochis, nisi contraria aliqua adsit consuetudo *Neocastren.* 15. *Februarii pag.* 33.

Sed solum Dominicis, & festis diebus *Ibid.*

Conventualis celebrari non debet in iis Ecclesiis, quæ verè Collegiatæ non sunt *Nullius Irium Fontium* 4. *Aprilis pag.* 80.

Eaque de causa immunes ab hujusmodi onere S. Congregatio declaravit Præsbyteros Ecclesiæ S. Nicolai Terræ S. Ædisti *Ibid. ad I. dub.*

Ob redituum tenuitatem conceditur reductio ad dies festos, etiamsi quotidie celebrari consueverit *Terracinen.* 21. *Januarii pag.* 201.

Vel donec extinguatur debitum, ut in *Cingulana* 8. *Augusti pag.* 153.

Celebrari potest in publicis Oratoriis etiam diebus sollemnioribus *Lunen. Sarzanen.* 9. *Maii pag.* 93.

Neque id Episcopus potest impedire *Ibid.*

Preferri debet cuilibet pio operi *Albintimilien.* 15. *Februarii pag.* 34.

Hinc reduci non debet numerus Missarum ut alia pia opera impleantur *Ibid.*

In casu reductionis si adsint Missæ lectæ, & cantatæ, istæ potius tolluntur, & illæ ad rationem manualis reducuntur *Nepesina* 15. *Februarii pag.* 33.

Aliquando tamen reductio conceditur etiam ad rationem taxæ perpetuæ *Aquen.* 19. *Decembris pag.* 221.

Quandoque etiam permittitur, ut celebratio impleatur cum aliis pecuniis quam cum illis a Testatore destinatis *Astен.* 27. *Junii pag.* 134.

Iteratio Missarum eadem die a Sacerdote facta, an inducat irregularitatem, non definivit S. Congregatio in *Toletana* 15. *Februarii pag.* 34.

Censuit tamen esse locum dispensationi ad cautelam arbitrio Ordinarii *Ibid. ad II. dub.*

Translatio Missarum. Vid. *Translatio.*

Monti Pietatis permittitur ad tempus exactio scutorum trium pro centenario *Perusina* 11. *Januarii pag.* 1.

O

OBreptio, vel Subreptio Brevis non desumitur & reticentia, vel mala expressione alicujus rei non substantialis *Firmana* 8. *Augusti pag.* 153.

Æconomus deputari debet etiam in Ecclesiis Collegiatis, quando moritur prima Dignitas, & simul Parochus earumdem Ecclesiarum *Pisauren.* 25. *Januarii ad III. dub. pag.* 19.

Neque hujusmodi munus pertinet ad Seniorem Capituli Canonicum ad Confessiones approbatum *Ibid.*

Nec est necesse, ut Æconomus sit de gremio Capituli, sed deputatio pendet ab arbitrio Episcopi *Ibid. ad IV. dub.*

Si verò deputatus fuerit extraneus Æconomus, non alias hic potest peragere functiones, quam merè Parochiales *Ibid. ad V. dub.*

Officium divinum celebrari debet a Canonicis in Ecclesia, nisi justa intercedat causa, quæ dispensationem suadeat *Cingulana* 14. *Martii pag.* 49.

Quo casu solet S. Congregatio rem arbitrio Episcopi remittere *Ibid.*

Idque etiam servare solet quoad tempus *Ibid.*

Onerum redductio. Vid. *Reductio*.

In Oratoriis publicis celebrari possunt Missæ etiam in die Paschatis Resurrectionis *Lunen. Sarzanen.* 9. *Maii pag.* 93.

Neque id Episcopus potest impedire *Ibid.*

Paro-

P

PArochus vicinior jus non habet administrandi Sacramenta, & peragendi funus primæ Dignitatis, & simul Parochi Ecclesiæ Collegiatæ *Pisauren.* 11. *Januarij pag.* 19. *ad II. dub.*

Sed id pertinet ad Seniorem Capituli Canonicum ad Confessiones approbatum *Ibid.*

Emolumenta verò funeris Capitulo debentur *Ibid.*

Non tenetur Missam quotidiè applicare pro Populo, sed tantùm Dominicis, & festis diebus de præcepto *Neocastren.* 15. *Februarii pag.* 33.

Debet deferre infirmis Sanctissimam Eucharistiam, excepto casu necessitatis *Firmana* 8. *Augusti ad V. dub. pag.* 153.

Potest in Ecclesia sibi subiecta jura Parochialia exercere *Ibid.*

Non habet præcedentiam supra Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ *Pisauren.* 25. *Januarii ad V. dub. pag.* 19.

Professio Religiosa ab uno Conjuge emissa, post matrimonium ratum, & non consummatum, reddit liberum alterum Conjugem, ut ad alias nuptias transire possit *Neapolitana* 18. *Julii pag.* 141.

De illius nullitate non constare censuit S. Congregatio in *Mediolanen.* 19. *Septembris pag.* 188.

Puellæ omnibus præditæ qualitatibus, & specialem vocationem habentes præferendæ sunt in assequutione subsidiorum dotalium *Fanen.* 15. *Februarii pag.* 44.

Præsertim si Collatorum consensus accedat *Ibid.*

Reliqua Vid. *Subsidia dotalia.*

R

RAtiocinator, qui interfit redditioni rationis administrationis Locorum piorum recipiendæ ab Episcopo, vel a Revisore Synodali, eligi potest ab ipsis Administratoribus eorumdem Locorum piorum *Faventina* 19. *Septembris ad IV. dub. pag.* 187.

Rector Ecclesiæ SS. Felicis, & Adaucti tenetur retinere in dicta Ecclesia Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *Firmana* 8. *Augusti ad II. dub. pag.* 153.

Et subministrare oleum pro lampade *Ibid. ad III. dub.*

Atque etiam Populo intra Ecclesiam Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ *Ibid. ad V. dub.*

Extra Ecclesiam verò solum in casu necessitatis *Ibid.*

Redditio rationis administrationis Locorum Piorum gratis recipi debet ab Episcopo *Faventina* 19. *Septembris pag.* 187.

Reductio oneris Missæ quotidianæ Conventualis ad dies festos conceditur ob redituum tenuitatem *Terracinen.* 21. *Novembris pag.* 201.

Missarum ad rationem taxæ perpetuo concessa fuit in *Aquen.* 19. *Decembris pag.* 221.

Firmo tamen remanente onere Capellano injuncto audiendi Confessiones *Ibid.*

Aliquando tamen delendum S. Congregatio censuit onus audiendi Confessiones, absque ulla Missarum reductione *Aquen.* 27. *Junii pag.* 134.

Ut plurimum conceditur reductio ad rationem eleemosinæ manualis deleta Missa sollemni *Nepesina* 15. *Februarii pag.* 33.

Reparatio Domus Parochialis spectat ad Communitatem, & Homines quando adsit consuetudo *Tudertina* 19. *Decembris pag.* 221.

S

SAcerdos duas Missas eodem die celebrans an irregularitatem incurrat, non definivit S. Congregatio in *Toletana* 15. *Februarii pag.* 34.

Remisit tamen Episcopo, ut pro suo arbitrio dispensationem ad cautelam concederet *Ibid.*

Sacramenta primæ Dignitati, & simul Parocho Ecclesiæ Collegiatæ subministrari debent a Canonico Seniore Capituli ad Confessiones approbato *Pisauren.* 25. *Januarii ad I. duo. pag* 19.

Idem de funere peragendo. *Ibid.*

Emolumenta tamen funeris Capitulo debentur *Ibid. ad II. dub.*

Servitium Chori. Vid. *Canonicus. Officium divinum.*

Statura Ecclesiæ Gerundiensis non obstant Jubilationi *Gerunden.* 15. *Februarii ad I. dub. pag.* 40.

Hinc petentes Jubilationem non indigent absolutione a juramento emisso super illorum observantia *Ibid.*

Subreptio, vel obreptio non benè desumitur ex reticentia, aut expressione minus vera, quæ substantiam non respicit *Firmana* 8. *Augusti pag.* 153.

Subsidia dotalia prælativè conferri debent Puellis specialem vocationem habentibus *Fanen.* 15. *Februarii pag.* 44.

Relicta Puellis descendentibus *da miei Paesani* debentur omnibus descendentibus a Concivibus usque ad quemcumque gradum

dum in infinitum *Romana 25. Januarii pag. 20.*

Cum prælatione tamen deſcendentium ab utroque Parente Concive Teſtatoris in *alta Romana Ibid.*

Non debentur ſi deſint qualitates a Teſtatore requiſitæ *Romana 21. Novembriis pag. 205.*

Charitatis ſubſidia in certa ſumma relicta augentur ſi hæreditatis reditus augeantur *Faventina 30. Maii pag. 111.*

Non tamen in perpetuum, ſed ad tempus *Ibid.*

Favore autem Puellarum, quæ nuptæ fuerint, ceſſat in totum ſubminiſtratio *Ibid.*

Supellectiles, & Sacra ornamenta ſubminiſtrari debent Epiſcopo Pontificalia exercenti in Cathedrali, vel Ordines conferenti in Capella Epiſcopali *Terracinen. 9. Maii pag. 96.*

Suſpenſio abſque legitima cauſa lata eſt nulla *Alexandrina 11. Januarii pag. 5.*

Nec ex ea Clericus fit incapax beneficii *Ibid.*

Oneris a Teſtatore relicti conceditur ad tempus ad debita dimittenda *Romana 29. Auguſti pag. 169.*

Synodalia ſtatuta non obſtant, quominus in publicis Oratoriis celebrari poſſit Miſſa in feſtis etiam ſollemnioribus *Lunen. Sarzanen. 9. Maii pag. 93.*

T

TRanſactio cum Locis piis non eſt approbanda, niſi conſtet de evidenti utilitate *Anagnina 4. Aprilis pag. 80.*

Super bonis Familiæ Zocchi cum præfinitione numeri Miſſarum approbata fuit a S. Congregatione in *Camerinen. 9. Maii pag. 93.*

Translatio Capellaniæ ab uno ad alium locum contra Teſtatoris voluntatem non permittitur *Comen. 18. Julii pag. 241.*

Et hac de cauſa denegata fuit translatio Miſſarum ab Eccleſia Confraternitatis ad Seminarium Epiſcopale in *Auximana 14. Martii pag. 49.*

Oneris Miſſarum ob aeris inſalubritatem, & exiguum Sacerdotum numerum conceſſa fuit pro diebus ferialibus tantum in *Caſalen. 25. Januarii pag. 20.*

Translato Capitulo, & Cathedralitate onera quoque eodem modo translata cenſentur *Aquipendien. 4. Aprilis pag. 80.*

V

ULtimæ voluntatis commutatio denegatur, ſi juſta, & rationabilis commutationis cauſa deficiat *Senogallien. 27. Junii pag. 133.*

Et in omnem caſum ita fieri debet, ut quoad fieri poteſt Miſſarum onera intacta ſerventur *Albintimilien. 15. Februarii pag. 33.*

Unio favore ſeminarii hæreditatis deſtinatæ pro erectione Beneficiorum fuit denegata in *Paderbonen. 19. Decembris pag. 221.*

Vox activa, aut paſſiva quoad ea, quæ reſpiciunt Maſſam Capitularem non competit Canonicis, qui de illa non participant *Imolen. 30. Maii ad III. pub. pag. 111.*

FINIS.

BX 1935 A36 t.40-41

Catholic Church. Congregatio Concilii
Thesaurus resolutionum Sacrae Congregationis Concilii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 04 002 6